ACTA

SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

VICTORII PIAZZESI

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen XXX.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

1897-98.

Reprinted with the permission of Libreria Editrice Vaticana

JOHNSON REPRINT CORPORATION — **JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.**

Ili Fifth Avenue, New York, N.Y. 10003 — **Berkeley Square House, London, W1X6BA**

First reprinting 1969, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

EPISTOLA ENCYCLICA Sanctissimi Domini Nostri Leonis XIII
De memoria saeculari B Petri Canisii.

Militantis Ecclesiae suadet utilitas, non minus quam decus, ut quos excellens virtus ac pietas altius evexit ad gloriam triumphantis, eorum solemni ritu saepius memoria instauretur. Peinas enim honoris significationes antiquae subit recordatio sanctitatis, opportuna illa quidem semper, infestis autem virtuti ac fidei temporibus saluberrima. Ac praesenti quoque anno divinae providentiae beneficio fit, ut de expleto saeculo tertio ab exitu *Petri Canisii,* viri sanctissimi, laetari Nobis liceat, nihil magis pensi habentibus quam ut iis artibus excitentur bonorum animi, quibus per eum virum tam feliciter christianae reipublicae consultum fuit. Refert enim praesens aetas similitudines quasdam eius temporis, in quod incidit Canisius, quum novarum rerum cupidinem et uberioris doctrinae cursum ingens iactura fidei sequeretur morumque perversitas. Utramque pestem, quum a ceteris omnibus, tum impensius a iuventute propulsandum curavit alter ille post Bonifacium Germaniae Apostolus, neque solum opportunis concionibus aut disputandi subtilitate, sed scholis praesertim institutis editisque optimis libris. Cuius praeclara exempla sequuti multi etiam de vestra gente impigri homines iisdemque usi armis contra genus hostium minime rude, nunquam destiterunt ad religionis praesidium ac dignitatem, nobilissimas quasque disciplinas tueri, omnem honestarum artium cultum incenso animo persequi, libentibus ac probantibus Romanis Pontificibus, quibus solertissima semper cura fuit ut litterarum staret antiqua maiestas, et humanitas omnis nova in dies incrementa susciperet. Neque vos latet, Venerabiles Fratres, si quid Nobis ipsis maxime cordi fuit, id spectasse adolescentiam recte ac salubriter instituendam, cui rei certe, quantum licuit, ubicumque prospeximus. Nunc vero praesenti utimur occasione libenter, Petri Canisii strenui ducis exemplum ob oculos ponentes iis qui in Ecclesiae castris militant Christo, ut, quum secum reputaverint iustitiae armis arma consocianda esse doctrinae, causam religionis acrius tueri possint atque felicius.

Quanti negotii munus susceperit vir catholicae fidei retinentissimus, proposita sibi causa rei sacrae et civilis, facile occurrit Germaniae faciem intuentibus sub initia rebellionis luthe-

ranae. Immutatis moribus atque in dies magis collabentibus, facilis ad errorem aditus fuit; error autem ipse ruinam morum ultimam matura vit. Hinc sensim plures a catholica fide desciscere; mox pervagari malum virus provincias fere universas; tum omnis conditionis fortunaeque homines inficere, adeo ut multorum animis opinio insiderei causam religionis in illo imperio ad extrema esse deductam, morboque curando vix quidquam superesse remedii. Atque actum plane de summis rebus erat, nisi praesenti ope Deus adstitisset. Supererant quidem in Germania viri antiquae fidei, doctrina et religionis studio conspicui; supererant principes domus Bavaricae et Austriacae imprimisque rex romanorum Ferdinandus eius nominis primus, quibus firmum erat rem catholicam totis viribus tueri atque defendere. At novum longeque validissimum periclitanti Germaniae subsidium addidit Deus, opportune natam ea tempestate Loyolaei Patris societatem, cui primus inter Germanos nomen dedit Petrus Canisius. — Huc profecto non attinet singula persequi de hoc viro eximiae sanctitatis; quo studio patriam dissidiis ac seditionibus laceratam curaverit ad animorum consensionem et veterem concordiam revocare, quo ardore cum erroris magistris in disputationis certamen venerit, quibus concionibus animos excita veri t, quas molestias tulerit, quot regiones peragrarit, quam graves legationes fidei causa susceperit. Verum, ut ad arma illa doctrinae animum referamus, quam ea constanter tractavit, quam apte, quam prudenter, quam opportune! Qui quum Messana reversus esset, quo se contulerat dicendi magister, mox sacris disciplinis tradendis in Coloniae, Ingoldstadii, Viennae Academiis egregiam operam dedit, in quibus regiam tenens viam probatorum scholae christianae doctorum, theologiae *seholasticae* magnitudinem Germanorum animis aperuit. A qua quum fidei hostes eo tempore summopere abhorrèrent, quod ea catholica veritas fulciretur maxime, hanc scilicet studiorum rationem instaurandam curavit publice in lyceis atque in collegiis Societatis Iesu, quibus ipse excitandis tantum operae industriaeque contulerat. Neque eumdem a sapientiae fastigio puduit ad litterarum initia descendere et pueros erudiendos suscipere, scriptis etiam in eorum usum litteralis libris atque grammaticis. Quemadmodum vero a principum aulis, ad quos orationes habuisset, saepe redibat concionaturus ad populum, ita, quum maiora scripsisset, sive de

controversiis, sive de moribus, componendis libellis manum admovebat, qui aut populi roborarent fidem, aut pietatem excitarent atque foverent. Mirum autem quantum in eam rem profuit, ne errorum laqueis imperiti caperentur, edita ab ipso catholicae doctrinae Summa, densum opus ac pressum, nitore latino excellens, Ecclesiae Patrum stylo non indignum. Huic praeclaro operi, quod in omnibus paene Europae regnis ingenti plausu a doctis exceptum est, mole cedunt, non utilitate, celebra tissimi duo illi *catechismi,* in rudiorum usum a beato viro conscripti, alter imbuendis religione pueris, alter erudiendis ipsa adolescentibus, qui in litterarum studio versarentur. Uterque, ubi primum editus est, tantam catholicorum iniit gratiam, ut omnium fere manibus tereretur qui christianae veritatis elementa traderent, neque in scholis tantum, veluti lac pueris sugendum, adhiberetur, sed publice in communem utilitatem explicaretur in templis. Quo factum est ut Ganisius per annos tercentos communis catholicorum Germaniae magister habitus fuerit, utque in populari sermone duo haec plane idem sonarent, Canisium nosse ac veritatem christianam retinere.

Haec viri sanctissimi documenta ineundam bonis omnibus viam indicant satis. Novimus quidem, Venerabiles Fratres, hanc vestrae gentis laudem esse praeclaram, ut ingenio studiisque ad patrium decus provehendum, ad privata et publica commoda procuranda sapienter utamini ac felicissime. Verum interest plurimum, quidquid sapientum ac bonorum est inter vos, pro religione conniti strenue ; ad ipsius ornamentum atque praesidium omne ingenii lumen, omnes litteraturae ñervos referre; eodemque consilio quidquid ubique benevertat sive artis incremento sive doctrinae arripere statim et cognitione complecti. Etenim si fuit unquam aetas, quae, ad rei catholicae defensionem, doctrinae atque eruditionis copiam maxime postularet, ea profecto nostra aetas est,, in qua celerior quidam ad omnem humanitatem cursus occasionem aliquando praebet impugnandae fidei christiani nominis hostibus. Pares igitur vires afferendae sunt ad horum impetum excipiendum; praeoccupandus locus; extorquenda e manibus arma, quibus nituntur foedus omne inter divina et humana abrumpere, Catholicis viris ita animo comparatis atque uti decet instructis plane licebit re ipsa ostendere, fidem divinam, non modo a cultu humanitatis nullatenus abhorrere, sed eius esse veluti culmen atque fastigium; eamdem,

in iis etiam quae longe dissita aut inter se repugnantia videantur, tam amice posse cum philosophia componi et consociari, ut altera alterius luce magis magisque collustretur: naturam, non hostem, sed comitem esse atque administram religionis; huius haustu non modo omnis generis cognitionem ditescere, sed plurimum roboris ac vitae litteris etiam ceterisque artibus provenire. Quantum autem sacris doctrinis ornamenti ac dignitatis accedat ex profanis ipsis disciplinis, facili intelligi potest cui hominum natura cognita sit, pronior ad ea, quae sensus iucunde permoveant. Quare apud gentes quae prae ceteris humanitate commendantur, vix ulla fiducia est rudi sapientiae, eaque negliguntur maxime a doctis, quae nullam speciem formamque praeseferant. *Sapientibus* autem *debitores sumus* non minus quam *insipientem,* ita ut cum illis in acie stare, hos debeamus labantes erigere ac confirmare.

Atque hic sane campus Ecclesiae patuit latissime. Nam, ubi primum post diuturnas caedes rediit animus, quam fidem viri fortissimi sanguine obsignaverant, eamdem doctissimi homines ingenio suo et scientia illustrarunt. In hanc laudem primum conspira vere Patres, iis quidem lacertis, ut fieri nihil posset valentius; voce autem plerumque erudita et romanis graecisque auribus digna. Quorum doctrinae eloquentiaeque quasi aculéis excitati complures deinde impetum omnem in sacrarum rerum studia coniecerunt, atque tam amplum christianae sapientiae quasi patrimonium collegerunt, in quo quavis aetate ceteris Ecclesiae homines invenirent unde aut veteres superstitiones evellerent, aut nova errorum portenta subverterent. Hanc vero uberem doctorum copiam nulla non aetas effudit, ne illa quidem excepta quum pulcherrima quaeque, barbarorum obnoxia rapinis, ad neglectum atque oblivionem recidissent: ita ut si antiqua illa humanae mentis manusque miracula, si res quae olim apud romanos aut graecos summo in honore erant, non penitus exciderunt, totum id acceptum Ecclesiae labori atque industriae sit referendum.

Quod si tantum religioni lumen accedit ex doctrinae studiis atque artium, profecto qui totos se in his collocarunt adhibeant opus est non modo cogitandi, verum etiam agendi solertiam, ne ipsorum solivaga cognitio et ieiuna videatur. Sua igitur docti studia ad christianae reipublicae utilitatem, privatumque otium ad commune negotium conferentes efficiant, ut sua ipsorum

cognitio, non inchoata quodammodo videatur, sed cum rerum actione coniuncta. Haec autem actio in iuventute instituenda maxime cernitur; quae quidem tanti negotii res est, ut partem laboris et curarum postulet maximam. Quamobrem vos in primis vehementer hortamur, Venerabiles Fratres, ut scholis in fidei integritate retinendis, aut ad ipsam, si opus fuerit, revocandis sedulo advigiletis, sive quae a maioribus institutae, sive quae conditae recentius fuerunt, nec pueriles tantum, sed etiam quas medias et quas academicas vocant. Ceteri autem e vestris regionibus catholici id in primis nitantur atque efficiant, ut in institutione adolescentium sua parentibus, sua Ecclesiae iura sarta tectaque sint. — Qua in re haec potissimum curanda. Primum, ut catholici scholas, praesertim puerorum, non mixtas habeant, sed ubique proprias, magistrique deligantur optimi ac probatissimi. Plena enim periculi est ea disciplina, in qua aut corrupta sit, aut nulla religio, quod alterum in scholis, quas diximus mixtas, saepe videmus contingere. Nec facile quisquam in animum inducat impune posse pietatem a doctrina seiungi. Etenim si nulla vitae pars, neque publicis neque privatis in rebus vacare officio religionis potest, multo minus arcenda ab eo officio est aetas et consilii expers, et ingenio fervida, et inter tot corruptelarum illecebras constituta. Igitur qui rerum cognitionem sic instituat, ut nihil habeat cum religione coniunctum, is germina ipsa pulchri honestique corrumpet, is non patriae praesidium, sed humani generis pestem ac perniciem parabit. Quid enim, Deo sublato, adolescentes poterit aut in officio retinere, aut iam a recta virtutis semita devios et in praerupta vitiorum praecipites revocare?

Necesse deinde est non modo certis horis doceri iuvenes religionem, sed reliquam institutionem omnem christianae pietatis sensus redolere. Id si desit, si sacer hic halitus non doctorum animos ac discentium pervadat foveatque, exiguae capientur ex qualibet doctrina utilitates; damna saepe consequentur haud exigua. Habent enim fere sua quaeque pericula disciplinae, eaque vitari vix ab adolescentibus poterunt, nisi fraena quaedam divina eorum mentibus atque animis iniiciantur. Cavendum igitur maxime, ne illud, quod caput est, iustitiae cultus ac pietatis, secundas partes obtineat; ne constricta iuventus iis tantummodo rebus, quae sub oculos cadunt, omnes ñervos virtutis elidat; ne dum praeceptores laboriosae doctrinae fasti

dia ferunt et syllabas apicesque rimantur, minime sint de vera illa sapientia solliciti, cuius *initium timor Domini,* et cuius praeceptis in omnes partes usus vitae conformari debet. Multarum igitur rerum cognitio adiunctam habeat excolendi animi curam; omnem autem disciplinam, quaevis denique ea sit, religio penitus informet ac dominetur, eademque maiestate sua ac suavitate ita percellat, ut in adolescentium animis quasi acúleos relinquat.

Quandoquidem vero id Ecclesiae semper propositum fuerit, ut omnia studiorum genera ad religiosam iuvenum institutionem maxime referrentur, necesse est huic disciplinae non modo suum esse locum, eumque praecipuum, sed magisterio tam gravi fungi neminem, qui non fuerit ad id muneris idoneus ipsius Ecclesiae iudicio et auctoritate probatus.

Verum non a puerorum tantum scholis postulat sua iura religio. Fuit tempus illud, quum legibus cuiusque Academiae, imprimisque Parisiensis, cautum erat, ut studia omnia ita se theologiae accommodarent, ut nemo iudicaretur ad sapientiae fastigium pervenisse, nisi eius disciplinae lauream adeptus. Augustalis autem aevi instaurator Leo decimus, ceterique ab illo Pontifices Decessores Nostri, romanum athenaeum aliasque studiorum, quas vocant, universitates, quum impia bella in religionem ardèrent, firmas velut arces esse voluere, ubi, ductu auspicioque christianae sapientiae, iuvenes docerentur. Eiusmodi studiorum ratio, quae Deo rebusque sacris primas deferebat, fructus tulit haud mediocres; certe illud effecit, ut sic instituti adolescentes melius in officio continerentur. Haec in vobis etiam fortuna iterabitur, si viribus omnibus contendetis, ut in scholis, quas medias vocant, in gymnasiis, lyceis, academiis sua religioni iura serventur. — Neque tamen id excidat unquam, consilia vel optima ad irritum cadere et inanem laborem suscipi, si animorum consensio desideretur atque in agendo concordia. Quid enim efficient bonorum divisae vires adversus coniunctum impetum hostium? Aut quid singulorum proderit virtus, ubi nulla sit communis disciplina? Quare vehementer hortamur, ut, remotis importunis controversiis partiumque contentionibus, quae facile animos dissociare possunt, de curando Ecclesiae bono omnes uno ore consentiant, collatis viribus in id unum conspirent ac eamdem afferant voluntatem, *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (1).

(1) Ad Eph. iv, 3.

Haec suasit ut moneremus sanctissimi hominis memoria et recordatio; cuius utinam praeclara exempla in animis haereant, excitentque eius amorem sapientiae, quae a curanda hominum salute et Ecclesiae dignitate tuenda nunquam recedat. Confidimus autem, vos, Venerabiles Fratres, quae vestra prae ceteris sollicitudo est, socios et consortes habituros gloriosi laboris e viris doctissimis quamplurimos. Sed rem nobilem, quasi in suo sinu positam, praestare ii poterunt maxime, quicumque praeclaro muneri instituendae iuventutis sunt Dei providentia praepositi. Qui, si illud meminerint, quod veteribus placuit, scientiam, quae remota sit ab iustitia, calliditatem potius quam sapientiam esse appellandam, aut melius, si animo defixerint quod Sacrae Litterae affirmant, *vani sunt... omnes hommes, in quibus non subest scientia Dei* (1), discent armis doctrinae non tam ad privata commoda uti, quam ad communem salutem. Fructus autem laboris industriaeque suae eosdem se laturos sperare poterunt, quos in suis olim collegiis atque institutis Petrus Canisius est consecutus, ut dociles ac morigeros experiantur adolescentes, honestis moribus ornatos, ab impiorum hominum exemplis longe abhorrentes, aeque de scientia ac de virtute sollicitos. Quorum in animis ubi pietas altius radices egerit, fere aberit metus ne opinionum pravitate inficiantur aut a prístina virtute deflectant. In his Ecclesia, in his civilis societas spem optimam reponet futuros aliquando egregios cives, quorum consilio, prudentia, doctrina, et rerum civilium ordo et domesticae vitae tranquillitas possit salva consistere.

Quod reliquum est, Deo optimo maximo, qui est *scientiarum Dominus,* Eiusque Virgini Matri, quae *sedes sapientiae* appellatur, deprecatore adhibito Petro Canisio, qui doctrinae laude tam bene est de Ecclesia catholica meritus, preces adhibeamus, ut votorum, quae pro ipsius Ecclesiae incremento ac pro bono iuventutis concepimus, fieri compotes liceat. Hac spe freti, vobis singulis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro universo, auspicem caelestium munerum et paternae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die i Augusti MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vigesimo.

LEO PAPA XIII.

(1) Sap. xi», 1.

LITTERAE Sanctissimi D. N. Leonis ad Emum Card. Oreglia Decanum S. Collegii aliosque Eminentissimos Cardinales et Episcopos, qui mense maio adstiterunt solemni canonizationi ss. Petri Fourier, et Antonii Zaccaria.

Libet qaidem affari te his litteris, ut est consentaneum dignitati tuae: sed intelligi universe volumus de Venerabilibus Fratribus Cardinalibus atque Episcopis omnibus, quorum praesentia, extremo mense Maio, ad caeremonias sanctissimas gavisi sumus, quique per eam occasionem communes ad Nos litteras d edere plenas officii egregiaeque voluntatis. Certe animum vestrum, Venerabiles Fratres, pulcre cognoveramus cum Nostri cupidum, tum Sedi Apostolicae, uti oportet, deditissimum ; gratum tamen est recognovisse. Siquidem magnopere optandum, hoc praesertim tempore, ut idem saepius appareat, scilicet qui in christiana re administranda versantur, eos esse omnes obsequio, caritate mutua, similitudine consiliorum, cum Pontifice maximo coniunctos, in quo Iesus Christus et potestatis fastigium et principium unitatis collocavit. Qua in re utique vobiscum consentiunt e multitudine christiana longe plurimi; fieri enim non sine divino consilio videmus, ut Apostolicae Sedis tanto plus ex una parte excitetur amor, quanto ex altera est oppugnano vehementior. Eiusmodi tuendo propagandoque amori populari, in quo velut initium ac pignus quoddam cernitur salutis futurae, est vehementer opus auctoritate diligentiaque vestra, quam sane constantem fore, ut est, certo scimus. — De reconciliatione orientalium gentium, et quotquot sunt qui nobiscum de fide dissentiunt, valde amavimus pietatem desiderii vestri. Magni omnino operis exitusque ardui velut semina fecimus: ea ad maturitatem aliquando perductum iri confidimus, auctore Deo, qui Ecclesiam suam unam esse iussit totius complexu generis humani, et cuius in potestate est mortalium animos unde vult deducere, et quo vult, incolumi cuiusque libertate, impellere. Contendite ab eo suppliciter, ut tantam hominum multitudinem revocare ab opinionum errore ad veritatem benigne velit: quantum autem in vobis est, date operam ut conata Nostra adiuvetis per artes omnes christianae caritatis. — Inter incoepta tantarum rerum officiaque cetera, quae munus apostolicum comitantur, quotidie magis apparet necesse esse, ut Apostolica Sedes in eam ipsam conditionem, quam divina providentia pepererat, restituatur. Spes

Nostras maximas in Deo reposuimus, vindice Ecclesiae suae: intereaque, quamdiu ea quae premunt incommoda ac difficultates insederint, sine ulla dubitatione perseverabimus vim Pontifici illatam conqueri, et ea, quae libertatis Nostrae tutelam maxime continent, sanctissima iura repetere.

Caelestium munerum auspicem et paternae Nostrae benevolentiae testem vobis, Venerabiles Fratres, populoque et clero vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus,

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 5 Iulii an. 1897, Pontificatus Nostri vigesimo.

LEO PAPA XIII.

EX 3. CONGREGATIONE CONCILII

CONCORDIEN.

REMOTIONIS A PAROECIA

Die 20 Februarii 1897.

Sess. 21, cap. 6, De reform.

COMPENDIUM FACTI. In oppido vulgo *Vigonovo,* dioecesis Concordiensis, parochiale obtinuit beneficium mense Novembris 1887 Valentinus Maniago, translatus ab alia parochia, loci *Rivarotta.* — Sui muneris parochus Maniago habuit coadiutorem, seu cappellanum, sacerdotem Matthaeum Bressan, pluribus iam abhinc annis praefectum fabricae ecclesiae parochialis, et arcanum, qui vacantis beneficii adlectus fuerat oeconomus spiritualis.

Hi duo Sacerdotes, quamvis bonis moribus instructi, ita disparis videntur esse ingenii, ut diu ambulare non possent cum consensu in domo Dei, siquidem ipsa sententia iudicialis curiae Concordien. fatetur, alterum nempe Bres-

san animum habere ardentem et praecipitem; alterum vero, nimirum parochum, rudem esse et propositi tenacissimum.

Exinde statim dissensiones ortae sunt; quamobrem parochus ad curiam se convertit efflagitans, ut alio transferretur cappellanus, non in poenam, sed contentionum ad removendam occasionem, quae gravior in dies fiebat, quippe plures cives, nonnulli etiam ex proceribus, aperte favebant partibus capellani et altas movebant querelas in parochum. Verum hic a curia obtinere potuit, ut alii officio destinantur sac. Bressan; sed parvo tempore hic abfuit ab oppido Vigonovo; nam sui fautores nullum non moverunt lapidem ad eius reditum implorandum; eumdemque redeuntem magnis conclamationibus et gaudii significationibus amplexi sunt.

Hinc asperior lucta parochum inter et capellanum, non sine perturbatione publicae tranquillitatis in oppido, adeo ut ipsa auctoritas politica, ne turbae in populo excitarentur, pertimescere visa sit.

Interim, Ecclesia suo viduata pastore, Vicarius Capitularis mense Martio 1893 ad S. C. C. recursum habuit, petens an statim removendus esset parochus a loco beneficii, ei tenui reservata pensione; vel potius antea processus canonicus instituendus esset. — S. C. C. die 8 Apr. 1893 reposuit: *Emi Patres tibi scribi mandarunt, ut iubeas praefatum parochum Maniago statim discedere a paroecia loci Vigonovo sui? poena suspensionis ipso facto incurrendae nisi pareat; et deinde nisi idem parochus malit nuncium mittere paroeciae cum tenuis pensionis reservatione, processum contra eum instituas ad tramites* etc.

Parochus, rescripti praetexens nullitatem, renuit obedire, quare ipsum poenas suspensionis et irregularitatis incurrisse, Curia suo edicto declaravit. — S. C. C. rescripto diei 20 Maii eiusdem anni eum absolvit, addens « *Quo vero ad confectionem processus, aut ad restitutionem parochi, Sacra Congr. resribendum censuit: Expectetur novus Episcopus* ».

At parochus, urgentibus etiam lictoribus, domum parochialem et beneficii administrationem relinquere coactus est, et hanc Fiscus capessere non destitit, spiritualem autem curam animarum gessit Matthaeus Bressan, huic muneri substitutus a Vicario Capitulari. Res cum ita se haberent, novus Episcopus decreto diei 12 Aprilis 1894 quosdam delegavit iudices ad processum conficiendum et die 16 Febr. 1895 haec prodiit sententia a iudice delegato.

I. Redintegrandum esse Parochum de Vigonovo D. Valentinum Maniago in exercitio sui ministerii, immunem ab interdicto, in eundem illato, modo provisorio a S. C. C. die 8 Aprilis 1893. II. Redintegrandum esse praefatum Parochum in suis iuribus canonico civilibus super administrationem et reditus Beneficii paroecialis ; in quem finem episcopalis Curia oneratur eumdem coadiuvare. III. Quoniam istis in adiunctis D. Valentinus Maniago resumere nequiret per se officium Parochi e Vigonovo, absque sui et animarum discrimine, de consensu Ordinarii consulet curae et spirituali administrationi Paroeciae, donec, aut valeat illuc redire, aut altero investiri beneficio ecclesiastico.

Deinde de expensis reficiendis aliam parochus Maniago movit quaestionem, sed infausto exitu. Controversa vero sententia, publicata die I[a] Martii 1895, *quoad meritum,* habuit oppositores oppidanos qui die 7 Martii eiusdem anni appellationis instantiam apud Curiam proposuerunt.

Quamobrem partium procuratores haec dubia contestati sunt, videlicet : I. *An appellatio vel recursus admitti debeat in casu.* Et quatenus affirmative : II. *An sit confirmanda vel infirmanda sententia Curiae episcopalis concordien. in casu.*

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO PAROCHI. Parochi advocatus contendens appellationem admittendam non esse, notat ad hanc requiri : 1) ut provocatio intra decem dies fiat a die latae sententiae et scientiae numerandos ; 2) ut provocatio appellatone in-

tersit; 3) ut, reprehensa sententia alicui appellatoris iuri detrimentum inferat. Deducitur *ex Auth. in. lib. 6 Cod. tit. De appellationibus,* ibi : « Hodie autem cuilibet tribuitur spatium decem dierum a sententiae recitatione numerandum ». Item *Decret. Gratiani par. 2, caus. 2, quaest. 6, cap. 28:* « Et sancimus omnes appellationes... posse intra decem dierum spatium a recitatione sententiae enumerandum, iudicibus ab his quorum interest, afferri ». *Decret. Gregorii IX lib. 2, tit. 27, cap. 15:* « Cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat iudicatae ; qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit ». Itaque appellatio inita a quibusdam incolis oppidi Vigonovo apud S. C. C. die 23 mensis Februarii 1896 adversus sententiam, de qua agitur, die 16 Februarii 1895 prolatam, procul dubio suscipi nequit, instat orator.

Quoad alteram conditionem hic notat, exploratissimum in iure est appellare non posse quemlibet, cuius haud interest provocatio: *I. 1 dig. de appel, recip., et cap. Non solent, caus. 2, qu. 6,* ubi haec dicta leguntur: «Non solent audiri appellantes, nisi hi quorum interest » *et cap. Cum inter 16 de elect.,* ubi idem constituitur : « Cum nisi, quorum interest audiri non soleant appellantes, appellationem illam dicimus legitimam non fuisse ». Hisce animadversis, pergit advocatus, quum Parochus Maniago iuxta rem iudicatam ne commorari quidem in oppido Vigonovo possit, provocatio interesse nequit oppidanorum, ideoque prorsus irrita habenda est. Et si animarum cura Parocho vel eius Vicario committatur, hoc Episcopi et non oppidanorum est munus ; quemadmodum imperantium et non civium est eligere Iudices.

Tertia conditio, advertit patronus, posita in appellatoris detrimento, apprime advertitur *lib. V Extravag. Comm. De poenis,* ubi haec leguntur : « Contra oppressiones debuerat esse appellatio ipsa remedium ». Glossa recinit : « Appellatio est remedium contra oppressiones». Et De Angelis *in op. Prael. Iur. Can. lib. 2, tit. 28,* docet: «Appellatio... com-

muniter definitur. Ab inferiore ad superiorem iudicem facta provocatio, ratione gravaminis illati aut inferendi... Causae autem, ob quas remedium istud appellationis est introductum, principaliter sunt sequentes. 1. Ut removeatur gravamen inique oppressis illatum. *Cap. Suggestum 15, h. t...* appellatio est species quaedam defensionis, quae datur oppressis contra iniuriam iudicis ». Itaque concludit advocatus, quum incolae oppidi Vigonovo nullum detrimentum, nullam oppressionem, nullam Iudicis iniuriam, vi reprehensae sententiae, passi sint, vel patiantur, vel pati poterunt ; eorum provocatio, qui testium munere functi fuerunt, flocci facienda est.

Descendens orator ad alterum dubium, defensionem repetit ab ipsis sententiae verbis, quibus innuitur, processum instructum adversus Parochum Maniago haud peperisse eiusmodi gravamina, ut suo officio indignus declarari posset. Etenim ex decem et septem gestibus eruuntur accusationes sequentes : I. Praxim viae crucis Parochus peragere recusavit. II. Onera Missarum pro defunctis distulit. III. Posthabuit praedicationem. IV. Praedicatores extraordinarios haud accersivit. V. Chatechismum neglexit, et promovit ad primam communionem pueros instructione carentes. VI. Tardus et frigidus fuit erga aegrotos. VII. Nimium pota vit vinum, absque tamen ebrietate. VIII. Avarus non fuit, sed sordidus in vestibus, et valde pecuniae inhians. IX. Prandia de more haud fecit. X. Cappellano facultatem denegavit celebrandi primam Missam in quadragesima et verbum Dei praedicandi. XI. Odium aluit erga cappellanum, et moribundum qui de pace et remissione rogavit. XII. Indolem exhibuit duram, litigiosam, perfidam atque mendacem.

Testes vero, qui aut de visu aut de auditu praedicta gravamina evincere studuerunt, de moribus eiusdem parochi nihil esse dicendum retulerunt. Haec omnia tamen satis fuerunt, ut invisus populo et esset et haberetur. Alii vero testes deposuerunt veram omnium dissidiorum radicem exquiri debere in contentionibus et simultatibus inter parochum et cappellanum, et inter amicos utriusque partis dissidentis. Adv o-

catus totus est in refellendis gravaminibus praecipuis. Piae praxis viae Crucis Parochus voluit in principio tantum immutare horam, quam parum aptam censuit ; sed tandem eam posthabuit omnino in contentionis igne. Vetuit Cappellano praedicare et primam dicere Missam quadragesimae tempore; aliaque sacri ministerii officia, et innixus consuetudini loci, quam nonnulli canonistae sequuntur, censuit posse eundem posthabere. Hinc mirum non est, si solum se reputans, distulit mortuorum suffragia, quae saepe saepius eidem affluebant.

Quoad negligentiam in instituendis pueris ad primam Communionem promovendis pauci adsunt testes, ita ut Parochus dici vere possit *nimium negligens in doctrina christiana edocenda* et poena iuridica multandus ; *Barbosa de off', et potest, parochi, par. i, cap. 15.*

Negligentia Parochi quoad^praedicationem verbi Dei, haud formiter probatur, quia diversimode testes deponunt: Ordinarius , quin auscultare*, tantum querimonias inimicorum poterat iudicare de opportunitate accersendi praedicatores extraordinarios ; eo secius quia officium praedicandi est parochi *Barbosa, loc. cit., p. 1, cap. 14, et S. C. C. declaravit quod si curatores animarum* per se velint munus praedicationis obire, non debent impediri.

Parochus insuper accusatur de odio erga cappellanum ; quin alatur studium deminuendi culpam, haud obliviscendum, ait defensor, cappellanum saepe saepius occasionem praebuisse sese nimis ingerendo in rebus Parochi.

Melius erat pro utroque, si remotus fuisset cappellanus initio simultatum, dum pro parocho militat vinculum, ius et canonica investitura: dum huius indignitas haud evicta fuit neque post pugnam et per quamplures probationes. Praeses extraordinariae sessionis Tribunalis, qui processum instruxit contra dictum parochum, invocat Tridentinum *sess. 22, cap. 6 de ref.* Sed nullus iudex colligere potuit ex actis processus, Parochum turpiter aut scandalose vixisse ; aut *in sua nequitia permansisse, postquam praemonitus fuit.*

Tridentinum clare patet loqui de scandalo parto ex correptis moribus, sed Parochus, de quo agitur ex omnium testimonio, omnibus in adiunctis sese exhibuit exemplar absque censura. Scandalo vero originem dedisse tum Cappellanum, tum eius adhaerentes, qui quum testes fuissent per longam consuetudinem de facili caractère et benevolo parochi praedecessoris, habuerunt in parocho successore indolem aerem, et pecuniae tenacem. Ex his causis enata est animorum alienatio non assertum odium plebis : et beneficiatus haud meretur expoliationem ; sed ponitur in casu liberae renuntiationis, et vinculi dissolutionis, quo pastor cum grege ligatur. Asseri tamen nequit, parochum, aliquando ad indignationem pro vocatum, haud offendisse charitatem erga fideles sibi commissos; sed dici nequit temerarius aut audax erga superiores.

Ex his omnibus, concludit advocatus, probatam non fuisse noxam, qua, ex iure parochi destitutione puniuntur.

DEFENSIO POPULI. Ex adverso advocatus qui oppidanis patrocinatur ad S. C. C. recurrentibus, quoad primam quaestionem, an nempe haec appellatio vel recursus sustineri debeat, advertit hos non statim apud S. C. C. appellationem instaurasse quia apud curiam Metropolitanam pendebat iudicium de expensis iudicialibus reficiendis, quae quaestio tandem mense Ianuario 1896 definita fuit.

Notat oppidanorum sane querelam non esse despiciendam quia « omnes et singuli, quorum interest possunt appellare » (Reiffenstuel *ius. can. univ. ad tit. de appell. I. 2, tit. 28, §2, n. 37).*

Parochianos vero in huiusmodi causas interesse habere probat, citans haec verba *f olii* in Baren, agitata apud S. C. C. die 17 Maii 1851, § *Contra,* ibi : « Etiam Parochiani instare poterunt, ut sibi gratus eligatur Parochus, et aeque ut parochus male vivens e paroecia deiiciatur ex generali interesse quod habent Parochiani ut a bono Parocho gubernentur ».

Demum, ait patronus, etsi *appellatio* admittenda non esset, tamen oppidanis negandus non est *recursus* quum « Recursus ad principem supremum numquam censetur interdi-

ctus, a quo quemadmodum iurisdictiones omnes fluunt, ita etiam conveniens est ut postea refluant » (Rota *coram Rondinino in Cracovien, vocis activae et passivae 31 Ian. 1676 p. 18 rec, t. 2, dec. 639, n. 23).* Nec aliter Barbosa « non denegatur remedium his qui iustam se habere causam arbitrantur, quo possint mederi gravaminibus ; id autem est ad superiorem recursus ; etenim iure permissum est, ubi appellari denegatur, ut per viam querelae superiorem adeatur » *(vot. decisio, vot. 4, n. 79).*

Ingressus vero patronus alteram quaestionis partem, nempe *meritum* causae, contendit rem iam definitam fuisse rescripto diei 8 Aprilis 1893 quo edicebatur: «Ordinarius iubeat praefatum Parochum Maniago statim discedere a Paroecia Vigonovo sub poena suspensionis, ipso facto incurrendae nisi pareat, et deinde nisi idem Parochus malit Paroeciae nuncium mittere, cum tenuis pensionis reservatione, processum contra eum instituat ».

Cuius rescripti mentem hanc esse contendit orator, ut parochus etiam invitus deberet removeri a paroecia et dein, ut eidem renunciaret, cogi, si ex processu constarent vera esse quae opponebantur. Iamvero, instat orator, ex processu patuit Valentinum habere indolem extravagantem, aerem, mendacem et inexorabilem, seu parochum esse alienationibus et rixis pronum.

Ex testibus, alius deponit, parochum loqui solitum esse de rebus pietati et religioni alienis; alius, pueros ignorare fidei mysteria ; alius, sese impedire debuisse filii proprii promotionem ad primam Communionem utpote non praeparatim.

Suum cappellanum acriter exagitasse referunt testes, et parochum noluisse reconciliari cum paroeciano morti proximo, qui pacem moriturus efflagitabat.

Notat orator, testes haec et alia plura facta deponentes, esse fide dignissimos et istos fuisse delectos. Sane, urget advocatus, haec omnia confirmari a Vic. Foraneo.

In suis **uteris** Card. Patriarcha Venetiarum confirmat de rudi natura parochi, omnia quae a testibus relata fuerunt.

Quare, concludit orator, sane locum esse remotioni a paroecia. Et re sane vera exploratissimum est, duplicem ad Parochos amovendos patere viam : quarum una *privatio,* altera, forensi vocabulo, *remotio* nuncupari solet. Illa poenae naturam induit : quae quidem exigi nequit, nisi causam subesse gravissimam, instituta inquisitione, approbetur. Haec contra, haud poena, sed remedium est, quo paroeciae périclitant! prospicitur : quodque recte praetermissa inquisitione, decernere fas est, quum satis aliunde constet, parochum licet vita integerrimum et sceleribus purum, paroeciam sibi concreditam, sine animarum discrimine, gubernare non posse.

Imo ad parochum beneficio expoliandum, opinatur orator, adesse rationes, siquidem «... Si inimicitiae parochianorum iustae et rationabiles sint parochus est officio privandus non modo removendus » legitur in folio Bergomen. 12 Aug. 1865.

Sed potissimam adesse remotionis causam in themate contendit patronus, quia « Parochum populo exosum, ita ut grave immineat scandalum si manebit in paroecia, de qua est provisus, potest etiam invitum Episcopus compellere ad permutandum vel alia via illum exinde amovere ». (Bellettus, *Disquisitiones clericales p. 1, § 15, n. 19, Romae 1654, pag. 93).* « Populi odium... attendi oportet ad hoc ut coacta abdicatio privationi aequivalens imponatur Parocho ». (De Nigris, *De vacat, benef. lib. 2, cap. 2, n. 16).* Ita S. C. C. in *Taurinen, diei 7 Iulii 1855,* in *Limburgen. diei 27 Iunii 1857;* in *Egstetten. diei 22¡ Sept. 1742;* in *Herbipolen. diei 22 Dec. 1860;* et denique in *Bergomen, diei 12 Augusti 1865;* quam interpretans auctor Ephemeridis *Acta S. Sedis,* ait : « Hinc colligi posse Parochum non amovibilem a paroecia, amoveri per privationem vel per simplicem oeconomicam remotionem, quae vel perpetua esse potest, vel ad tempus - oeconomicam remotionem ex duplici causa fieri posse, ex imperitia nempe et inidoneitate Parochi, ad paroeciam, ut par est, regendam - vel ex gravi odio et aversione plebis, quibus extantibus parochus paroeciae suae consulere non potest ». *Vol. I, p. 519-520.*

Dein patronus contendit iudicialem formam in remotione minime servandam esse : quum « non officit in remotione defectus formalis processus, cum de poena irroganda non agatur, sed de simplici remedio afferendo scandalis et inimicitiarum periculis ». D. Secretarius in *Bergomen, diei 12 Augusti 1865.*

Neque, urget advocatus, obiicere potest parochus, ut aliud aequale ei concedatur beneficium. Nam in facto est, quod ubi primum Valentinus suspensione et irregularitate, benignitate S. C. C. solutus est, illum in oppido Predipozzo Oeconomum Episcopus nominavit. Hoc hodie ille fungitur officio : sed rogatus an Parochus eligi cuperet, abnuit. Quum S. C. C. die 20 Aprilis 1896 visum est Valentinum parochiali officio imparem esse, « Episcopus curet meliori, quo fieri potest modo, rem componere conferendo praefato Parocho Maniago beneficium sine cura animarum », Concordiensis Episcopus, mansionariale Valentino beneficium in Ecclesia Cathedrali pollicitus est, sed hoc etiam acceptare renuit.

Ex dictis quum advocatus arbitretur satis superque comprobasse, Curiae sententiam rescindendam, studium convertit ut clientem suum purget a nota *zeli immodici et praecipuis;* et ait, sane iudicem delegatum in exaranda sententia omni studio culpas exténuasse parochi ; at cappellani quoque culpae vertisse inimicitias, discordias, scandala in paroecia enata, ex parochi tantum facinore ; quum haec omnia habita sint etiam in paroeciis *Valvasone* et *Riparotta,* antea a Valentino possessis, quamvis Bressan ibi non adesset.

Demum ex studio partium dictatam fuisse sententiam advertit orator, scatere ex eiusdem tenore quum absurda vel incompossibilia decernat, nimirum parochum redintegrandum esse in exercitio sui ministerii... sed quoniam adiuncto haud sinerent illum personaliter agere parochum absque sui animarumque discrimine, hinc ex conventione cum Ordinario consulendum esset spirituali paroeciae administrationi donec eius reditus fiat possibilis aut altero investiatur beneficio.

Hisce praeiactis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An constet de legitima appellatione vel recursu in casu 'i*

Et quatenus affirmative :

IL *An sententia Iudicis Belegati Concordiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu?*

RESOLUTIO, Sacra C. C. re ponderata sub die 20 Februarii 1897 censuit respondere: *Ad* I. *affirmative pro recursu. Ad* II. *sententiam esse confirmandam iuxta modum. Modus est ut parochus Maniago intra quindecim dies a notificatione huius decreti renunciet beneficio parochiali ; et nisi pareat, Episcopus illum removeat nomine et auctoritate huius s. Congregationis, eumque provideat de congrua sustentatione.*

FLORENTINA

MATRIMOMII

Die 3 Aprilis 1897.

Sess. 25 cap. 12 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Martha puella 17 annos nata, die 4 Iulii anni 1894 Florentiae, coram proprio parocho, matrimonium celebravit cum Anatolio 27 aetatis annum agente.

Neoconiuges illico rei uxoriae operam dedere, ast, fatente Martha, vir impotentia coeundi laborans, nullo modo valuit copulam explere. Qua de causa tres post cohabitationis dies sponsi Ianuam petierunt, ut aliquem in arte medica insignem peritum consulerent. Medicus balnea et alia plurima remedia praescripsit Anatolio, sed absque felici exitu, uti videtur. Coniuges dein Florentiam reversi sunt, et vir, iuxta duorum peritorum consilium, fere eadem medicamenta plures per menses prosequutus est, quae vero, semper in irritum cessisse asseritur.

Anatolius adhuc spe viripotentiae acquirendae allectus, mense Octobris anni 1895 Neapolim profectus est, ut se subiiceret medici Bianchi curationibus. Martha vero haud comitavit maritum, sed apud matrem rediit, et, matri aliisque Anatoiii impotentia patefacta, sub initio mensis Martii praeteriti anni recursum habuit ad archiepiscopalem Curiam florentinam, petens sui matrimonii nullitatem ob viri impotentiam.

Archiepiscopalis Curia, qua par erat sollicitudine, processum inchoavit, sed cum Anatolius rite citatus a Curia neapolitana, ad hoc delegata, noluerit sistere in iudicio, consultum fuit actricis recursu ad SSmum Pontificem pro dispensatione super rato et non consummato. Florentinus Iudex delegatus a S. C. C. ad persequendum processum relate ad non consummationem, illico acta explevit ac mense Augusti elapsi anni S. Congr. remisit.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Praemisso quod in iure ad matrimonii validitatem requiritur potentia ad copulam perfectam, Decret. Gregor. IX *lib. 4, tit. 15, cap. 2:* « Qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur ». fere totam clientae depositionem retulit eius defensor: ex qua omnino evinci videtur, matrimonium haud fuisse consummatum ex impotentia viri. Et inutilia evasisse remedia medica, adhibita tam Florentiae, tam Ianuae ac Neapoli. Id vero firmari auctoritate omnium testium.

Item ceteri testes referunt, Anatolium impotentia laborare, frustra salutaris artis remedia adhibuisse, et oratricem fide dignam esse.

Quae vero testium affirmationes mirifice, ait advocatus, comprobantur per physicum virginitatis experimentum peractum ab obstetricibus, et ad unguem *Instructionis* S. C. C. 20 Augusti 1840, praescriptionibus servatis.

Duo medici autem, qui obstetrices docuerunt circa praedictam inspectionem, obstetricum relationes plenissime ratas

habent, imo medicus chirurgus Gustavus Passamonti adiungit, sese oculis propriis inspexisse, ut securius de integritate mulieris testimonium redderet.

Hisce probatis, patronus ad causas dispensationis recensendas transit, quas inter enumerat Anatolii impotentiam, quae, etsi dubia existeret, sufficiens esset ad dispensationem elargiendam, ita Coscius *De separatione tori coniugalis, lib. 1, cap. 16.* Aliam reperit causam in gravissima et sane insuperabili coniugum aversione, ex qua dissidia, mala exempla et ipsa nex oriri possunt. Ad rem Ursaya *discept. 21, nn. 60, 61, 62, tom. 3, part. 2, et discept. 7, nn. 76, 77, tom. 3, part. i;* atque Corradus in *prax. dispens, lib. 8, cap. 7, n. 36.* Alia tandem causa et evidentissima in casu est spiritualis utilitas petentis dispensationem, quae etiam causa pro quolibet tempore semper gravissima a Canonistis recognita fuit.

ANIMADVERSIONES ASSERTORIS S. VINCULI. Vinculi vero defensor haec favore matrimonii animadvertere satagit. Inter acta iudicialis inquisitionis praeprimis deprehendit liberas a Martha die II Martii 1896 ad iudicem datas, in quibus illa nominavit Angelum Filippi testimonium sui processus loco sororis Aloisiae.

Atque alia in epistola eidem iudici scribit : loco avunculi mei ego nominarem, si tibi placet, Hubertum Gabbi. Eventus autem probavit, Iudicem Martham in omnibus voti compotem fecisse.

Iam vero, ait, ista testium substitutio ansam dat ad suspicandam aliquam fraudem. Martha inter testes recensuerat Aloisiam suam sororem et avunculum Dantem. Nihil autem prohibet quominus Martha subinde cognoverit sororem et avunculum testimonium pro matrimonio dicturos, et proin alios testes eis substitui petierit.

Quoad oratricis corporalem explorationem observat, obstetrices peractae inspectionis minime scriptam relationem edidisse, sed tantum oralem : qui vero agendi modus periculis plenus est et absolute contrarius praescriptionibus *In-*

stractionis S. C. O. editae 22 Augusti 1840. Item notat praefatam *Instructionem* cavere, ut tum corporis exploratio, cum relatio peractae explorationis a singulis seorsim obstetricibus absolvantur. In casu vero ita factum esse certo non constat.

Ad quaestionem propius accedens orator, quae duplicem continet actionem, nullitatis scilicet et dispensationis matrimonii, de nullitate inquit absque temeritate agere non licere. Etenim exulat iuridica corporis viri revisio. Aerem autem verberat Marthae frater Petrus, dum ait, scivisse per litteras Anatolii, qui e Neapoli scribebat ad uxorem, patefaciens suum incommodum, seu propriam ineptitudinem ad coeundum. Decantatae enim epistolae inter acta inquisitionis frustra quaeruntur. At vulgatissimum est forense adagium « quod non est in actibus, non est in mundo ».

Ipse medicus Hubertus Gabbi aliique referunt sese ex litteris professoris Bianchi a Neapoli missi ad familiam Anatolii, scivisse quod frustra curatus morbus illius fuerit.

At literas nec Gabbi, nec Barsanfi, nec aliquis alius exhibet. Quapropter dolet defensor, quod nec Iudex, nec vinculi Assertor memoratas epistolas actis inquisitionis inseri mandaverit. In confessis etenim est, eas asservari a Matre Marthae; quae literarum exhibitio eo magis urgebat, cum testium dicta in omnibus non plene consentire videantur.

Quo vero, prosequitur, attinet ad relaxationem matrimonii, praeter quod probata minime est inconsummatio, altera conditio ad dispensandum necessaria, iusta scilicet causa, omnino desideratur. Haud siquidem constat de probabili viri impotentia, nec habetur insuperabilis inter coniuges aversio, uti Marthae patronus contendit.

Hisce adductis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

Et quatenus *negative:*

II. *An consulendum sit SS.mo super matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra O. C, re disceptata sub die 3 Aprilis 1897 censuit respondere : *Affirmative, vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta Sacra Congregatione.*

MBLBVITANA

LEGATI MISSARUM

Die 8 Maii 1897.

COMPENDIUM FACTI. In civitate Valletta dioecesis Melevitanae, in suo testamento diei 10 Aug. a. 1828 Margarita Pace Ciro quaedam praedia urbana legavit Francisco Pullicino, sacerdoti archipresbytero ; inter alia, hoc adiecto onere ut celebret aut celebrare faciat in Ecclesia aut altare quae magis ei libuerint Missam quotidianam perpetuam, assignata eleemosyna, aucto uno *tari* super eleemosyna, pro tempore currente in suffragium animae testantis. Postea Margarita die 15 Sept. 1831 codicillum adiecit suo testamento, quo enumerans onera testamento ordinata, alia paulisper mutavit, alia declaravit. In onus Missarum vero *indirecte* quamdam induxit mutationem. Nam in nuncupato codicillo enumeratis piis oneribus in testamento iam praescriptis, ad eadem exsolvenda *taxativam* assignavit summam scutatorum 270.

Iamvero singulo oneri certa scutatorum summa assignatur ; unde supersunt pro Missae quotidianae celebratione scutata 150, quae examussim respondent eleemosynae Missae vigenti tempore nuncupati codicilli, adiecto tamen uno *tari*, prouti testamentum praescripserat. Siquidem tunc temporis ex quatuor *tari* Missae stipendium coalescebat; quare in Missa quotidiana cum ordinario stipendio 120 scutata eroganda erant; addito vero uno *tari* 30 scutata ulterius impenduntur, unde conficitur summa *taxative* expressa in codicillo, nempe 150 scutata. Quamobrem dum in testamento incerta summa pro Missis celebrandis destinabatur, minor vel maior pro diminuto vel aucto Missae stipendio iuxta

temporum adiuncta ; e contra in codicillo *taxativa* assignatur summa, nulla habita ratione augmenti vel diminutionis ordinarii stipendii.

Interea bona legata archipresbytero Pullicino, per successivas alienationes varios nacta sunt possessores qui omnes recognoverunt reale onus Missae quotidianae, sed idem observarunt prouti in testamento fuerat praescriptum, nempe addentes eleemosynae *pro tempore currenti* unum *tari.* Hodie vero eleemosyna synodalis maior est illa quae vigebat tèmpore conditi testamenti vel codicilli, unde hodiernus fundi possessor Gabriel Azzopardi in supplici libello ad S. C. C. dato, quaerit an sibi liceat servare mensuram certam eleemosynae in codicillo constitutae, adeo ut singulo anno pro Missa quotidiana impendere debeat tantum 150 scutata.

Disceptatio Synoptica

Exploratissimi iuris est, testatoris voluntatem desumendam esse ab ultimo suo elogio, quippe hominis voluntas est deambulatoria usque ad extremum vitae spiritum et ea voluntas censetur suprema et irrevocabilis quae postremo testatoris actu significatur et confirmatur. Iure communi ad pleniorem significationem voluntatis heredum admissi sunt codicilli qui, suapte natura, inservirent testatoribus praecipue vel ad confirmanda vel ad revocanda legata in testamento relicta, unde cum communi Reiffenstuel ita definit codicillum : *Codicillus est ultima voluntas sine directa heredis institutione facta, pter quam donationes mortis causa, legata, fideicommissa etiam universalia fieri ac testamenta declarari salvaque heredis institutione immutari, minui et augeri potest» (lib. 3, tit. 26, n. 707).* Unde quin plura alia congerantur iuris momenta in aperto esse videtur, codicilli sententiam favere intentioni Oratoris, nempe impendendi in onus Missarum tantum 150 scutata.

Verum, ex adverso, iniri posset conciliatio codicilli cum testamento, ad vertendo Margaritam non expressisse voluntatem contrariam intentioni in testamento significatae, sed

potius hanc confirmasse assignando summam adamussim respondentem eleemosynae, *tunc* vigenti, cum additione unius *tari* iam determinata. Quamobrem videtur subaudiri iussum iam expressum in testamento, nempe addendi semper certum augmentum eleemosynae *pro tempore* currenti, quando haec augescat. Ceteroquin in femina mirum non est, si facilem non praeviderit immutationem in quantitate eleemosynae, imo eamdem admiserit quasi firmam et stabilem in suo codicillo in quo onera iterum recensuit, melius determinavit atque explicavit.

Praeterea si verba attendantur quibus summa scutatorum 270 assignatur, non dubie apparet, hanc taxationem non eo spectasse ut voluntas testamentaria mutaretur, sed potius ut summa universa sub oculis poneretur tunc temporis ordinata ad pia onera explenda ; piis enim legatis recensitis additur *delV importo in tutto di scudi duecento settanta,* sed immediate ante cautum fuerat *colle rispettive annue assegnazioni, in essa fiducia già dichiarate.* Quocirca iudicabunt EE. PP. an haec loquendi ratio sit satis expressa ad rescindendam praescriptionem in testamento clarissime significatam.

Neque praetermitti debet, consuetudinem, nempe *optimam legum interpretem.* Margaritae supremam voluntatem usque demandasse executioni prouti manifesta fuit in testamento, codicilli nulla habita ratione. Quare in contractibus alienationis semper adiecta est clausula quod fundus, praeter alia, gravatur onere unius Missae perpetuae quotidianae cum eleemosyna, aucta uno *tari* pro tempore currente.

Ob hanc clausulam, fundi pretium in alienatione minus aestimari debuit ; pretium enim minui debuit pro modo auctae vel augendae eleemosynae, nimirum pro graviore onere sibi assumpto ab emptore ; quare si modo huiusmodi onus levius efficiatur, idem determinando ad certam mensuram in codicillo assignatam, venditor ius suum experiri potest augendi nempe pretium pro quantitate diminuti oneris. Haec notat Archiepiscopus in uteris commendationis, aiens : « I

suddetti venditori tutto al più potranno forse avere diritto ad un aumento di prezzo contro l'Oratore, se e quante volte la detta fondazione sarà dichiarata eseguibile ai termini del codicillo ecc. ».

Demum quia in codicillo *taxativam* haberetur legatum, si assumatur haec praescriptio, sequitur necessitas reducendi Missas, in casu nempe, quo ob auctam eleemosynam amplius Missa quotidiana celebrari non posset ea nummorum summa. Reapse S. C. C. in legatis *taocativis* solet facultatem dare Ordinariis reducendi Missas pro mensura auctae eleemosynae. Huc spectat Instructio S. O. C. quae refertur a Bened. XIV *in op. De Syn. Dioec. I. 13, c. ult., n. 32,* hisce terminis « Quomodo autem se gerere debeat in executione quoad legata taxative vel demonstrative concepta, Sanctitas Sua Amplitudini Tuae notificandum iussit, quod mature pensatis ac perlectis dispositionibus et fundationibus quibuscumque, quibus praefata Missarum onera annexa reperiuntur (exceptis instrumentis seu contractibus super quibus manus apponere non debeat, nisi in casu iudicialis instantiae pro illorum rescissione, titulo laesionis) illa legata seu fundationes erunt *taxative* conceptae si fundatores legando aut aliquo modo disponendo, orationem seu dispositionem prius inchoaverint ab assignatione fundi et subinde Missarum onera adiecerint *et hoc casu huiusmodi onera ad rationem eleemosynae manualis ut supra, moderari possint ;* secus vero si fundatores orationem seu dispositionem incoeperint ab impositione oneris et subinde fundum assignaverint ; tunc onus dicitur *demonstrative* conceptum, ac fundatorum heredes per Amplitudinem Tuam cogendi sunt ad perpetuam dicti oneris manutentionem et ad supplendam summam deficientem pro praeterito quam pro futuro tempore ».

Quibus animadversis, quaesitum fuit quod responsum dandum esset precibus.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 8 Maii 1897 censuit esse respondendum: *Nihil esse innovandum.*

ENGOUSMEN. Dubia quoad officia votiva.

Die 22 Februarii 1897.

Beatissime Pater

Capitulum Cathedralis Ecclesiae Engolismensis die 26 Martii 1896, a Sancta Sede obtinuit, propter debilitatem gravemque aetatem Canonicorum, dispensationem ad decennium missae et omnis officii capitularis, exceptis diebus dominicis et festis de praecepto.

Porro quaeritur:

An quisque canonicus privatim recitare possit in simplicibus et diebus ferialibus officia votiva ad libitum concessa, quamvis supradictum Capitulum haec officia capitulariter non admiserit.

Et quatenus negative:

Ioannes Petrus Davant et Iulius Moreau, Canonici, expostulant, propter infirmam eorum valetudinem, facultatem officia supradicta recitandi diebus in quibus conceduntur.

Et Deus etc.

Die 22 Februarii 1897. Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad supradicta dubia respondere censuit prout sequitur:

Ad I°. *Negative.*

Ad 2°. *Attenta infirmitate, benigne commisit Episcopo Engolismensi ut, veris existentibus narratis, facultatem iuxta petita pro suo arbitrio et conscientia gratis impertiri possit et valeat.*

CARD. DI PIETRO *Praef.*

B. ARCHIEP. NAZIANZEN., *Pro-Secretarius.*

EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

RESCRIPTUM, quo Capuccinis extra claustra degentibus aut Itinerantibus, de suorum Superiorum licentia, facultas conceditur confitendi peccata sua cuicumque confessario approbato, ab eoque absolvi etiam a reservatis in Ordine, absque ulteriori obligatione, dummodo desit copia confessariorum.

Die 5 Aprilis 1897.

Beatissime Pater,

Fr. Iucundus a Montonio, Ordinis Minorum s. Francisci Capuccinorum procurator generalis, ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit qualiter generale pro Regularibus Statutum, quo ipsi sua peccata non nisi Confessariis proprii Ordinis confiteri valeant et absolvi, cursu temporis plus minusve mitiga-

tum cernitur, et praesertim quando Regulares extra eorum domus seu Conventus, de licentia Superiorum, degunt vel iter agunt atque copiam Confessariorum sui Ordinis non habent. Quod quidem pro Minoribus Capuccinis factum est primum a Benedicto XIV, Decreto *Quod communi* 20 Martii 1742, deinde a Pio IX f. mem. Decretol *Quod in religionis* die 28 Septembris 1852, qui concessionem Bened. XIV ampliando indulsit ut quilibet Fr. Minor Capuccinus, qui de suorum Superiorum licentia extra Conventum degat, vel iter agat et unum tantum sui Ordinis Confessario habeat secum, libere ac licite sua peccata confiteri possit cuicumque Confessario saeculari vel regulari, rite approbato, ab eoque absolvi etiam a reservatis in Ordine, et ab incursis proinde censuris, *praestita tamen obligatione se statim ut primum licuerit, Superiori suo regulari praesentandi,* atque iterum super casibus et censuris huiusmodi absolutionem ab eo impetrandi. Quod onus vere grave multas practicas difficultates ingerit, et nonnullis dubitationes atque animi anxietates quam facile causare potest, ac etiam, attenta humana fragilitate temporum hominumque malitia, interdum occasio fieri maioris mali. Ceterum huiusmodi onus seu obligatio, quod sciatur, non viget generatim penes alios Regulares Ordines.

Quapropter Orator, de consilio, habitoque voto totius Definitorii generalis, S. V. humiliter et instanter obsecrat, ut de benignitate Apostolica fratribus Minoribus Capuccinis indultum concedere velit, quo quisque ipsorum, qui de suorum Superiorum licentia, quacumque ex causa extra Conventum inveniatur, atque copiam Confessariorum (saltem duos) non habeat, libere peccata sua confiteri possit cuicumque Confessario, rite approbato, ab eoque absolvi etiam a reservatis in Ordine et ab incursis proinde censuris : atque religiosus ita absolutus ultra non teneatur regulari suo Superiori se praesentare ad novam obtinendam super reservatis et censuris absolutionem.

Et Deus....

Ex audientia Sanctissimi habita a me Cardinali Praefecto Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium sub die 5 Aprilis 1897. Sanctitas Sua, attentis expositis, benigne annuit, ac propterea facultatem tribuit P. Ministro generali indulgendi, ut Religiosi sui Ordinis libere peccata sua confiteri possint cuicumque Confessario, rite approbato, in omnibus iuxta preces, dummodo de suorum Superiorum licentia extra claustra degant, vel iter peragant, non autem pro iis qui ex industria vel in fraudem legis itinera arripiant. Contrariis quibuscumque non obstantibus. — Romae.

S. CARD. VANNUTELLI, *Praef.*

L. © S.

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

RESCRIPTUM quo sanatio indulgetur pro omnibus Tertiariis, qui defectu novitiatus anni completi, hucusque invalidam fecerunt professionem.

Die 28 Martii 1897.

Beatissime Pater,

Fr. Aloysius a Parma, Minister Generalis Ordinis Minorum S. Francisci, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, humiliter exponit:

Ex relatione Visitatorum III. Ordinis saecularis S. Francisci constat, haud paucos Tertiarios ad professionem fuisse receptos invalide ob defectum anni novitiatus completi. Nonnullis enim in locis praxis invaluit recipiendi Tertiarios ad professionem eodem quidem mense quo anno praecedenti fuerant recepti ad novitiatum, eodemque etiam die hebdomadis — puta Dominica I* vel II[a], qua adunari solent — sed non eodem die mensis : ex quo evenit, ut multi annum novitiatus non compleverint. Supplicat igitur S. T., ut benigne concedere dignetur sanationem pro omnibus ubicumque terrarum, qui hucusque ex defectu novitiatus anni completi professionem fecere invalidam.

Et Deus-

Vigore specialium facultatum a SS. D. N. Leone PP. XIII tributarum, S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, petitam sanationem benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 30 Martii 1897.

FR. H. M. CARD. GOTTI, *Praef.*

A. ARCHIEP. NICOPOLIT. *Secret.*

EX AEDIBUS VICARIATUS URBIS

DUBIA et resolutiones quoad piam consociationem a *Sancta Familia* **(1).**

Die 30 Martii 1897.

Dubium I. — An ii, qui cum familia quadam mensa communi utuntur et familiariter vivunt, in sociorum numerum adscisci cupientes, sub nomine illius familiae percipi possint?

(1) Recole Vol. XXV, 8 seqq. et 567, Vol. XXVII, 60.

Affirmative, sed in Regesto Parochiali adnotanda sunt nomina et cognomina et circumstantia cohabitationis.

Dubium IL — An ii, quibus societas cum certa' familia non est, ad communes preces domesticas recitandas cuilibet familiae se adiungere possint, et hoc modo indulgentias concessas liberentur?

Affirmative dummodo qui familiae ad recitandas preees consociantur, iam nomen dederint Piae Consociationi.

Dubium III. — An ad indulgentias plenarias et partiales lucriflcandas sufficiat sola adscriptio in tabulas Piae Consociationis?

Provisum in Statutis et Regulis. — Requiritur adscriptio et simul recitatio precum.

Dubium IV. — An ad indulgentias lucrandas Consecrationis formula per parochum rectorem in facie ecclesiae adhibenda sit?

Provisum in Statutis sub n. 5, nempe : Non indigere essentialiter.

Dubium V. — An ad familiam per parochum in ecclesia consecrandam, cunctos domesticos personaliter se sistere opus sit?

Non indigere, si ceteris conditionibus ipsi domestici satisfaciant. Nomina vero domesticorum in Regesto adnotanda sunt.

Dubium VI. — An ad lucrandas indulgentias, per praesentiam solius patrisfamilias vel matresfamilias satisfiat?

Indulgentiae lucrantur a quibus formula recitatur vel preces praescriptae.

Dubium VII. — An parochus, qui est rector in sua parochia, cum domesticis suis Piae Consociationi se adscribere et aggregare queat?

Affirmative.

Dubium VIII. — An parochus, quando senectute vel adversa valetudine confractus, Officia Piae Consociationi coniuncta alii presbytero committit, etiam privilegia et indulgentias a Sede Apostolica parocho concessa, illi presbytero suas vices gerenti delegare valeat?

Affirmative, servatis tamen regulis Iuris Canonici, quoad delegationem.

Datum Romae, ex aedibus Vicariatus, die 28 Martii 1897.

RAPHAEL CHIMENTI

Piae Adsociationis a Sacra Familia Secretarius.

IN

CONSTITUTIONEM APOSTOLICAM

OFFICIORUM AC MUNERUM

DE PROHIBITIONE ET CENSURA LIBRORUM

A LEONE DIVINA PROVIDENTIA PAPA XIII

LATAM

BREVIS COMMENTATIO

IOSEPHUM PENNACCHI

IN COLLEGIO DE PROPAGANDA FIDE HISTORIAE ECCLESIASTICAE PROFESSOREM,
EIUSDEM CONGREGATIONIS ET S. CONGREGATIONIS INDICIS CONSULTOREM,
E COLLEGIO THEOLOGORUM URBIS ETC

PRAELOQUITJM

Saepius actum agere arbitramur, ideoque rem pene inutilem agere, onus probandi suscipere Ecclesiae potestatibus ius intrinsecum inhaerere de librorum, eorum praesertim qui de religione tractant, doctrina decernere, eosque permittere vel prohibere, prout noxia vel innocua et utilia continere iudicaverint

Neque eam quaestionem aggredimur: utrum haec potestas ita competat Ecclesiae, ut privari ab saeculi potestatibus nequeat; exploratum enim esse existimamus nullas rationes suppetere quibus aliqua veri specie privari possit; eiusmodi enim iura ex potestate a Christo ipso facta Ecclesiae pastoribus docendi, praedicandi Evangelium omni creaturae (1), dimanare noscuntur, ex apostolorum sententiis, quibus instruimur, Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis (2) atque a Christo idcirco positos esse pastores et doctores, ne circumferamur omni vento doctrinae in nequitiam hominum ad circumventionem erroris (3); ex eorumdem apostolorum, Pauli praesertim, agendi ratione, qui nedum in suis epistolis ea tradidit quae ad fidei depositum spectant, sed etiam ea quae ad iura Ecclesiam inter et civiles potestates, quae ad hominis naturam sortemque pertinent, quae contra vitia quaeque in virtutibus adipiscendis homines agere debeant. Legenda reapse sunt quae Rom. XIII. de indole et natura potestatis tradit; I. Cor. II. quae de Christianae doctrinae supra ceteras saeculi scientias praestantia: ibid. VI. quaenam de iudiciis litibusque inter christianos, deque quibusnam eligendis iudicibus pro litibus componendis; ibid. VII. quaenam de matrimonio eiusque usu et indissolubili vinculo; Galat. I. quomodo Galatas reprehendat quod ab Evangelio ab se praedicato recesserint; cap. IV. quomodo illos a servitute legis revocare satagat; Ephes. IV. quae tradat de pastorum Ecclesiae officio, et V. de vitiis quibusdam fugiendis, deque mutuis virorum et uxorum obligationibus; I. Timoth. II. quae de precibus per Christianos fundendis pro regibus et magistratibus, ut alia multo plura praetereamus. Cum autem Spiritu Sancto inspirati locuti sint sancti Dei homines, quis

adeo absurdo erit ingenio, ut Ecclesiae eam velit potestatem abrogare, quam ipse Deus ei concredidit?

Atque ea quae Ecclesiae Pastores per continentem saeculorum seriem hac in re gesserunt in praesentiarum silentio praeterimus.

Exinde vero proferre eam sententiam nolumus, qua statuatur, nullam saeculi principibus competere in noxios libros agendi facultatem; cum enim ipsi nedum temporale, sed etiam spirituale subditorum bonum promovere debeant infra limites sibi praescriptos, ea agere tenentur, quibus mala caveantur, bona vero procurentur atque augeantur; quae inter bona ultimum non occupare locum noxios libros e subditorum manibus eripere bonosque subrogare nemo est qui nesciat.

Id ergo unum affirmare voluimus, non pertinere de iis quae ad religionem fidemque pertinent principibus saecularibus propria auctoritate decernere, sed unice spectare ad eos Ecclesiae Pastorum, Romanique Pontificis praesertim, iudicia amplecti et exequi, in iisque eorum auctoritati omnimodis sese committere. Plurima enim argumentorum serie posthabita, historiarum documentis novimus quot mala principes saeculares Ecclesiae intulerint, regnisque suis, cum legem et dogmata Ecclesiae sancire voluerunt.

Atque gravissimum de hac veritate documentum legitur in Concilio Tolosano anni 1229, quo Capitulo VII. quamvis gravissime puniantur Bailli vi, id est ii quibus iustitiae in provinciis et maioribus civitatibus administrandae cura a principe demandata erat, nisi haereticos persequerentur et eiicerent, prohibet tamen, quominus quemquam persequantur nisi fuerit ab Ecclesia ut haereticus iudicatas: Ne autem *innocentes pro noeentibus puniantur, aut quibuslibet per aliquorum calumniam haeretica pravitas impingatur; statuimus ne aliquis ut credens vel haereticus puniatur, nisi per Episcopum loci, vel aliquam personam ecclesiasticam, quae potestatem habeat, fuerit credens vel haereticus iudicatus.* Cap. VIII. Mansi XXIII. 195.

Iis ergo manere alta mente repostum debere, non Tiberio, aut Herodi dixisse Christum *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (4), neque principum saecularium magistratibus apostolorum Principem praecepisse: *Paseite qui in vobis est gregem Dei* (5). Si autem solius Ecclesiae est dogmata sancire atque gregibus sibi concreditis pascua praebere, solius erit Ecclesiae

de iis libris iudicium ferre, quae de religionis dogmatibus tractant; aliorumque omnium officium erit, debitam Ecclesiae iudiciis obedientiam praestare.

De exercita ab Ecclesia per continentem saeculorum seriem potestate libros iudicandi, multa quidem proferenda forent; verum qui haec nosse desiderat, adeat S. Alphonsum de Ligorio. *Lib. 1. Tract. II. de Legibus.* Appendix III, *De iusta prohiba, et abolitione libror. vetitae lectionis.* Franciscum Antonium Zaccaria *Storia Polemica della proibizione dei libri.* D. Bouix *Tractatus de Curia Romana,* Sectio III. *De Auctoritate SS. Congregationum Indieis et Inquisitionis.* Augustinum Arndt S. I. *De Libris prohibitis Commentarii* 1895.

Nos ad ipsam Constitutionem Apostolicam referendam, eamque brevibus Commentares illustrandam progredimur.

Lectores tamen nostros antea monere ducimus, nos hisce in Commentariis inserturos esse tum quaestiones aut dubia quaelibet S. Congregationi Indicis proposita, atque datas inde solutiones et responsa; tum quaestiones et dubia quae nobis ipsis dirimenda exhibita fuere. Quae vero in posterum proponentur, separato folio esse daturos.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE PROHIBITIONE ET CENSURA LIBRORUM

LEO EPISCOPUS

Servus Servorum Dei
ad perpetuam Rei Memoriam.

Officiorum ac munerum, quae diligentissime sanctissimeque servari in hoc apostolico fastigio oportet, hoc caput atque haec summa est, assidue vigilare atque omni ope contendere, ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat. Idque, si umquam alias, maxime est necessarium hoc tempore, cum, effrenatis licentia ingeniis ac moribus, omnis fere doctrina, quam Servatur hominum Iesus Christus tuendam Ecclesiae suae ad salutem generis humani permisit, in quotidianum vocatur certamen atque discrimen. Quo in certamine variae profecto atque innumerabiles sunt inimicorum calliditates artesque nocendi; sed cum primis est plena periculorum in temperantia scribendi, disseminandique in vulgus quae prave scripta sunt. Nihil enim cogitari potest perniciosius ad inquinandos animos per contemptum religionis perque illecebras multas peccandi (6). Quamobrem tanti metuens mali, et incolumitatis fidei ac morum custos et vindex Ecclesia, maturrime intellexit remedia contra eiusmodi pestem esse sumenda : ob eamque rem id perpetuo studuit, ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberet. Ve-

hemens hac in re studium beati Pauli viderunt proxima originibus tempora (7) : similique ratione perspexit sanctorum Patrum vigilantiam, iussa Episcoporum (8), Conciliorum decreta (9), omnis consequens aetas.

Praecipue vero monumenta litterarum testantur, quanta cura diligentiaque in eo evigilaverint Romani Pontifices, ne haereticorum scripta, malo publico, serperent. Plena est exemplorum vetustas. Anastasius I scripta Origenis perniciosiora (10), Innocentius I Pelagii (11), Leo magnus Manichaeorum opera omnia (12), gravi edicto damnavere. Cognitae eadem de re sunt litterae *decretales* de recipiendis et non recipiendis libris, quas Gelasius opportune dedit (13). Similiter decursu aetatum, Monothelitarum (14), Abaelardi (15), Marsilii Patavini (16), Wielen! et Hussii (17) pestilentes libros sententia apostolicae Sedis confixit.

Saeculo autem decimoquinto, comperta arte nova libraria (18), non modo in prave scripta animadversum est, quae lucem aspexissent, sed etiam ne qua eius generis posthac ederentur, caveri coeptum. Atque hanc providentiam non levis aliqua causa, sed omnino tutela honestatis ac salutis publicae per illud tempus postulabat ; propterea quod artem per se optimam, maximarum utilitatum parentem, christianae gentium humanitati propagandae natam, in instrumentum ingens ruinarum nimis multi celeriter deflexerant. Magnum prave scriptorum malum, ipsa vulgandi celeritate maius erat ac velocius effectum. Itaque saluberrimo consilio cum Alexander VI, tum Leo X decessores Nostri certas tulere leges, utique congruentes iis temporibus ac moribus, quae officinatores librarios in officio continerent (19).

Mox graviore exorto turbine multo vigilantius ac fortius oportuit malarum haereseon prohibere contagia. Idcirco idem Leo X, posteaque Clemens VII gravissime sanxerunt, ne **cui** legere, neu retinere Lutheri libros fas esset (20). Cum vero pro illius aevi infelicitate crevisset praeter modum atque in omnes partes **pervasisset perniciosorum librorum impura colluvies**, ampliore ac praesentiore remedio opus esse videba-

tur. Quod quidem remedium opportune primus adhibuit Paulus IV decessor Noster, videlicet elencho proposito scriptorum et librorum, a quorum usu cavere fideles oporteret (21). Non ita multo post Tridentinae Synodi Patres gliscentem scribendi legendique licentiam novo consilio coercendam curaverunt. Eorum quippe voluntate iussuque lecti ad id praesules et theologi non solum augendo perpoliendoque Indici, quem Paulus IV ediderat, dedere operam (22), sed Regulas etiam conscripsere, in editione, lectione, usuque librorum servandas ; quibus Regulis Pius IV apostolicae auctoritatis robur adiecit (23).

Verum salutis publicae ratio, quae Regulas Tridentinas initio genuerat, no vari aliquid in eis, labentibus aetatibus, eadem iussit. Quamobrem Romani Pontifices, nominatimque Clemens VIII, Alexander VII, Benedictus XIV gnari temporum et memores prudentiae plura decrevere, quae ad eas explicandas atque accommodandas tempori valuerunt (24).

Quae res praeclare confirmant, praecipuas Romanorum Pontificum curas in eo fuisse perpetuo positas, ut opinionum errores morumque corruptelam, geminam hanc civitatum labem ac ruinam, pravis libris gigni ac disseminari solitam, a civili hominum societate defenderent. Neque fructus fefellit operam, quamdiu in rebus publicis administrandis rationi imperandi ac prohibendi lex aeterna praefuit, rectoresque civitatum cum potestate sacra in unum consensere (25).

Quae postea consecuta sunt, nemo nescit. Videlicet cum adiuncta rerum atque hominum sensim mutavisset dies, fecit id Ecclesia prudenter more suo, quod, perspecta natura temporum, magis expedire atque utile esse hominum saluti videretur. Plures Regularum Indicis praescriptiones, quae excidisse opportunitate pristina videbantur, vel decreto ipsa sustulit, vel more usuque alicubi invalescente antiquari benigne simul ac provide sivit (26). Recentiore memoria, datis ad Archiepiscopos Episcoposque e principatu pontificio litteris, Pius IX Regulam X magna ex parte mitigavi t (27). Praeterea, propinquo iam Concilio magno Vaticano, doctis viris

ad argumenta paranda delectis, id negotium dedit, ut expenderet, atque aestimarent Regulas Indicis universas, iudiciumque ferrent, quid de iis facto opus esset. Illi commutandas, consentientibus sententiis, iudicavere (28). Idem se et sentire et petere a Concilio plurimi ex Patribus aperte profitebantur, Episcoporum Galliae extant hac de re litterae, quarum sententia est, necesse esse et sine cunctatione faciendum, ut *illae Regulae et universa res Indicis novo prorsus modo nostrae aetati melius attemperato et observatu faciliori instaurarentur* (29). Idem eo tempore iudicium fuit Episcoporum Germaniae, plane petentium ut *Regulae Indicis... recenti revisioni et redactioni submittantur* (30). Quibus Episcopi concinunt ex Italia aliisque e regionibus complures (31).

Qui quidem omnes, si temporum, si institutorum civilium, si morum popularium habeatur ratio, sane aequa postulant et cum materna Ecclesiae sanctae caritate convenientia. Etenim in tam celeri ingeniorum cursu, nullus est scientiarum campus, in quo non litterae licentius excurrant ; inde pestilentissimorum librorum quotidiana colluvies. Quod vero gravius est, in tam grandi malo non modo connivent, sed magnam licentiam dant leges publicae. Hinc ex una parte, suspensi religione animi plurimorum : ex altera, quidlibet legendi impunita copia.

Hisce igitur incommodis medendum rati, duo facienda duximus, ex quibus norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat. Videlicet librorum improbatae lectionis diligentissime recognosci Indicem; subinde maturum cum fuerit, ita recognitum vulgari iussimus. Praeterea ad ipsas Regulas mentem adiecimus, easque decrevimus, incolumi earum natura, efficere aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit (32). In quo non modo exempla sequimur decessorum Nostrorum, sed maternum Ecclesiae studium imitamur; quae quidem nihil tam expetit, quam se impertire benignam, sanandosque ex se natos ita

semper curavit, curat, ut eorum infirmitati amanter studioseque pareat.

Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e Sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta generalia* statuimus, quae infra scripta, unaque cum hac Constitutione coniuncta sunt; quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant (33). Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrosanctae Tridentinae Synodi iussu editis, *Observationibus, Instructione, Decretis, Monitis,* et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto iussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV *Sollicita et provida,* quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus (34).

DECRETA GENERALIA

De Prohibitione et Censura Librorum (38).

TITULUS I.

De Prohibitione Librorum.

CAPUT I.

De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.

1. Libri omnes, quos ante annum MDC. aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et qui in Novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia permittuntur (39).

2. Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur (40).

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri (41).

4. Libri eorumdem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint (42).

CAPUT II.

De Editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur (43).

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae (44).

CAPUT III.

De Versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus (45).

8. Interdicitur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur : iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt (46).

CAPUT IV.

De Libris obscenis.

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur (47).

10. Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii et magisterii ratio excusat : nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt (48).

CAPUT V.

De quibusdam specialis argumenti libris.

11. Damnantur libri, in quibus Deo, aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae eiusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt (49).

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur, vel commendantur (50).

13. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur (51).

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis eiusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur (52).

CAPUT VI.

De Sacris Imaginibus et Indulgentiis.

15. Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur (53).

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae iam fuerint, de manibus fidelium auferantur (54).

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia (55).

CAPUT VII.

De libris liturgicis et precatoriis.

18. In authenticis editionibus Missalis-, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum., Pontificalis Romani,

aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat : si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur (56).

19. Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de Beata Virgine, quae in Sacra Aede Lauretana decantari solent, et Litanias Sanctissimi Nominis Iesu iam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii (57).

20. Libros, aut libellos precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur (58).

CAPUT VIII.

De Diariis, foliis et libellis periodicis.

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere (59).

22. Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet (60).

CAPUT IX.

De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates (61).

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Con-

gregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema S. Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro (62).

25. Episcopi aliique Praelati iurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant (63).

26. Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico Indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant (64).

CAPUT X.

l)e denunciatione pravorum librorum.

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicae Sedi denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium (65).

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad neri potest, causae exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, •-denuncian tium nomina secreta servare (66).

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros, aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad apostolicum iudicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur (67).

TITULUS II.

De Censura Librorum.

CAPUT I.

De Praelatis librorum censurae praepositis.

30. Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n. 7) statuta sunt (68).

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere ; quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id numquam fiet, nisi obtenta prius Sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis (69).

32. Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae, publicari nequeunt (69).

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum ; hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis (70).

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta Sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent (71).

35. Approbatio librorum quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici iuris fiunt (71).

36. Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur (72).

37. Si auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur (73).

CAPUT II.

De Censorum Officio in praevio librorum examine.

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem (74).

39. De variis opinionibus atque sententiis (iuxta Benedicti XIV praeceptum) animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant, Ecclesiae Sanctae dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant (75).

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat (76).

CAPUT III.

De libris praeviae censurae subiciendis.

41. Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui Divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam Ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit (77).

42. Viri e Clero saeculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis, publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant (78).

CAPUT IV.

De Typographis et Editoribus librorum.

43. Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit (79).

44. Noverint Typographi et Editores librorum, novas eiusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari (80).

45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma (81).

46. Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo

tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant: coeteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti (82).

CAPUT V.

De poenis in Decretorum Generalium trans gr essor es statutis.

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam (83).

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam (84).

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur (85).

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo umquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus ; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum, exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitu-

tum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. — Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae , apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagésimo septimo, VIII. Kalendas Februarias, Pontificatus Nostri decimo nono (1).

A. CARD. MACCHI

A. PANICI Subdatarius

VISA

DB CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco >$i *Plumbi*

Reg. in Secret. Brevium

I. CUGNONIUS

(1) Computantur anni ab Incarnatione Dominica, cuius initium sumitur a die 25 Martii.

COMMENTARIUM

{Notae respondent numeris textui insertis).

(1) Matth. XXVIII. 19.
(2) 1. Timoth. III. 15.
(3) Ephes. IV. 14.
(4) Ioan. XXI. 15. 17.
(5) 1. Petr. V. 2.

(6) Merito Summus Pontifex a principio de malis queritur, quae perniciosi libri tum fidei, tum morum inferunt honestati. Ipse Pius Papa IX anno 1846 in ep. encyclica *Qui pluribus* eadem mala lamentatur; *teterrima,* scribens, *tot undique violantium et peccare docentium voluminum ac libellorum contagio, qui apte compositi, acfallaciae et artificii pieni, immanibusque sumptibus per omnia loca in christianae plebis interitum dissipati, pestíferas doctrinas ubique disséminant, ineautorum potissimum mentes animosque dépravant, et maxima Religioni inferunt nocumenta.* Has autem querelas renovavit die 20 Iunii 1868, quo per Bullam *Aeterni Patris* Concilium Vaticanum indixit. Etenim inter alia queritur de *impiis omnis generis libris, ac pestiferis ephemeridibus undique diffusis.* (Ap. Cecconi. *Storia del Concilio Vaticano* Tom. 1. pag. 385. *Acta et Decreta Concilii Vaticani* pag. 3). Sed praetermissis catholicorum hominum testimoniis, ea audire praestabit quae anno 1730 haereticus Abraham Le Moine de malis scripsit, quae perniciosi Libri in Anglia intulerunt: *Libri huiusmodi cum ineidissent in manus geritis innumerae, malum peperere infinitum. Et eo magis quo prima facie exornati apparent ex fine et ratione laudabili. Contra ineredulitatem quae se palam prodit quisque se vertit. Sed auctores isti Angli sub specie deferendi evangelicam veritatem, difficultatibus suis eiusdem fundamenta submovent, ac principia diruunt, nihilque omittunt quo eiusdem argumenta reddant valde suspecta. Virus evomunt, eo magis lethale, quo subtilius et magis abditum. Diu inde dementati homines bibunt; nihil autem ibi vident quia nihil suspicantur. Vellicationes etiam ac eruditiones miscent ut melius visco abliniant. Et quoniam de-*

leetat novitas, et exigua est religionis instructio, inclinatio vero ad pravitatem nimia, non est mirum, si libri huiusmodi spiritum ac corda peroertant illorum qui incaute perlegunt Sermo incredulorum /erit, lectores implicantur, egrediuntur serupuli, et tandem fiunt increduli inopinato. Efiraena inde mentis libertas immoderatam necessario ac irresistibilem creat cordis licentiam: haec passionibus indulget, ac vitiorum dilatat imperium. Hinc vere dici potest, magnam hanc civitatem (Londinum) *numquam magis fuisse depravatam, sicut est hodie. Et quidem pene Status omnes Europaei, et regna, nimis infelieiter conspieiuntur infecta; sed essent absque dubio amplius, si esset in illis libertas, quae in nobis est, cogitandi, scribendi ac legendi.* Ap. Ligorium *Lib. I. Tract. II. de Legib.* Appendix *III. De iusta prohiba, et abolitione libror. vetitae lectionis.* Cap. I. n. IV.

Argumenta, quibus pravorum librorum lectione deterreantur universi, ex S. Ligorio *loc. cit.* et ex Francisco Antonio Zaccaria *op. cit.* a cl. Bouix in compendium rediguntur. Petuntur autem I°. Ex generali hominum proclività te ad sese accommodandum doctrinis et moribus eorum quibuscum versantur ac colloquantur. Sed pravos legere libros idem est ac cum pravis eorum auctoribus conversari; imo multo periculosius, cum verba scripta legentis animum magis excitent feriantque. 2°. Quia libri quoddam magisterium exercent, cuius auctoritati lectores plerumque cedere solent. 3°. Quia pravi libri de se apti sunt ad subvertendam fidem et mores. 4°. Quia lectores plurimi ea scientia animique virtute carent, quae necessaria est ad pravos libros legendos sine perversionis periculo. 5°. Quia experientia constat, plurimos in haereses atque apostasiam proruisse ob unam pravorum librorum lectionem. Atque exemplo sint, saeculo II Ecclesiae, Bardesanes; saeculo III plurimi illi christiani, qui ex lectione librorum Nepotis Aegyptii Episcopi errores millenariorum amplexi sunt, atque Manes, ex quo Manichaeorum secta; saeculo IV Hispania et Gallia Narbonensis quae haeresim Priscilliani ex libris ibi divulgatis susceperunt; saeculo V Eutyches ob lectionem cuiusdam Manichaeorum libri in haeresiarcham commutatus; ceteros multo plures silentio praeterimus. Cf. Zaccariam et Bouix Opp. cit.

7. Ex actis, et Paulo Apostolo sequentia testimonia producimus: *Multi autem ex eis qui fuerant curiosa, sectati,- contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus* Act. XIX. 19.

O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae. I. Tim. VI. 20.

Profana autem et vaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit. II. Tim. II. 16. 17.

8. Patrum agendi ratio atque sententiae, ut etiam Episcoporum iussa et iudicia, legantur penes iam allegatos Ligorium atque Zaccariam. Nos unum vel alium afferemus. Cyprianus ad Cornelium Papam scribit: *Si quando talia quorumdam calumniosa temeritate conscripta sunt, legi apud nos non patimur.* P. L. III. 728.

Cum defensores Origenis affìrmarent, magni viri scripta ab haereticis depravata fuisse, neque decere bona aeque ac mala damnare, tradit Sulpicius Severus *Dialog. I. n. VI.* Theophilum Alexandrinum Episcopum cum suis suffraganeis statuisse, omnia esse damnanda. *Adversum haec Episcopi obstinatius renitentes, pro potestate cogebant recta etiam universa cum pravis, et cum ipso auctore damnare, quia satis superque sufficerent libri, quos Ecclesia recepisset; respuendam esse penitus lectionem, quae plus esset nocitura insipientibus, quam sapientibus profutura.* P. L. XX. col. 188. At exinde nemo concludat, damnatos errores esse Origeni tribuendus.

9. Exordiri possumus a Concilio Nicaeno I (an. 325), a cuius Patribus damnatos fuisse Arii libros tradit Nicephorus Callixtus Hist. Eccl. lib. VIII. cap. 18. *Thaliam.... ac praeterea si quod aliud eius aut seetatorum eius inveniretur scriptum, ut id igni mandaretur edixit.* P. G. Tom. 146, col. 74.

In Concilio Chartaginiensi IV, quod celebratum ponitur anno 398, sancitum Can. XVI legimus: *Episcopus gentilium libros non legat, haereticos autem pro necessitate et tempore.* Mansi III. 952.

In Concilio Ephesino oecumenico (431) proscriptos fuisse Nestorii libros scribit Liberatus in Breviario, cap. X. *Nestorii sectatores videntes libros illius blasphemos non posse proferri in publicum, eo quod Synodo Ephesina anathematis ante fuerunt condemnati, et imperiali lege prohibitum fuerat ne quis eos legere auderet, aut defendere.* P. L. Tom. 68. coli. 989-90. Universis vero notum est, in Concilio V (an. 553) damnata fuisse scripta Theodori Mopsuestiae Episcopi, Theodoriti Cirensis et hi-

storici celeberrimi contra S. Cyrillum Aìexandr. atque Ibae Edessae Episcopi epistolam ad Marim Persam, quae veniunt sub nomine trium Capitulorum. « Praedicta igitur tria Capitula anadíe-
le matizamus, id est Theodorum impium Mopsuestenum cum ne-
« fandis eius conscriptis, et quae impie Theodoretus conscripsit,
« et impiam epistolam quae dicitur Ibae et defensores eorum». Mansi IX. 376.

In Concilio VI (an. 680) actione XIII de Monothelitarum scriptis decretum fuit esse igni tradenda. *Et praevidimus protema et animae perniciosa continuo ob perfectum exterminium igne concremari. Et combusta sunt.* Mansi XI. 582.

Ceteris praetermissis, in Concilio Constantiensi anno 1414 congregato, damnatos fuisse libros Wicleff et Ioannis Hus neminem latet. Atque de illo sess. XIII legimus. *Propterea in nomine Domini nostri Iesu Christi haec sancta Synodus sententias praedictorum Archiepiscoporum, ac Concilii Romani* (anno 1413 per Ioannem XXIII celebrati) *ratificans, et approbans, praedictos articulos, et eorum quemlibet, libros eiusdem* dialogum *et* trialogum *per eundem Ioannem Wicleff nominatos, et alios eiusdem auctoris libros, volumina, tractatus, et opuscula, quocumque nomine censeantur, quos hic haberi vult pro sufficienter expressis, hoc perpetuo decreto reprobat ei condemnat, et eorumdem librorum et cuiuslibet ipsorum lectionem, doctrinam, expositionem, et allegationem, nisi ad eorum reprobationem, omnibus Christifidelibus prohibendo, inhibemus omnibus et singulis catholicis sub anathematis interminatione, et ne de cetero dietos articulos, vel ipsorum aliquem audeant publice praedicare, dogmatizare, tenere, vel quomodolibet allegare, nisi ad eorum reprobationem, ut dictum est. Iubens illos libros et tractatus, volumina et opuscula praelibata publice concremari, prout decretum fuerat in Synodo Romana.* Mansi XXVII. 634. De libris vero Ioannis Hus statuit: *Libros praedictos, et doctrinam, et singulos illius tractatus, et opuscula, in latino, sive vulgari* Bohémico *per ipsum editos, aut in quocumque alio idiomate per alium, vel cdios, translatos, haec sacrosancta Synodus reprobat atque condemnat, ipsos comburendos publice et solemniter in praesentia Cleri et populi in civitate* Constantiensi *et alibi, decernit, et diffinit; adiiciens propter praemissa omnem eius doctrinam merito esse et fore suspectum de fide, et ab omnibus Christifidelibus evitandam;*

et ut de medio Ecclesiae illa perniciosa doctrina eliminetur, haec Sacrosancta Synodus prorsus iubet, per locorum Ordinarios, tractatus et opuscula huiusmodi per censuram ecclesiasticam, etiamsi opus fuerit, cum adiectione poenae et fautoriae haeresis, diligenter inquiri, et repertos ignibus publice concremari. Si quis autem huius sententiae ac decreti violator aut contemptor extiterit, statuit eadem Sancta Synodus, per locorum Ordinarios, et Inquisitores haereticae pravitatis, contra talem vel tales, veluti suspectum, vel suspectos de haeresi, procedendum,. Mansi XXVII. 752. 753.

Post haec; Ecclesiae potestatem competere noxios proscribendi libros constat Scripturarum testimonio, Patrum sententia Conciliorum facto, antiquissima et constanti consuetudine. Hanc vero consuetudinem ipse Lutherus fassus est, dum ad Spalatinum scripsit. *Est veteris exempli et antiqui moris infectos et improbos codices comburendi, quemadmodum legimus in actis Apostolorum.*

10. Id Anastasius Romae egit anno 400, vel 401, ut ipse testatur in Ep. ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum, qua dicit § II. *Conventus litteris memorati, convenio Sanctitatem tuum, ut sicut nos in urbe Roma positi.... damnavimus.... illud quidquid ut fidei nostrae contrarium ab Origene quondam scriptum, indicavimus a nobis esse alienum atque punitum. Quaedam capitula blasphemiae obtulit, quae nos non solum horruimus, et indicavimus, verum et si qua, alia sunt ab Origene exposita, cum suo auctore pariter a nobis scias esse damnata.* Migne P. L. XX. 74. 75. 76.

11. Cum africani Episcopi timerent, ne haeresis Pelagiana universam Africam, et propemodum orbem inflceret, ad Innocentium I. R. Pontificem anno 417 Pelagii librum misere, ut illum anathemate percelleret. Quod Innocentium perfecisse ipsemet respondet Ep. 31. n. 5. *Librum sane, qui eius esse diceretur, nobis a vestra charitate transmissum evolvimus: in quo multa contra Dei gratiam legimus esse conscripta, multa blasphéma, nihil quod placeret, nihil pene quod non penitus displiceret, a quovis damnandum atque calcandum, cuius similia, nisi qui ista scripserat, nemo alter in mentem reciperet atque sentiret.* P. L. XX. 596.

12. Testatur id Prosper Aquitanus in Chronico ad annum 443, n. 749 scribens: *Hoc tempore plurimos Maniehaeos intra*

urbem latere diligentia Papae Leonis innotuit, qui eos de secretis suis erutos et oculis totius Ecclesiae publieatos omnes *dogmatis sui turpitudines et damnare fecit et prodere; incensis eorum codicibus, quorum magnae moles fuerant intereeptae. Quae cura viro sancto divinitus ut apparuit inspirata, non solum Romanae urbi, sed etiam universo orbi plurimum profuit. Siquidem confessionibus in urbe capturum, qui doctores eorum, qui episcopi, quive presbyteri, in quibus provinciis vel civitatibus degerent, patefactum est. Multique orientalium partium sacerdotes, industriam apostolici Rectoris imitati sunt.* P. L. Tom. LI. col. 600.

13. Habentur eiusmodi Gelasii Decreta P. L. Tom. LIX. 158 et 162 et apud Mansi VIII. 146, 150. Ultimam partem referimus decreti de libris non recipiendis, quod inscribitur: *Notitia librorum apoehryphorum qui non recipiuntur.*

« Haec et omnia his similia, quae Simon Magus, Nicolaus, « Cerinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosa- « tenus, Photinus et Bonosus, et qui simili errore defecerunt; « Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus, Apol- « linaris, Valentinus, sive Manichaeus, Faustus, Africanus, Sa- « bellius, Arius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabbatius, « Callistus, Donatus, Eusthatius, Iovianus, Pelagius, Iulianus « Eclanensis, Caelestinus, Maximinus, Priscillianus ab Hispania, « Nestorius Constantinopolitanus, Maximus, Unicus, Lampetius, « Dioscorus, Eutyches, Petrus et alius Petrus, e quibus unus « Alexandriam, alius Antiochiam maculavit; Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis; nec non et omnes hae- « resiarchae, eorumque discipuli, sive schismatici, docuerunt « vel conscripserunt quorum nomina minime retinentur; non « solum repudiata, verum etiam ab omni Romana, catholica « et apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus « auctorumque sequacibus sub anathematis indissolubili vinculo « in aeternum confitemur esse damnata ». P. L. LIX. 164.

14. Inter Romanos Pontifices qui monotheliticum errorem proscripsere eminent Martinus I. atque S. Agatho ; ille quidem tum in variis epistolis, tum praesertim in Concilio Lateranensi anno 649 celebrato; hic in epistola Synodica ad Patres Concilii sexti atque ad Constantinum Imperatorem Pogonatum, quae lectae fuerunt, Actione IV. Mansi XI. 234.

Unius Martini verba referimus, qui Canone XVIII san ei-

vit: « Si quis secundum Sanctos Patres consonanter nobis pa- « riterque fide non respuit et anathematizat anima et ore omnes, « quos respuit et anathematizat nefandissimos haereticos cum « omnibus impiis eorum conscriptis usque ad unum apicem « sancta Dei Ecclesia catholica et apostolica.... hoc est Theo- « dorum quondam Episcopum Pharanitanum, Gyrum Alexan- « drinum, Sergium Constantinopolitanum, vel eius successores « Pyrrhum et Paulum, in sua perfidia permanentes, et omnia « impia illorum conscripta, et eos qui similia cum illis usque « in finem obstinate sapuerunt, aut sapiunt, vel sapere spe- « rantur, hoc est, unam voluntatem et unam operationem dei- « tatis et humanitatis Christi, et super haec impiissimam ecthe- « sim, quae persuasione eiusdem Sergii facta est ab Hera elio « quondam imperatore adversus orthodoxam fidem, unam Chri- « sti Dei voluntatem et unam ex concinnatione definientem ope- « rationem venerari; sed et omnia quae pro ea impie ab eis « scripta vel acta sunt; et cum illis denuo scelerosum typum, « qui ex suasione praedicti Pauli nuper factus est a serenissimo « principe Constantino imperatore contra catholicam Ecclesiam, « utpote duas naturales voluntates et operationes, divinam et « humanam, quae a Sanctis Patribus in ipso Christo Deo vero « et Salvatore nostro pie praedicantur, cum una voluntate et « operatione, quae ab haereticis impie in eo veneratur, pariter « denegare et taciturnitate constringi promulgantem, et pro- « pterea cum sanctis Patribus et scelerosos haereticos ab omni « reprehensione et condemnatione iniuste liberari definientem, « in amputationem catholicae Ecclesiae definitionum, seu re- « gulae. Si quis igitur, iuxta quod dictum est, consonanter « nobis omnia haec impiissirna haereseos illorum dogmata, et « ea quae pro illis, aut in definitione eorum a quolibet impie «conscripta sunt, et denominatos haereticos, Theodorum di- « cimus, Cyrum et Sergium, Pyrrhum et Paulum non re- « spuit et anathematizat.... huiusmodi condemnatus sit ». Mansi X. 1158-1159.

15. Plurimi fuerunt Petri Abaelardi errores. Inter alios:

a) Quod Pater sit plena potentia, Filius quaedam potentia, Spiritus Sanctus nulla potentia.

b) Quod Spiritus Sanctus non sit de substantia Patris aut Filii.

c) Quod Spiritus Sanctus sit anima mundi.

d) Quod Christus non assumpsit carnem, ut nos a iugo diaboli liberaret.

e) Quod nec Deus et Homo, neque haec persona quae Christus est, sit tertia persona in Trinitate.

/) Quod non contraximus culpam ex Adam, sed poenam tantum, etc. Mansi XXI. 568.

At Innocentius II. R. Pontifex, universos Abaelardi errores proscripsit, ut patet ex eius epistola ad Henricum Episcopum Senonensem, Raynaldum Rhemensem, et S. Bernardum Claravallensem -Abbatem anno 1140 conscripta. « Nos.... commu« nicato fratrum nostrorum Episcoporum Cardinalium consilio, « destinata Nobis a vestra discretione capitula, et universa ipsius « Petri dogmata, sanctorum Canonum auctoritate, cum suo au« ctore damnavimus, eique tanquam haeretico perpetuum silen« tium imposuimus. Universas quoque erroris sui sectatores « et defensores, a fidelium consortio sequestrandos et excom« municationis vinculo innodandos esse censemus ». Mansi XXI. 565.

Deinde vero Rhemensi, Senonensi, et eidem S. Bernardo mandavit ut tum Abaelardi tum Arnaldi de Brixia libri flammis traderentur: «Per praesentia scripta Fraternitati Vestrae man« damus, quatenus Petrum Abaelardum et Arnaldum de Brixia, «perversi dogmatis fabricatores, et catholicae fidei impugnato« res, in religiosis locis, ubi vobis melius visum fuerit, separa« tim faciatis includi, et libros erroris eorum, ubicumque reperti « fuerint, igne comburi ». Mansi, ibid.

16. Marsilii Patavini errores per summa capita retulit Natalis ab Alexandro in E. H. Saec. XIII et XIV, Art. III; inter alia docuit.

a) Christum in coelos ascendentem nullum in Ecclesia visibile caput constituisse, nullum Vicarium reliquisse.

b) Ad Imperatorem spectare Pontifices instituere, deturbare ac punire.

c) Imperatorem succedere Pontifici, et Ecclesiam, Sede vacante, regere posse.

d) Sacerdotes omnes, sive Pontifices, sive Episcopos, sive simplices Presbyteros ex institutione Christi esse aequalis auctoritatis; quod autem unus ampliorem alio potestatem habeat, id Imperatori acceptum ferre; qui ut liberaliter concedit, ita revocare pro libito potest.

e) Penes principem esse iudicium de capacitate promovendorum ad Sacros Ordines, nec Episcopo fas esse quemquam absque ipsius auctoritate promovere etc. etc.

Verum Ioannes XXII, X Kal. Novembris Pontificatus sui anno XII, id est, die 22 Octobris an. 1327, Marsilii Patavini enumeratus antea atque confutatos errores proscripsit in Constit, incip. *Licet iuxta doctrinam Apostoli,* quam recitat Raynaldus ad an. 1327, n. XX; Antonius autem Zaccaria et recitat et doctis illustrat adnotationibus in Op. cit. pag. 93. Haec autem statuit Pontifex: « (Praedictos articulos) veluti S. Scripturae con« trarios, et fidei catholicae inimicos, haereticos, seu haereticales « et erróneos; nec non et praedictos Marsilium et Iohannem (Ian« dunium) haereticos, imo haeresiarchas fore manifestus et no« torios sententialiter declaramus, articulosque ac librum prae« dictos, nec non quamcumque aliam Scripturam continentem «eosdem; praedictos quoque Marsilium et Iohannem ut hae« reticos manifestus et notorios, imo ut haeresiarchas potius re« probamus, et sententialiter condemnamus. Si quis enim do« ctrinam praedictam defendere vel adprobare praesumpserit, « cuiuscumque dignitatis, ordinis, aut status, tamquam haereti« cus ab omnibus confutetur ».

17. Nedum a Patribus Concilii Constantiensis, sed etiam a Martino V Wicleffii, Hussii, et Hieronymi Pragensis libros fuisse damnatos constat ex eius Bulla *Inter cunctas* anno 1418 lata, qua inter alia § 4 legimus: « Per apostolica scripta committi« mus et mandamus, quatenus vos Archiepiscopi, et Episcopi, « ac Electi et quilibet vestrum per se, seu alium, vel alios, quos « graves et idoneas personas spiritualem iurisdictionem haben« tes esse volumus, omnes et singulos cuiuscumque dignitatis, « officii, praeeminentiae, status vel conditionis existant, et qui« buscumque nominibus censeantur, qui de praeexcelso, salutifero « et supermirabili Sacramento Corporis et Sanguinis Domini « nostri Iesu Christi, vel de baptismate, seu peccatorum con« fessione, poenitentiae pro peccatis iniunctione, vel reliquis ec« clesiasticis Sacramentis, seu fidei articulis, aliter sentire, aut « docere, quam Sacrosancta Romana Ecclesia et universalis do« cet, praedicat et observat, aut articulos seu libros, et doctri« nas praefatorum haeresiarcharum Ioannis Wicleff, et Iohannis « Hus et Hieronymi, per eamdem Constantiensem Synodum, cum « suis auctoribus, ut praedicitur, damnatos, et damnatas, tenere,

« credere et dogmatizare, ac vitae finem ipsorum haeresiarcha-
« rum publice vel occulte pertinaciter quomodolibet laudare, vel
« approbare praesumpserint, eorumque receptatores, defensores,
« et fautores quoslibet, etiam contemplatione praedictorum erro-
« rum, nec non credentes et adhaerentes eisdem, tamquam hae-
« reticos iudicetis, et velut haereticos saeculari Curiae relinqua-
« tis ». Bullar. Rom. Tom. IV, pag. 666, Edit. Taurin. 1859.

18. Ars typographica inventa fuit prima medietate saeculi XV a Ioanne de Guttemberg Urbis Moguntinae cive, quamvis et aliis prima tribuatur inventio. (Cf. Cantu Storia Universale VI, 451-452).

19. Alexander VI, die 1 Iunii 1501 plura et saluberrima statuit circa librorum impressionem in Constit, incipien. *Inter multipliées.* Inter alia sancivit : « Sicut ars impressoria librorum
« utilissima habetur ad faciliorem multiplicationem librorum
« probatorum et utilium, ita plurimum damnosum foret, si illius
« artifices ea arte perverse uterentur, passim imprimendo quae
« perniciosa sunt. Debent igitur impressores ipsi compesci op-
« portunis remediis, ut ab eorum impressione desistant, quae
« fidei catholicae contraria noscuntur, vel adversa, aut in men-
« tibus fidelium possunt verisimiliter scandalum generare. Unde
« nos qui illius locum tenemus in terris, qui ad illuminan-
« dum hominum mentes et errorum tenebras exterminandum
« descendit e coelis, cum fideli relatione intellexerimus, artificio
« dictae artis plurimos libros atque tractatus in diversis mundi
« partibus, praesertim Coloniensi, Moguntina, Trevirensi, Mag-
« deburgensi provinciis fuisse impressos, in se varios errores
« ac perniciosa dogmata etiam sacrae christianae religioni ini-
« mica continentes, et in dies etiam passim imprimi, huiusmodi
« detestanclae labi sine ulteriori dilatione occurrere cupientes,
« ut ex commisso desuper officio tenemur, omnibus et singulis
« dictae artis impressoribus et illorum obsequiis quomodolibet
« insistentibus et se circa eorum imprimendi artem quoquo modo
« exercentibus in provinciis praedictis degentibus, sub excom-
« municationis latae sententiae poena, quam eo ipso, si contra
« fecerint incurrisse noscantur, et poena pecuniaria per vene-
« rabiles Fratres nostros Coloniensem, Mogutiensem, Treviren-
« sem et Magdeburgensem Archiepiscopos, vel eorum Vicarios
« in spiritualibus generales aut Officiales, quemlibet videlicet eo-
« rum in provincia sua pro eorum arbitrio imponenda et exi-

« genda ac Camerae Apostolicae adplicanda, auctoritate aposto-
« lica praesentium tenore districtius inhibemus, ne de cetero
« libros, tractatus aut Scripturas qualescumque imprimere aut
« imprimere facere quoquo modo praesumant, nisi prius con-
« sultis super hoc Archiepiscopis vel Vicariis aut Officialibus
« praefatis, ac eorum speciali et expressa impetrata licentia gratis
« concedenda, quorum conscientias oneramus, ut antequam licen-
« tiam huiusmodi concedant, imprimenda diligenter examinent,
« sive a peritis et catholicis examinari faciant, et procurent ac
« diligenter advertant, ne quid imprimatur, quod orthodoxae fi-
« dei contrarium, impium et scandalosum existat.

« Et quia parum esset adversus futuras impressiones pro-
« videre, nisi quae iam fere noscuntur erronea, impia et scan-
« dalosa supprimantur, eisdem Archiepiscopis Vicariis vel Offi-
« cialibus mandamus auctoritate praedicta, ut videlicet quilibet
« eorum in dicta provincia sua moneant et requirant auctoritate
« nostra omnia et singula inventaria librorum et tractatuum quo-
« rumcumque impressorum, ac libros et tractatus impressos, in
« quibus per Archiepiscopos, sive Vicarios aut Officiales praedi-
« ctos aut eorum singulos aliqua fidei catholicae contraria, im-
« pia, adversa, scandalosa, aut male sonantia continere indica-
« tum, sive declaratum fuerit, omni fraude et dolo cessantibus,
« infra terminum eorum arbitrio praefigendum coram eis respe-
« ctive praesentent et consignent sub simili excommunicationis
« latae sententiae et eorum arbitrio exigenda pecuniaria poena,
« ut praefertur incurrenda; studeantque sic impressos etiam
« alios, prout expedire putaverint, ad eos deferri et delatos com-
« buri facere ne quispiam illos legere vel tenere praesumat, sub
« similibus censuris et poenis auctoritate nostra prohibere; nec
« omittant diligenter inquirere, quibus procurantibus tales libri
« impressi fuerint, quave de causa illud procuraverint, in fidei
« catholicae, quam profitentur, detrimentum; et an procuratores
«ipsi de haeresi suspecti sint, contradictores quoslibet et re-
« belles etiam, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis et con-
« ditionis, nec non communitates, universitates et alia collegia
« quaecumque per excommunicationis, suspensionis et interdicti
« aliasque sententias, censuras et poenas ecclesiasticas cum il-
« larum aggravatione et reaggravatione, appellatione postposita,
« compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii
« saecularis ». Ap. Zaccaria Op. cit. pag. 134-135.

Leo X autem lata die 4 Maii 1515 Constitutione *Inter sollicitudines* idipsum sancivit, ne scilicet liceret alicui libros edere sine facultate aut S. Palatii Apostolici magistri, aut respectivorum Ordinariorum.

§ 2. « Nos itaque, ne id quod ad Dei gloriam et fidei aug« mentum, et bonarum artium propagationem salubriter est in« ventum, in contrarium convertatur, ac Christifidelium saluti « detrimentum pariat, super librorum impressione curam no« stram habendam fore duximus, ne de cetero cum bonis se« minibus spinae coalescunt, vel medicinis venena intermiscean« tur. Volentes igitur de opportuno super his remedio providere, « hoc sacro approbante Concilio (Lateranensi V), ut negotium « impressionis librorum huiusmodi eo prosperetur felicius quo « deinceps indago solertior diligentius et cautius adhibetur, sta« tuimus et ordinamus quod de cetero, perpetuis futuris tem« poribus, nullus librum aliquem, seu aliam quamcumque scri« pturam, tam in Urbe nostra, quam in aliis quibusvis civita« tibus et dioecesibus, imprimere seu imprimi facere praesumat, « nisi prius, in Urbe, per Vicarium nostrum et Sacri Palatii Ma« gistrum ; in aliis vero civitatibus et Dioecesibus, per Episco« pum, vel alium habentem peritiam scientiae libri, seu Scri« pturae huiusmodi imprimendae, ab eodem Episcopo ad id « deputandum, ac inquisitorem haereticae pravitatis civitatis sive « Dioecesis, in quibus librorum impressio huiusmodi fieret, di« ligenter examinentur, et per eorum manus propriae subscri« ptionem, sub excommunicationis sententia, gratis et sine dila« tione imponendam, approbentur ». Bullar. Rom. Tom. V, 624, edit. cit.

20. Exorta anno 1517 haeresi Lutherana, in Bulla *Exurge Domine,* quam Leo X dedit die 15 Iunii 1520, et postquam omnem, sed frustra, curam adhibuisset ad Lutherum convertendum, huius quadraginta et unam propositionem proscripsit, prohibuitque sub poenis contra haereticos statutis quominus libri a Luthero editi ab aliquo Christifideli legerentur:

§ U. « Inhibemus praeterea, sub omnibus et singulis prae« missis poenis, eo ipso incurrendis, omnibus et singulis Christi« fidelibus superius nominatis, ne scripta, etiam praefatos erro« res non continentia, ab eodem Martino quomodolibet condita, « aut condenda vel edenda, seu eorum aliqua, tamquam ab « homine hortodoxae fidei inimico, atque ideo vehementer su-

« specta, et ut eius memoria omnino deleatur de Christifi.de-
« lium consortio, legere, asserere, praedicare, laudare, impri-
« mere, publicare sive defendere, per se, vel alium seu alios,
« directe vel indirecte, tacite vel expresse, publice vel occulte,
« seu in domibus suis sive aliis locis, publicis vel privatis, tenere
« quoquo modo praesumant, quinimmo illa comburant ». Bull. Rom. V. 755, Edit. cit.

Cum autem nec Lutherus nec Lutherani Pontificis Romani monitis inflictisque poenis animum accommodarent, immo auctoritatis illius iugum excuterent, Clemens VII, quod deinceps sequentes Pontifices etiam praestitere, anno 1524 Lutherum inter illos haereticos annumeravit, qui in Bulla vulgo *in Coena Domini* excommunicatione publice et solemniter plectuntur, librosque eius omnimodis proscripsit: « Librosque ipsius (Mar-
« tini Lutheri), aut quorumvis aliorum eiusdem sectae, sine au-
« ctoritate nostra et Sedis Apostolicae, quomodolibet legentes,
« aut in suis domibus tenentes, imprimentes, aut quomodolibet
« defendentes, ex quavis causa, publice vel occulte, quovis in-
« genio vel colore». Quibus Paulus III, anno 1536 addidit: «et
« generaliter quoslibet defensores eorumdem ». Bullar. Rom. VI, 219.

21. Anno 1557 Paulus IV Supremae Inquisitionis Congregationi commisit, ut librorum prohibitorum Indicem concinnarci; qui reapse prodiit ita inscriptus: « Index auctorum, et li-
« brorum, qui tamquam haeretici, aut suspecti, aut perniciosi
« ab officio Sanctae Romanae Inquisitionis reprobantur, et in
« universa christiana Republica interdicuntur ».

Ita porro dispositus erat.

« In primis nomina, sive vulgatiora cognomina disponuntur
« eorum, qui tamquam ex professo errantes, et in errorem mit-
« tentes, cum universis conscriptionibus ipsorum, cuiuscumque
« argumenti sint, pro damnosissimis habentur.

« His succedunt libri a notis auctoribus editi, ea ratione re-
« iecti, quod vel ad haeresim, vel ad aliquod praestigiosae im-
« pietatis, aut obscenae alicuius turpitudinis genus, vel omnino
« ad intolerabiles errores subinde allicere, satis superque diu
« exploratum est.

« Postremo loco redactae sunt inscriptiones librorum, qui
« ut plurimum ab incertis haereticis conficti, pestilentissimis do-
« ctrinis referti sunt ».

Cum autem Pontifici index eiusmodi parum esset acceptus, anno 1558 alium fieri iussit, qui tamen prodiit mense Februario anni 1559, cum eiusmodi titulo: « Index auctorum, et librorum, « qui ab officio sanctae Romanae et universalis Inquisitionis ca« veri ab omnibus et singulis in universa Christiana Republica « mandantur, sub censuris contra legentes, vel tenentes libros « prohibitos in Bulla, quae lecta est in *Coena Domini,* expressis, « et sub aliis poenis in decreto eiusdem S. Officii contentis. In« dex venumdatur apud Antonium Bladum Cameralem Impres« sorem de mandato speciali Sacri Officii, Romae, anno Do« mini 1559, Mense Ianuario ». Non unus tamen querebatur, eiusmodi Indicem nimia severitate confectum fuisse, in eoque plures libros insertos, qui tolerari poterant. Quare Paulus IV die 24 Iunii 1561 Cardinali Michaeli Ghislieri qui tum supremus erat Inquisitor, postea S. Pius V, mandavit ut rigorem adhibitum temperaret, quem lato edicto tempera vit, cui titulus: *Moderatio Indicis librorum prohibitorum.* Concedebatur:

1. « Ut tollerentur ex Indice libri, qui nulla alia ratione pro« hibiti sunt, nisi quia ab impressoribus suspectis emanarunt.

2. « Versiones Catholicorum Doctorum tollerentur factae ab « haereticis, dummodo tollantur haereses.

3. « Libri Catholicorum non alia ratione prohibiti, nisi quia « praefationes, summulas et scholia habent haereticorum; pur« gati tolerentur ». Cf, Zaccariam Op. cit. pag. 145, seqq.

22. In Concilio Tridentino de Indice librorum vetitae lectionis conficiendo plurimum adlaboratum est. Variae Patrum sententiae recitantur a Cardinali Pallavicino *Storia del Concilio di Trento* Lib. XV, Cap. 19. At tandem Patres, Sess. XVIII habita die 26 Februarii 1562, haec promulgarunt: « Sacrosancta « oecumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto « legitime congregata.... cum omnium primum animadverterit, « hoc tempore suspectorum ac perniciosorum librorum, quibus «doctrina impura continetur et longe lateque diffunditur, nu« merum nimis excre visse, quod quidem in causa fuit, ut multae « censurae in variis provinciis et praesertim in alma Urbe Roma « pio quodam zelo editae fuerint, neque tamen huic tam magno « et pernicioso morbo salutarem ullam profuisse medicinam; « censuit ut delecti ad hanc disquisitionem Patres de censuris « librisque quid facto opus esset diligenter considerarent, atque « etiam ad eamdem Sanctam Synodum suo tempore referrent,

« quo facilius ipsa possit varias et peregrinas doctrinas tanquam « zizania a christianae veritatis tritico separare, deque his com- « modius deliberare et statuere, quae ad scrupulum ex com- « plurium animis eximendum et tollendas multarum querela- « rum causas magis opportuna videbuntur. Haec autem omnia « ad notitiam quorumcumque deducta esse vult, prout etiam « praesenti decreto deducit, ut, si quis ad se pertinere aliquo « modo putaverit, quae vel de hoc librorum et censurarum ne- « gotio, vel de aliis, quae in hoc generali Concilio tractanda prae- « dixit, non dubitet a Sancta Synodo se benigne auditum iri ».

Electos Patres solertem operi conficiendo manum admovisse ex eo constat quod die quarta Decembris anni 1563 illud iam absolverant, ut patet ex continuatione postremae sessionis, quae fuit XXV, in qua legimus: « Sacrosancta Synodus in se- « cunda sessione sub sanctissimo D. N. Pio IV celebrata, (quae « est XVIII), delectis quibusdam Patribus commisit, ut de variis « censuris ac libris, vel suspectis vel perniciosis, quid facto opus « esset considerarent atque ad ipsam sanctam Synodum refer- « rent. Audiens nunc, huic operi ab eis extremam manum im- « positam esse, nec tamen ob librorum varietatem et multitu- « dinem possit distincte et commode a Sancta Synodo diiudi- « cari, praecipit, ut quidquid ab illis praestitum et Sanctissimo « Romano Pontifici exhibeatur, ut eius iudicio atque auctoritate « terminetur et evulgetur ». Hi tamen Patres nedum Indicem librorum ordinaverant, sed etiam decem regulas confecerant, quae Tridentinae vocantur.

23. Pius IV praesentatum sibi Indicem novo subdidit atque accurato examini, illumque tandem confirmavit lata Bulla *Dominici gregis* die 24 Martii 1564, qua die Index confectus prodiit ita inscriptus: *Index librorum prohibitorum cum Regulis confectis per Patres a Tridentina Synodo delectos, auctoritate S. D. N. Pii Pontif Max. comprobatus.* Editum Indicem sequenti sanctione Pius IV communivit: « Ipsum Indicem una cum « Regulis ei praepositis auctoritate apostolica tenore praesentium « approbamus, imprimique ac divulgari, et ab omnibus univer- « sitatibus catholicis ac quibuscumque aliis ubique suscipi, eas- « que regulas observari mandamus atque decernimus; inhiben- « tes omnibus et singulis, tam ecclesiasticis personis saecula- « ribus, et regularibus, cuiuscumque gradus, ordinis et di- « gnitatis sint, quam laicis quocumque honore ac dignitate

« praeditis, ne quis contra earum Regularum praescriptum, aut « ipsius prohibitionem Indicis libros ullos legere habereve audeat.

« Si quis autem adversus eas Regulas prohibitioriemque « fecerit, is quidem, qui haereticorum libros vel cuiusvis au~ « ctoris scripta propter haeresim vel falsi dogmatis suspicionem « damnata atque prohibita legerit habueritve, ipso iure in ex- « communicationis poenam incidat, eamque ob causam in eum « tanquam de haeresi suspectum inquiri et procedi liceat, prae- « ter alias poenas super hoc ab Apostolica Sede sacrisque ca- « nonibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos « legerit habueritve, praeter peccati mortalis reatum,Episcopo- « rum arbitrio severe se noverit puniendum ». (Bullar. Rom. VII, 281, 1882).

Franciscus Foreiro Ordinis Praedicatorum, qui delectae Patrum Commissioni fuerat a Secretis, de methodo in concinnando Indice adhibito, haec scribit:

« Illud igitur imprimis observare oportet, unamquamque « pene Alphabeti litteram, tres habere classes.

« In prima non tam libri, quam librorum Scriptores conti- « nentur, qui aut haeretici, aut nota haeresis suspecti fuerunt. « Horum enim catalogum fieri oportuit, ut omnes intelligant, «eorum scripta non edita solum, sed edenda etiam, prohibita « esse.

« Sed illud etiam animadvertendum est, quod licet multi « praeterea sint, qui iustissimis de causis in hanc classem re- « ferri poterant, Patribus tamen non is fuit animus, aut ad eo- « rum pertinebat institutum, ut eos ad unum perquirerent; sed « iis pene contenti fuere, qui in Romano Catalogo descripti sunt; « de aliis vero eiusdem generis auctoribus, idem ab Ordinariis « et Inquisitoribus statuendum existimarunt.

« In secundam classem non auctores, sed libri sunt relati, « qui propter doctrinam, quam continent, non sanam, aut su- « spectam, aut quae offensionem etiam in moribus tantum fide- « libus adferre potest, reiiciuntur, etiamsi auctores a quibus pro- « diere, ab Ecclesia numquam descierunt.

« Tertia vero et ultima classis eos libros complectitur, qui « sine scriptoris nomine exierunt in vulgus, et eam doctrinam « continent, quam Romana Ecclesia tamquam catholicae fidei, « aut morum integritati contrariam, refutandam ac repellendam « esse decernit.

« Non enim omnes libros, qui nomen auctoris non praefe-
« runt, damnandos putarunt, quandoquidem saepe viros doctos
« ac sanctos novimus, ut christiana quidem Respublica ex eo-
« rum vigiliis fructum caperet, ipsi vero inanem gloriam evita-
« rent, libros optimos sine nomine edidisse, sed eos tantum, qui
« aut liquido pravam, aut dubiam fidei doctrinam, sive moribus
« perniciosam continent ». Cf. Zaccariam Op. cit. pag. 151,152.

Decem regulae Tridentinae per hanc Leonis XIII Constitutionem abolitae sunt. Qui eas nosse desiderat, adeat quemcumque librorum prohibitorum Indicem.

24. Clemens VIII novum Indicem librorum numero auctum et in varias partes tributum suo nomine edi voluit ac promulgari, lata ad hoc Constitutione *Sacrosanctum fidei catholicae depositum* die 17 Octobris 1596 (1). Indici Clemens nonnullas observationes praemisit ad quartam et nonam regulam Tridentinas, et Instructionem pro iis qui libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis, diligentem ac fidelem operam erant daturi, quae Indici librorum prohibitorum praemittuntur. Index autem ab eo confectus hunc praeferebat titulum : *Index librorum prohibitorum cum Regulis confectis per Patres a Tridentina Synodo delectos, auctoritate Pii IV primum editus, postea vero a Sisto V auctus, et nunc demum SS. D. N. Clementis Papae VIII iussu recognitus et publicatus. Instructione adiecta de exequendae prohibitionis, deque sincere emendandi et imprimendi libros ratione.* Romae apud Impressores Camerales 1596.

Alexander VII per Indicem a se confectum duo praestitit; in eum scilicet omnes libros retulit qui nedum in Indice Clementis VIII continebantur, sed eos etiam qui ab anno 1596 ad annum 1664 prohibiti fuerant. Sublatis insuper divisionibus Indicis Pii IV et Clementis VIII, quae non levem confusionem ingerebant, suum ordine alphabetico digessit. Deinde lata die 5 Martii 1664 Constitutione *Speculatores* confectum a se Indicem confirmavit. De sublatis classibus sequentem Pontifex rationem adduxit: « Accedit quod illa classium distinctio plurimos non
« modo vulgares, sed etiam eruditos saepe decipiebat, dum ex
« earum ordine connexionis gravitatem aestimandam putabant,
« quasi severius actum semper videatur cum legentibus ante-

(1) Extat in Bullar. Rom. X, 251. Edit. Taurin.

« riorum quam posteriorum classium libros, quod tamen secus « esse ex ipsa classium institutione a Concilio Tridentino facta « colligi facile potest, ubi cum solum antecedat distinctio inter « libros auctorum vitio ac demerito vel perniciosae doctrinae « errorumque in eis contentorum ratione damnatos, ac inter « praeferentes aut dissimulantes auctorem, contingit, ut plerique « libri ignoti scriptoris, qui tertiae classi assignantur peiores « multo sint quam in prima aut secunda recensiti » (1).

Insuper Alexander VII Regulae X Tridentinae modum apponens, statuit quod « degentes in Statu Sedi Apostolicae me- « diate vel immediate subiecto, non possunt transmittere libros « a se compositos alibi imprimendos, sine expressa approba- « tione, et in scriptis Eminentissimi ac Reverendissimi D. Car- « dinalis Sanctissimi D. N. Vicarii et Magistri Sacri Palatii, si in « Urbe : si vero extra Urbem existant, sine Ordinarii loci illius, « sive ab his deputatorum facultate et licentia operi inflgenda ».

L-ex autem Regulae X Tridentinae unos afficiebat libros in Urbe imprimendos.

Methodus adhibita in concinnandis superioribus Indicibus non admodum placuit Benedicto XIV; ratus proinde est novum Indicem conficere, atque certas tradere iis regulas qui librorum examini praeficiuntur. Illud egit anno 1758, quo prodiit: *Index librorum prohibitorum Sanctissimi D. N. Benedicti XIV Pontificis Maximi iussu recognitus atque editus.* Romae 1758, ex Typographia Rev. Camerae Apostolicae cum Summi Pontificis privilegio; hoc autem praestitit per Const. *Sollicita ac provida* edita quidem 9 Iulii 1753, sed publicata die 23 eiusdem mensis et anni.

Novi Indicis conficiendi rationes Benedictus XIV tradidit in uteris expeditis in forma Brevis *Quae ad catholicae Religionis* diei 23 Decembris 1757, in quibus haec ait: « Primum (Indicem) « publica Ecclesiae auctoritate a Sapientissimis Tridentinae Syn- « odi Patribus dispositum fel. rec. Pius PP. IV optimis regulis « communitum perfecit atque apostolica auctoritate vulgavit. « Deinde vero Clemens PP. VIII librorum numero auctum atque « in varias partes tributum Indicem (an. 1596, Bulla *Sacrosan- « etum fidei catholicae depositum)* suo nomine edi voluit ac pro- « mulgari. Etsi autem pro temporum conditione satis diligenter

(1) Bullar. Rom. XVIÏ, 234. Neapoli 1882.

« atque utiliter in iis conficiendis laboratum sit, diuturna tamen « observatione atque experimento compertum est, memoratos « Indices neque satis fuisse correctos, neque satis accommodâtes « usui prodiisse; quapropter e publica utilitate fore visum est, « si novus Index methodo aptiore digestus atque a mendis erra- « tisque pluribus, quae in priores irrepserant, emendatus con- « stitueretur. Rem hanc omni procul dubio laboris et diligentiae « plenam iam tunc animo praeconceperamus, cum certas Re- « gulas in examine et proscriptione librorum servandas tradi- « dimus in Constitutione Nostra, quae incipit *Sollicita ac pro- « vida* 7 Idus Iulii 1753. Huiusmodi subinde negotium mature « iam discussum Ven. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus « Congregationi Indicis librorum praepositis dirigendum promo- « vendumque commisimus, qui pro iniuncti sibi muneris ratione « zelo ac solertia, adhibitis etiam in consultationem et opus do- « ctis et diligentibus viris, omnia pro votis sedulo accuratoque « perfecerunt ».

Est Index Benedicti XIV qui ad haec usque tempora adhibitus fuit, isque alphabetica tantum librorum recenter damnatorum serie auctus fuit.

Verum Indici a Benedicto XIV confecto nedum praemissa fuit Constitutio *Sollicita ac provida,* sed alia etiam adiecta Decreta de libris prohibitis nec in Indicem nominatim expressis, quae ad quatuor classes reducuntur. Sunt autem:

1. Libri ab haereticis scripti, vel editi, aut ad eos sive ad infideles pertinentes prohibiti.
2. Libri certorum argumentorum prohibiti.
3. Imagines et Indulgentiae prohibitae.
4. Quaedam ad Ritus sacros spectantia, quae prohibita sunt.

Haec legi poterunt, ut aliquam editionem suggeramus, iii Indice Librorum prohibitorum Sanctissimi D. N. Leonis Papae XIII Pont. Max. iussu edito, anno 1881.

Idcirco sed vero eiusmodi classes sunt institutae, quia cum non omnes libri qui vi Constitutionum apostolicarum, aut Decretorum Congregationum S. Officii et Indicis prohibiti sunt, singillatim describi in Indice propter eorum ingentem numerum possent, necessarium visum est eos ad certa quaedam capita revocare, ut si quod circa librum aliquem in Indice non descriptam, aut in Regulis eiusdem Indicis non comprehensum,

exoriretur dubium, intelligi posset, utrum inter prohibitos esset computandus.

25. Lex aeterna est ut singulae potestates ea tantum exequatur ad quae Deus illas instituit ordinavitque, neque transcendant terminos suos. Hinc Gelasius I Papa anno 494 haec ad Anastasium Imperatorem scripsit: « Duo quippe sunt, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur; auctoritas Sacra Pontificum et regalis potestas. In quibus tanto « gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus Domino in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti « enim, fili clementissime, quod licet praesideas humano generi « dignitate, rerum tamen praesulibus divinarum devotus colla « submittis, atque ab eis causas tuae salutis expetis, inque sumendis coelestibus sacramentis, eisque, ut competit, disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam « praeesse. Nosti itaque inter haec, ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi velle voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicae disciplinae, cognoscentes « imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi « quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis «exclusae videantur obviare sententiae; quo, rogo, te decet « affectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis ? Proinde sicut non leve discrimen incumbit « Pontificibus, siluisse pro divinitatis cultu, quod congruit; ita « his, quod absit, non mediocre periculum, qui cum parere debeant, despiciunt. Et si cunctis generaliter Sacerdotibus recte « divina tractantibus, fidelium convenit corda submitti, quanto « potius Sedis illius praesuli consensus est adhibendus, quem « cunctis Sacerdotibus et Divinitas summa voluit praeeminere, « et subsequens Ecclesiae generalis iugiter pietas celebravit? » Migne, P. L. LIX, 42.

Quae vero Gelasius ad Anastasium Imperatorem scripsit, ipsi Supremi Principes vera esse fassi sunt. Ludovicus Pius Francorum Rex ad Eugenium II R. Pontificem anno 824 scribere non dubitavit, Reges Ecclesiae praesulibus adiumento esse debere : « Quia veraciter nos debitores esse cognovimus, ut his, « quibus regimen Ecclesiarum et ovium dominicarum cura commissa est, in omnibus causis ad divinum cultum pertinentibus «opem atque auxilium pro qualitate virium nostrarum, et intellectus nostri capacitate feramus ». Mansi XV, 437.

Anno autem 869 Imperator Basilius Macedo Patres in Concilio VIII congregatos ita allocutus est : « Non datum est laicis, « aut iis qui civilibus officiis mancipantur, secundum canonem «dicendi quidquam penitus de ecclesiasticis causis: *opus enim « hoc Pontificum et Sacerdotum est.* De vobis autem laicis tam « qui in dignitatibus, quam qui absolute con versamini, quid am- « plius dicam non habeo, quam quia nullo modo vobis licet de «ecclesiasticis causis sermonem movere; hoc enim investigare « et quaerere Patriarcharum, Pontificum et Sacerdotum est, qui « sanctificandi, qui ligandi et solvendi potestatem habent, qui « ecclesiasticas et coelestes sortiti sunt claves ; *non nostrum qui « pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari et a ligamento solvi « debemus* ». Mansi XVI, 187, 188.

Et utinam haec aliquando intelligant qui iudicant terram !

26. Atque illae praesertim sunt regulae, quae propter nova temporum adiuncta observari nequeunt. Regula X Tridentina ex. gr. statuitur. « In singulis civitatibus ac dioecesibus, domus « vel loci, ubi ars impressoria exercetur, et bibliothecae libro- « rum venalium saepius visitentur a personis ad id deputandis « ab Episcopo sive eius Vicario, atque etiam ab Inquisitore hae- « reticae pravitatis, ut nihil eorum quae prohibentur, aut impri- « matur, aut habeatur. Omnes vero librarii et quicumque libro- « rum venditores habeant in suis bibliothecis indicem librorum « venalium quos habent, cum subscriptione dictarum persona- « rum, nec alios libros habeant aut vendant, aut quacumque « ratione tradant sine licentia eorumdem deputatorum, sub poena « amissionis librorum et aliis arbitrio Episcoporum vel Inquisi- « torum imponendis ». Et alia quae in eadem regula imponuntur. Haec enim in pluribus Europae statibus observari omnino nequibant ; qua de causa necessario in desuetudinem abierunt, videntibus et tolerantibus Romanis Pontificibus, atque Episcopis locorum illorum.

27. Pius Papa IX in epistolis encyclicis datis die 2 Iunii 1848 ad Episcopos aliosque qui librorum censurae praeerant in temporali S. Sedis ditione de Regula X Tridentina multa tempera vit. Haec enim statuit:

« In Sess. X Concilii Lateranensis V, atque iterum in po- « strema Regularum Indicis, quae a Patribus conscriptae per « Tridentinam Synodum deputatis, et a Pio IV, glor. mem., De- « cessore Nostro approbatae fuerunt, nec non in aliis aliorum

« Romanorum Pontificum sanctionibus interdictum habetur, ut
« nulli omnino libri aut scripta evulgentur, nisi antea ecclesia-
« stica auctoritate examinati probatique sint.

« Iam vero scribendi legendique aviditas et librorum, ma-
« xime ephemeridum numerus, nostra hac aetate ita in dies au-
« getur, ut iam ecclesiasticis censoribus perdifficile evaserit ipsos
« omnes ea, qua par est, maturitate expendere, et latior etiam
« patuerit via illorum fraudibus, qui doctrinas perversas et sa-
« crae publicaeque rei noxias disseminare connituntur pagellis
« et parvis praesertim libris clandestine editis, quorum porro
« improbitas eo maiorem inducit fidelium offensionem et scan-
« dalum, quod ad vigentium canonum tramites perpensi repu-
« tantur riteque probati.

« Haec nos serio considerantes, et nonnullis VV. Fratribus
«Nostris S. R. E. Cardinalibus in consilium adhibitis, haben-
te tesque ob oculos Decretum Sessionis IV Concilii Tridentini,
« ubi peculiares sanctiones leguntur circa editionem et evulga-
tionem librorum de rebus sacris, deliberavimus mitigare ali-
« qua ex parte alias supra memoratas regulas, ut ita ecclesia-
« stici censores diligentius satisfacere valeant officio suo arctio-
re ribus limitibus definito, ne facile deinceps contingat, ut ipsorum
« iudicio probata omnino videantur, quae ex parte saltem eorum
« censurae fraudulenter subtracta sunt, vel ab eisdem haud satis
« diligenter examinari potuerant.

« Itaque motu proprio et apostolica nostra auctoritate De-
« cretum Concilii Lateranensis et ceteras supradictas sanctiones
« moderando et declarando decernimus atque permittimus, ut
« posthac, et donec aliter ab hac Apostolica Sede statuatur, cen-
« sores ecclesiastici in locis temporali nostrae ditioni subditis,
« de iis tantum solliciti sint quae *Divinas Scripturas, Sacram*
« *Theologiam, Historiam Ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theo-*
« *logiam naturalem, Ethicen, aliasque huiusmodi religiosas aut*
« *morales diseiplmas respiciunt, ac generatim de omnibus, in*
« *quibus religionis vel morum honestatis speciatim intersit.* Iuxta
« haec igitur statuimus atque permittimus ut in omni epheme-
« ridum ac librorum genere illi dumtaxat sine praevia eccle-
« siastica censura edi nequeant, qui moralis aut religiosi, uti
« diximus, argumenti sint; in ceteris vero, ii tantum articuli,
« qui simile argumentum habeant, vel causam ipsam religionis
« aut morum honestatis proxime attingant.

« Verum nostrae huius permissionis obtentu nemini um- « quam licebit evulgare iterum, et ne in aliam quidem linguam « conversos, edere libros et scripta illa, quae praecedentibus «ecclesiasticae auctoritatis decretis damnata et prohibita sint, « aut in posterum prohibebuntur. Si quis autem scripta vel li- « bros huiusmodi denuo ediderit aut evulgaverit, vel aliter in « iis, quae nostris hisce litteris permissa non sunt, supradictas « canonum sanctaeque huius Sedis sanctiones violaverint, in « posterum pariter illis tenebitur censuris et poenis, quae an- « terioribus ipsis sanctionibus statutae sunt. Nos enim easdem « sanctiones, in quibus a Nobis derogatum illis non est, firmas « esse volumus, et apostolica iterum auctoritate roboramus. Con- « firmamus etiam nominatim pecuniariam poenam indictam in «commemorato Decreto Concilii Lateranensis V; quam tamen « eatenus mitigamus, ut gravioribus quoque in casibus summam « centum scutatorum nummum communis nunc romanae mo- « netae non excedat; atque ipsam in pios usus prudenti Epi- « scopi cuiusque arbitrio erogandam mandamus ».

28. Ex ipsis Consultorum deputatorum Votis opportunas notitias excribimus. Variarum Quaestionum, quae illis dirimendae propositae fuere, Prima erat:

« An deceat, vel expediat, vel necesse sit Regulas Indicis «Sacrosanctae Synodi Tridentinae iussu editas, aliquibus mutationibus, seu tempera mentis subiicere: et supposito quod « temperamenta quaedam inducenda videantur, quo aptiori « modo id fieri posset : scilicet, vel immutando ipsarum Regu- « larum verba, ut olim sibi proposuerat recol. mem. Sum. Pon- « tifex Sistus V, plura his regulis necessaria additurus; vel, haec « veneranda verba intemerata et immutabiliter intacta relinquen- «do, prout a tribus saeculis constant, novis temperationibus « providendum sit, quemadmodum ad hanc usque diem exe- « cuta est Apostolica Sedes, nempe *Instructione* Clementis VIII, « ea omnia quae Sisto V necessaria videbantur, continente; *Ob- « servationibus* eiusdem Clementis VIII et Alexandri VII; ***Addir « tione*** Benedicti XIV ; *Mandato* Leonis XII; *Monitis* Gregorii XVI; « *Decretis* generalibus; vel tandem alio quodam peculiari, tem- « porali, et adventitio remedio; episcopis nimirum impertiendo « quasdam facultates, ut per ipsos aliquamdiu liceat in his dispen- « sare, quae, ob summam temporum infelicitatem, in quibusdam « provinciis et regnis ad usum et tractationem deduci nequeunt? »

Quae circa propositam quaestionem electi Consultores decreverint ex relatione Secretarii excribimus.

« Consultores de hac re diu et mature inter se disceptabant, varias sententias diligenter perpendentes. Nonnulli enim « venerationi SS. Tridentino Concilio debitae magis consenta- « neum arbitrabantur, si Regulae intactae servarentur, et mu- « tationes vel explanationes necessariae seiunctum proponerentur « a Patribus in futura Synodo diiudicandae; altera vero Con- « sultorum pars hunc modum gravissimis difficultatibus obno- « xium censebat. Etenim animad ve rtebant plurima Concilii Tri- « dentini aetate opportuna, nunc inutilia, vel etiam omnino im- « possibilia evasisse, ita ut leges applicari nequeant, vel non « iuvet. Nec si quaedam additamenta vel explanationes subne- « uterentur, rei satisfieret; sed potius graves antinomiae habe- « rentur, et confusio augeretur. SS. Tridentinae Synodo nullam « perinde iniuriam irrogari; nam non ipsius sane culpa tribuen- « dum, si aliqua ex iis quae sapienter statuerat, nunc mutatis « omnino temporum adiunctis, innoventur; et hoc eo magis quod, « proprius loquendo, hae Regulae non ab ipsa Synodo, sed po- « sterilis sanciebantur, iuxta ipsius mentem, sed non ipsius di- « recta auctoritate. Ceterum proximo Concilio oecumenico par « omnino ius inesse ac Tridentino. Haec sententia pluribus pla- « cuit ».

29. Praestat partem harum litterarum recitare, ut intelligamus quibus moti rationibus Galliae Episcopi eiusmodi petitionem instituèrent. •« Perlegenti cuique regulas Indicis librorum prohi- « bitorum, quae *generales* dicuntur, facile, ut videtur, apparebit, « ex illis regulis multas, licet ea qua editae sunt aetate sapien- « tissime conditas, nunc, statu societatis humanae, maxime vero « rei litterariae, ubique et radicitus mutato, partim iam sat in- « utiles, partim observata maxime difficiles, aliquas etiam impos- « sibiles evasisse. Inde fit ut catholicorum conscientiae plus « quam aequum esset graventur, scrupulis innumeris anxien- « tur, gravissimaeque exponantur tentationi leges praesenti re- « rum statui ita parum accommodatas praeter mittendi. Omnino « igitur necesse et urgens esset, ut *illae regulae et universa res « Indicis, novo prorsus modo nostrae aetati melius attempe- «rato, et observata faciliori, instaurarentur».* Collectio Lacensis VII, 843.

30. Complures e Germania Episcopi, praeter alia, et Indicis

reformationem postularunt. « Petimus, ut regulae Indicis, quae « partim in regionibus mixtis numquam omnino observari pot- « erant, partim vero ob omnino immutatum societatis humanae « et in specie rei litterariae statum in praesenti nusquam fere « observari possunt, ideoque multas conscientiarum anxietates « et confessariorum dubia provocant, *recenti revisioni et reda- « etioni submittantur* ». Ibidem 874, IV.

31. Cf. Collectionem Lacensem Ibid. col. 1020. a) et 1179.

32. Res vero ita gesta est. Anno 1895 ad finem vergente, Summus Pontifex Leo XIII Sacrae Indicis Congregationi negotium decernendi commisit; an Regulae Indicis essent innovandae. Proposito dubio: *Utrum et qua ratione Indicis Regulae reformandae essent,* Consultores interrogati ad primam partem *affirmative* responderunt. Ut autem aliam partem ad effectum deducerent, S. Congregatio quatuor Consultores elegit, quibus rem propositam agere commisit. Horum duo schemata confecerunt, quae primum cum aliis duobus, pluribus habitis sessionibus, discussa sunt; deinde universae Congregationi per Rmum Secretarium praesentarunt. Pontifex ad schema examinandum alios Consultores elegit. Horum singuli, censura instituta, sententiam suam in scriptis exhibuere; atque iterum ad quatuor Consultores primum deputatos res deducta est. Hi munere suo functi, habita ratione censurarum et observationum institutarum, primum schema aliquantisper reformarunt. Exinde, iubente Pontifice, ad Eminentissimos S. C. Indicis Cardinales negotium universum devolutum fuit. Patres, pluribus habitis Sessionibus penes Emum Praefectum, strenuam prorsus navarunt operam in exhibito schemate examinando, reformandoque. Confectas Regulas Summus Pontifex, ea iudicii maturitate qua pollet, consideravit, approbavit, atque promulgari iussit.

33. Cum Rom. Pontifex praecipiat ut his decretis catholici homines toto orbe religiose pareant, corruant necesse est, et abolitae censendae sunt consuetudines omnes in quibusvis regnis inductae quibus Indicis obligatio contemnebatur. Sedulo catholici homines verba Pontificis animo recolant, has regulas multo prae antiquis *esse molliores; et iis obtemperare nemini, dummodo ingenio malo non sit, grave arduumque esse posse.*

Id autem ad tramites latae Constitutionis dicimus. At obedientiam ne nationes aliquae pontificio decreto erunt praestiturae, an potius inductam consuetudinem de nullo apud se Indicis

vigore defendent ? Nos quidem nescimus. Attamen hoc in casu putamus non esse nationum illarum homines inquietandos; melior est enim dispensatio et tolerantia, quam aperta inobedientia et animarum ruina. Gonsultissime tamen agerent Episcopi, si Sanctam Sedem consulerent, ab eaque inductae consuetudinis tolerantiam impetrarent.

34. Pius Papa IX in Constitutione *Apostolicae Sedis moderationi* unas censuras limitaverat, leges antiquas autem atque decreta per quas infligebantur, minime; atque inde aliae poenae quae censurae naturam non induerent, abrogatae censeri non poterant. Quin imo edixerat, censuras, quas ipse Constitutioni suae inserebat, nedum ex hac, veluti si primum in ea editae fuerint, vim suam accipere debere, sed etiam ex veterum Canonum auctoritate, quatenus cum lata a se Constitutione convenirent. Qua de causa quantum attinet ad censuras a Pontifice Pio IX adscitas conservatasque, vigebant omnino tum antiquae leges, tum censurae; atque hinc optimae Pianae Constitutionis Commentatores etiam ex veteribus canonibus vim renovatarum censurarum dimetiebantur.

Verum Leo XIII ab eiusmodi agendi ratione recedendum duxit, ne difficultates, quaestiones, antinomiae exorirentur; hinc omnes antiquas leges, regulas et decreta abrogavit, quae Indici librorum praemittebantur, quasque ipse recenset; ex quo duo sequuntur; omnia, scilicet, quae statuit, ex una a se lata Constitutione *Officiorum ac munerum* vim suam mutuari, et a se adhibita loquendi ratione petenda esse criteria ad ipsam interpretandam. Qua de causa, si de vi et extensione alicuius vocabuli aut decreti, quae etiam in antiquis legibus reperiuntur, dubium aliquod exurgat, non ab his interpretandi ratio sit petenda, cum abrogatae fuerint, sed ex obvio sensu, quem praeferunt novae Constitutionis verba, et ex fine quem sibi Legislator praestituit. Cum autem ex ipso Pontifice constet, illum sibi finem praestituisse, ut legislationem circa Regulas Indicis vetitae lectionis *molliorem* daret, ita ut *grave arduumque nemini de cetero esset illas observare;* recta ratione alienum foret, velle ex antiquis legibus Leonis XIII Constitutionem dimetiri. Constat enim de fine et intentione Legislatoris; ergo iuxta hunc finem et intentionem decreta ab eo lata accipienda sunt; constat eum veteres regulas et decreta abolevisse; ergo de cetero non sunt illa assumenda ut argumentum dubiorum declarandorum, si

quae oriantur in Constitutione *Officiorum ac munerum.* Hinc si dubium exurgat; an decretum aliquod a Leone XIII latum severior} vel mitiori sensu sit accipiendum, mitiorem sequi semper debent interpretes.

Ex his tamen non sequitur, neminem posse ad abrogatas leges recurrere, ut vim alicuius vocabuli, aut sententiae in Leonina constitutione adscitae melius intelligat; id enim et licitum est et aliquando necessarium, praesertim si nulla inter utrumque textum sit differentia. Unum dicimus; in collisione decretorum, neque iuri, neque rationi esse conforme ex abrogata veteri lege novam interpretari.

Ex veteri tamen iure abrogato Leo XIII unam excipit Constitutionem *Sollicita ac provida* a Benedicto XIV latam, qua methodus praescribitur in examine et proscriptione librorum servanda; ideoque integram huic Commentario inserimus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sollicita ac provida Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vigilantia in eam semper curam incubuit, ut christifideles ab eorum librorum lectione averterei, ex quibus incauti ac simplices detrimenti quidpiam capere possent, imbuique opinionibus ac doctrinis, quae vel morum integritati, vel catholicae religionis dogmatibus adversantur. Nam, ut vetustissimum mittamus sancti Gelasii I. decretum, quaeque iam pridem a Gregorio IX. aliisque Pontificibus hac de re statuta fuerunt; ignorare neminem arbitramur, quae fuerint a praedecessoribus nostris Pio IV., sancto Pio V., et Clemente VIII. diligentissime praestita, ut saluberrimum opus a sacrosanctae Tridentinae synodi patribus susceptum, mature discussum, ac pene ad exitum perductum, de vetitae lectionis librorum Indice conficiendo, atque vulgando, non absolverent solum, atque perficerent, sed sapientissimis etiam decretis ac regulis communirent. Quod quidem negocium Apostolica Sedes continenter urget, ac promovet; ad id deputatis duabus sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationibus, quibus onus inquirendi in pravos

noxiosque libros impositum est, cognoscendique, quibus emendatio, et quibus proscriptio debeatur. Id muneris Congregationi quidem romanae universalis Inquisitionis a Paulo IV. commissum perhibent (35), idque adhuc ab ea exerceri pergit, ubi de libris ad certa rerum genera pertinentibus iudicandum occurrit. Certum est autem, sanctum Pium V. primum fuisse Congregationis Indicis institutorem (36), quam subsequentes deinde Pontifices Gregorius XIII., Sixtus V., et Clemens VIII. confirmarunt variisque privilegiis et facultatibus auxerunt: eiusque proprium ac fore unicum officium est in examen libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione, vel permissione capienda est deliberatio.

§ 1. Qua maturitate, consilio, ac prudentia in Congregatione universalis Inquisitionis de proscribendis, vel dimittendis libris deliberetur, cum neminem latere putamus, tum nos ipsi plane perspectum, ac diuturna experientia compertum habemus; nam in minoribus constituti, de libris nonnullis in ea censuram tulimus, et consultoris eiusdem Congregationis munere diu perfuncti sumus; postremo inter sanctae romanae Ecclesiae Cardinales cooptati, Inquisitoris generalis locum in ea obtinuimus; ac demum ad Apostolicam Sedem, meritis licet imparibus, evecti, non modo censorum animadversiones in libros nonnullos aliquando legere, ac ponderare, sed etiam in Congregationibus, quae singulis feriis quintis coram nobis habentur, Cardinalium sententias atque suffragia, antequam de iisdem libris quid decernatur, audire, et excipere consuevimus. Haud minoris diligentiae testimonium ferre possumus, adeoque debemus, pro altera Congregatione Indicis, cui generaliter incumbit, ut supra diximus, de quorumvis librorum proscriptione decernere. Dum enim in minoribus versaremur, cum primi, tum secundi censoris, seu relatoris officium in ea Congregatione non semel obivimus; ex quo autem supremum Pontificatum gerimus, nullius libri prescriptionem ratam habuimus, nisi audito Congregationis secretario, qui libri materiam, revisorum censuras, Cardinalium iudicia, et suffragia accurate nobis exponeret.

§ 2. Sed quoniam compertum est nobis, atque exploratum multas librorum proscriptiones, praesertim quorum auctores catholici sunt, publicis aliquando iniustisque querelis in reprehensionem adduci, tamquam si temere, ac perfunctorie in tribunalibus nostris ea res ageretur; operae pretium duximus,

hac nostra perpetuo valitura Constitutione, certas firmasque regulas proponere, iuxta quas deinceps librorum examen iudiciumque peragatur; tametsi plane affirmari possit, idipsum iampridem, vel eadem prorsus ratione, vel alia aequipollentia constanter actum fuisse.

§ 3. Porro romanae universalis Inquisitionis Congregatio ex pluribus constat sanctae romanae Ecclesiae Cardinalibus a summo Pontifice delectis, quorum alii sacrae theologiae, alii canonici iuris doctrina, alii ecclesiasticarum rerum peritia, munerumque romanae curiae exercitatione, prudentiae demum, ac probitatis laude, conspicui habentur. His adiungitur unus ex romanae curiae praesulibus, quem Assessorem vocant, unus etiam ex Ordine praedicatorum sacrae theologiae magister, quem Commissarium appellant; certus praeterea consultorum numerus, qui ex utroque clero saeculari, ac regulari assumuntur ; alii demum praestantes doctrina viri, qui a Congregatione iussi, de libris censuram instaurant, iisque qualificatorum nomen tributum est. De variis in praefata Congregatione, iisque gravissimis rebus agitur, in primis autem de causis fidei, ac de personis violatae religionis reis. At cum librum aliquem ad eam, tamquam proscriptione dignum, deferri contigerit ; nisi ad Indicis Congregationem, ut fieri plerumque solet, iudicandum remittat, sed pro rerum temporumque ratione, sibi de illo cognoscendum esse arbitretur; nos, inhaerentes decreto lato ab eadem Congregatione feria quarta kalendis Iulii anni millesimi septingentésima quinquagesimi, atque a nobis confirmato feria quinta insequente, hac ratione, et methodo iudicium institui mandamus.

§ 4. Primo nimirum uni ex qualificatoribus, aut consultoribus a Congregatione designando, liber tradatur, quem is attento animo legat, ac diligenter expendat; tum censuram suam scripto consignet, locis indicatis, et paginis, in quibus notati errores continentur. Mox liber cum animadversionibus révisons ad singulos consultores mittatur, qui in congregatione pro more habenda singulis feriis secundis in aedibus sancti Officii, de libro, et censura sententiam dicant: ipsa deinde censura, cum libro, et consultorum suffragiis, ad Cardinales transmittantur, ut hi in congregatione, quae feria quarta haberi solet in fratrum praedicatorum coenobio sanctae Mariae supra Minervam nuncupato, de tota re definitive pronuncient. Post ab

Assessore sancti Officii acta omnia ad Pontificem referantur,, cuius arbitrio iudicium omne absolvetur.

§ 5. Cum autem sit veteri institutione receptum, ut auctoris-catholici liber non unius tantum relatoris perspecta censura illico proscribatur; ad normam praefati decreti mensis Iulii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, volumus eam consuetudinem omnino servari; ita ut si primus censor librum proscribendum esse iudicet, quamvis consultores in eamdem sententiam conveniant, nihilominus alteri revisori ab eadem Congregatione electo liber, et censura tradantur, suppresso primi censoris nomine, quo alter iudicium suum liberius exponat. Si autem secundus revisor primo assentiatur, tunc utriusque animadversiones ad Cardinales mittantur, ut iis expensis de libro decernant; at si secundus a primo dissentiat, ac librum dimittendum existimet (37), tertius eligatur censor, cui, suppresso priorum nomine, utraque censura communicetur. Huius autem relatio, si a priore consultorum sententia non abludat, Cardinalibus immediate communicetur, ut ipsi, quod opportunum fuerit, decernant. Sin minus, iterum consultores, perspecta tertia censura suffragium ferant; idque una cum omnibus praefatis relationibus, Cardinalibus exhibeatur, qui ,re ita mature perpensa, de controversia denique pronunciare debebunt. Quotiescumque autem Pontifex, vel ob rei, de qua in libro agitur, gravitatem, vel quia id auctoris merito, aliisque circumstantiis tribuendum censeat, libri iudicium coram se ipso in congregatione feriae quintae habendum decreverit, quod saepe a nobis factum fuit, et quoties ita expedire iudicavimus, in posterum quoque fiet; tunc satis fuerit exhibere Pontifici et Cardinalibus libri censuras, et consultorum suffragia, omisso examine congregationis feriae quartae, eiusque relatione, quam per Assessorem Pontifici faciendam diximus : nam Cardinalium suffragiis coram ipso Pontifice ferendis, atque huius definitiva sententia, vel alio opportuno consilio in eadem Congregatione capiendo, res absolvetur.

§ 6. Altera quoque Indicis Congregatio plures complectitur Cardinales ipsi a Pontifice adscriptos, iisdemque dotibus praeditos, quibus sancti Officii Cardinales pollere solent; quum etiam eorum aliquos in utraque Congregatione locum habere contingat. Ex iis unus eiusdem Congregationis Praefectus existit; Assistens vero perpetuus est Magister sacri palatii; Se-

•cretarius autem a prima Congregationis institutione usque in praesentem diem, ex Ordine fratrum praedicatorum a summo Pontifice pro tempore eligi consuevit. Sunt praeterea ex utroque clero saeculari, et regulari eiusdem Congregationis consultores, et relatores selecti; et quidem, ubi aliquis librorum relationes coram congregatione semel, bis, tertio laudabiliter peregerit, tum ipsa congregatio Pontificem rogare solet, ut eius auctoritate in consultorum numerum referatur.

§ 7. Sub ipsa Pontificatus nostri primordia, ea nos subiit cogitatio, ut certam aliquam et immutabilem methodum pro •examine iudicioque librorum in hac Indicis Congregatione servandam statueremus. Qua de re non modo consilium exquisivimus dilecti filii nostri Angeli Mariae sanctae romanae Ecclesiae Cardinalis Quirini nuncupati, eiusdem sanctae romanae Ecclesiae Bibliothecarii, et dictae Congregationis Praefecti, qui pari prudentia et doctrina suum nobis sensum scripto declaravit, verum etiam antiquiores aliquot eiusdem Congregationis consultores coram dilecto filio Iosepho Augustino Orsi, Ordinis praedicatorum, tunc ipsius Congregationis secretario, nunc autem palatii apostolici Magistro, convenire iussimus, suamque sententiam aperire, quae pariter scripto concepta, nobis iam tunc exhibita fuit. Cumqu® haec omnia diligenter apud nos asservata fuerint, nunc derttum veterem deliberationem nostram resumientes, quemadmodum ea, quae ad librorum examen atque iudicium in primodicta Congregatione sancti Officii peragendum, pertinet, auctoritate nostra constabilivimus; ita etiam ea quae ad Congregationem Indicis, et eiusdem generis negocia apud eam tractanda facere possunt, opportunis decretis constituere volentes, praelaudati Cardinalis Praefecti consiliis, dictorumque consultorum votis inhaerendo, haec deinceps servanda decernimus.

§ 8. Cum Congregatio Indicis ad librorum censuram unice, ut dictum est, instituta, non ita crebro convocari soleat, ut altera sancti Officii Congregatio, quae ob causarum et negotiorum multitudinem singulis hebdomadis ter haberi consuevit, illius propterea secretario peculiare munus et officium recipiendi librorum denunciationes, ut fieri iam ante consuevit, committimus et demandamus. Is autem a libri delatore percunctantur diligenter, quas ob causas illum prohiberi postulet, tum librum ipsum haud perfunctorie pervolvet, ut de propositae

accusationis subsistentia cognoscat; duobus etiam in eam rem adhibitis consultoribus, ab ipso, praevia summi Pontificis, aut Cardinalis Praefecti, vel eius qui Praefecti vices supplet, approbatione eligendis: quorum collato consilio, si liber censura et nota dignus videatur, unus aliquis relator ad ferendum de eo iudicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in libro agitur, peritus, eadem, quam nuper innuimus, ratione eligendus erit, qui scripto referat animadversiones suas adnotatis paginis quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed antequam eius censura ad Cardinalium Congregationem feratur, haberi volumus privatam consultorum congregationem, quam olim *Parvam* dixerunt, nos autem *Praeparatoriam* vocabimus, ut relatoris animadversionibus ad librum collatis, de earum pondere iudicium fiat. Huiusmodi congregatio semel omnino singulis mensibus, aut etiam saepius, si oportuerit, ab ipso Congregationis secretario convocanda erit, vel in suis cubiculis, vel opportuniore, ut ipsi videbitur, loco, intra praedicti coenobii aedes, ubi is commoratur. Eique semper intererit magister sacri palatii pro tempore existens, una cum sex aliis e numero consultorum, singulis vicibus, pro qualitate argumenti, et materiae, de qua disputandum erit, ut supra de primis duobus consultoribus, et de relatore constitutum est a secretario eligendis; praeter secretarium ipsum, cuius partes erunt in tabulas referre consultorum sententias, quas deinde ad congregationem Cardinalium mittet, cum relatoris censura. In generali demum congregatione omnia illa servari debebunt, quae superius statuta sunt pro congregatione sancti Officii circa librorum examen. Ac quemadmodum ad Assessorem sancti Officii pertinet de actis in Congregatione summum Pontificem certum reddere; ita ad secretarium Congregationis Indicis spectabit, quoties haec librum aliquem proscribendum aut emendandum censuerit, eiusdem Pontificis assensum, praevia diligenti actorum omnium relatione, exquirere.

§ 9. Quoniam vero in Congregatione Indicis de sola librorum prohibitione agitur, nonnulla hoc loco adiungenda iudicavimus, eidem Congregationi potissimum usui futura, quae tamen ab altera etiam Congregatione sancti Officii, dum in huius quoque generis causis se immiscet, ubi similes rerum circumstantiae se offerant, aeque observanda erunt. Quotiescumque agatur de libro auctoris catholici, qui sit integrae famae, et dari no-

minis, vel ob alios editos libros, vel forte ob eum ipsum, qui in examen adducitur, et hunc quidem proscribi oporteat; prae oculis habeatur usu iamdiu recepta consuetudo prohibendi librum, adiecta clausula: *donec corrigatur,* seu *donec expurgetur,* si locum habere possit, nec grave quidpiam obstet, quominus in casu de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adiecta, non statim edatur decretum, sed suspensa illius publicatione, res antea cum auctore, vel quovis altero pro eo agente, et rogante communicetur, atque ei quid delendum, mutandum, corrigendumve fuerit, indicetur. Quod si nemo auctoris nomine compareat, vel ipse, aut alter pro eo agens, iniunctam correctionem libri detrectet, congruo definito tempore decretum edatur. Si vero idem auctor, eiusque procurator, Congregationis iussa fecerit, hoc est novam instituerit libri editionem cum opportunis castigationibus ac mutationibus, tunc supprimatur proscriptionis decretum; nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint; tunc enim ita decretum publicandum erit, ut omnes intelligant; primae editionis exemplaria dumtaxat interdicta fore, secundae vero iam emendatae permissa.

§ 10. Conquestus scimus aliquando nonnullos, quod librorum iudicia, et proscriptiones, inauditis auctoribus fiant, nullo ipsis loco ad defensionem concesso. Huic autem querelae responsum fuisse novimus, nihil opus esse auctores in iudicium vocare, ubi non quidem de eorum personis notandis aut condemnandis agitur, sed de consulendo fidelium indemnitati, atque avertendo ab ipsis periculo, quod ex nocua librorum lectione facile incurritur; si qua vero ignominiae labe auctoris nomen ex eo aspergi contingat, id non directe, sed oblique ex libri damnatione consequi. Qua sane ratione minime improbandas censemus huiusmodi librorum prohibitiones, inauditis auctoribus factas; quum praesertim credendum sit, quidquid pro seipso, aut pro doctrinae suae defensione potuisset auctor afferre, id minime a censoribus atque iudicibus ignoratum neglectumve fuisse. Nihilo tamen minus, quod saepe alias, summa aequitatis et prudentiae ratione, ab eadem Congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea servari magnopere optamus, ut quando res sit de auctore catholico, aliqua nominis et meritorum fama illustri, eiusque opus, demptis demendis, in publicum prodesse posse dignoscatur, vel aucto-

rem ipsum suam causam tueri volentem audiat, vel unum ex consultoribus designet, qui *ex officio* operis patrocinium defensionemque suscipiat.

§ 11. Quemadmodum vero ubi de Congregatione sancti Officii agebamus, eidem nos semper interfuturos recepimus, quotiescumque de libro, cuius materia gravioris momenti sit, iudicium agatur; quod erit nobis facillimum, quum eadem Congregatio qualibet feria quinta coram nobis habeatur, sic et Indicis Congregationi praesentiam nostram impendere parati sumus, quoties rei gravitas id promereri videbitur. Neque enim id opus esse dicendum est, quum vel haeretici hominis liber denunciatur, in quo auctor errores catholico dogmat! adversantes consulto tradit aut tuetur; vel opus aliquod in examen adducitur, quo rectae morum regulae labefactantur, ac vitiis et corruptelis fomenta praebentur. In his enim casibus ne illas .quidem, quas supra scripsimus, accuratiores cautelas adhibere necesse erit; sed haeretico dogmate, vel pravo moris incitamento semel comperto, proscriptionis decretum illico sanciendum erit, iuxta primam, secundam et septimam Indicis Regulas sacrosancti Tridentini concilii iussu editas atque vulgatas.

§ 12. Cum in praelaudata Congregatione sancti Officii severissimis legibus cautum sit, ne de rebus eiusdem Congregationis quisquam cum alio extra illam loquatur; nos hanc eamdem silentii legem a relatoribus, consultoribus et Cardinalibus Congregationis Indicis religiose custodiendam praecipimus. Illius tamen secretario potestatem facimus, ut animadversiones in libros censurae subiectos, eorum auctoribus, vel aliis illorum nomine agentibus et postulantibus, sub eadem decreti lege communicare queat; suppressis semper denunciatoris censorisque nominibus.

§ 13. Examinandis corrigendisque libris peropportuna sunt, quae decem Regulis Indicis a patribus Tridentinae synodi confectis atque editis continentur. In instructione autem felicis recordationis Clementis Papae VIII., eisdem Regulis adiecta, *Tit. de correctione librorum* § V., Episcopis et Inquisitoribus cura committitur, ut ad librorum edendorum examen *spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed orniti humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam, spectaturos et fidelis populi utilitatem.* His porro virtutibus

animimique dotibus, si non maiori, at pari certe de causa, praestare oportet huius nostrae Congregationis revisores et consultores. Cumque eos omnes, qui nunc huiusmodi munera obtinent, tales esse non ignoremus; optandum sperandumque est, non absimiles deinceps futuros, qui ad id eligentur; homines nimirum vitae integros, probatae doctrinae, maturo iudicio, incorrupto affectu, ab omni partium studio, personarumque acceptione alienos; qui aequitatem libertatemque iudicandi, cum prudentia et veritatis zelo coniungant. Cum autem eorum numerus nunc certus et constitutus non sit; ab eiusdem Congregationis Cardinalibus consilium expectabimus, atque capiemus, num eum pro futuris temporibus definire oporteat vel expediat : hoc tamen iam nunc decernentes, quatenus eorum numerus definiatur, ut tam relatores, quam consultores, ex utroque clero, saeculari nempe et regulari, assumantur, alii quidem theologi, alii utriusque iuris periti, alii sacra et prophana eruditione praestantes, ut ex eorum coetu, pro varietate librorum, qui ad Congregationem deferuntur, idonei viri non desint ad ferendum de unoquoque iudicium.

§ 14. Ipsos autem relatores consultoresque, tam nunc existentes, quam in posterum quandocumque futuros, monemus ac vehementer hortamur, ut in examine iudicioque librorum, sequentes regulas diligenter inspiciant accurateque custodiant.

§ 15. I. Meminerint, non id sibi muneris onerisque impositum, ut libri ad examinandum sibi traditi prescriptionem modis omnibus curent atque urgeant; sed ut diligenti studio ac sedato animo ipsum expendentes, fideles observationes suas verasque rationes Congregationi suppeditent, ex quibus rectum iudicium de illo ferre, eiusque proscriptionem, emendationem aut dimissionem pro merito decernere valeat.

§ 16. II. Tametsi hactenus cautum sit, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum et consulendum in praedicta Congregatione, ii solum admittantur, qui scientiam rerum, quas libri delati respective continent, diuturno studio acquisitam possideant; decet enim de artibus solos artifices iudicare; nihilominus si forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua discutienda committatur ab illius peculiaribus studiis aliena, idque a censore aut consultore electo, ex ipsa libri lectione deprehendatur; noverit is, se neque apud Deum, neque apud homines culpa vacaturum, nisi quamprimum id Congregationi, aut

secretario aperiat, seque ad ferendam de huiusmodi libro censuram minus aptum professus, alium magis idoneum ad id muneris subrogari curet: quo tantum abest, ut existimationis suae dispendium apud Pontificem, et Cardinales passurus sit, ut magnam potius probitatis et candoris opinionem et laudem sibi sit conciliaturus.

§ 17. III. De variis opinionibus atque sententiis in unoquoque libro contentis, animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant; studia partium seponant; Ecclesiae sanctae dogmata et communem catholicorum doctrinam, quae conciliorum generalium decretis, romanorum Pontificum Constitutionibus, et orthodoxorum patrum atque doctorum consensu continetur, unice prae oculis habeant; hoc de caetero cogitantes, non paucas esse opiniones, quae uni scholae, instituto, aut nationi certo certiores videntur, et nihilominus, sine ullo fidei aut religionis detrimento, ab aliis catholicis viris reiiciuntur, atque impugnantur oppositaeque defenduntur, sciente ac permittente Apostolica Sede, quae unamquamque opinionem huiusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit.

§ 18. IV. Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum iudicium de vero auctoris sensu fieri posse, nisi omni ex parte illius liber legatur; quaeque diversis in locis posita et collocata sunt, inter se comparentur; universum praeterea auctoris consilium et institutum attente dispiciatur; neque vero ex una vel altera propositione a suo contextu divulsa, vel seorsim ab aliis, quae, in eodem libro continentur, considerata et expensa, de eo pronuntiandum esse; saepe enim acci" dit, ut quod ab auctore in aliquo operis loco perfimctorie, aut subobscure traditum est, ita alio in loco distincte, copiose ac dilucide explicetur, ut offusae priori sententiae tenebrae, quibus involuta pravi sensus speciem exhibebat, penitus dispellantur, omnisque labis expers propositio dignoscatur.

§ 19. Quod si ambigua quaedam exciderint auctori, qui alioquin catholicus sit, et integra religionis doctrinaeque fama, aequitas ipsa postulare videtur, ut eius dicta benigne, quantum licuerit, explicata, in bonam partem accipiantur.

§ 20. Has porro similesque regulas quae apud optimos scriptores de his agentes facile occurrerit, semper animo propositas habeant censores et consultores; quo valeant, in hoc gravissimo

iudicii genere, conscientiae suae, auctorum famae, Ecclesiae bono et fidelium utilitati consulere. Duo autem reliqua sunt in eum finem plane opportuna, quae hoc loco adiungenda omnino esse iudicamus.

§ 21. Prodeunt aliquando libri, in quibus falsa et reprobata dogmata, aut systemata, religioni vel moribus exitiosa, tamquam aliorum inventa et cogitata, exponuntur et referuntur, absque eo quod auctor, qui opus suum pravis huiusmodi mercibus onerare sategit, ea refutandi curam in se recipiat. Putant vero, qui talia agunt, nulli sese reprehensione aut censurae obnoxios esse, propterea quod de alienis, ut aiunt, opinionibus nihil ipsi affirment, sed historice agant. At quidquid sit de eorum animo, et consilio, deque personali in eos animadversione, de qua viderint, qui in tribunalibus ad coercenda crimina institutis ius dicunt; dubitari certe non potest, magnam eiusmodi libris in christianam rempublicam labem ac perniciem inferri; quum incautis lectoribus venena propinen!, nullo exhibito vel parato, quo praeserventur, antidoto. Subtilissimum hoc humanae malitiae inventum, ac novum seductionis genus, quo simplicium mentes facile implicantur, quam diligentissime revisores ad vertant, ac censurae subiiciant; ut vel huiusmodi libri, si aliqua ex ipsis capi possit utilitas, emendentur, vel in vetitorum Indicem omnino referantur.

§ 22. In ea, quam superius laudavimus, praedecessoris nostri Clementis Papae VIII. Instructione, *Tit. de correct, lib.* § 2. sapientissime cautum legitur, ut *quae famae proximorum, et praesertim ecclesiasticorum, et principum, detrahunt, bonisque moribus et christianae disciplinae sunt contraria, expungantur.* Et paulo post : *facetiae etiam, aut dicteria, in perniciem aut praeiudicium famae et existimationis aliorum iactata, repudientur.* Utinam vero in aspectum lucemque hominum libri eiusmodi in hac temporum licentia et pravitate non efferrentur, in quibus dissidentes auctores mutuis se iurgiis conviciisque proscindunt; aliorum opiniones nondum ab Ecclesia damnatas censura perstringunt, adversarios, eorumque scholas, ac coetus sugillant, et pro ridiculis ducunt, magno equidem bonorum scandalo, haereticorum vero contemptu, qui digladiantibus inter se catholicis, seque mutuo lacerantibus, plane triumphant Etsi vero fieri non posse intelligamus, ut disputationes omnes e mundo tollantur, praesertim cum librorum numerus continenter augea-

tur; *faciendi enim plures libros nullus est finis,* ut est apud Ecclesiastes *cap. Í2;* compertum praeterea nobis sit magnam aliquando utilitatem ex iis capi posse; modum tamen in defendendis opinionibus, et christianam in scribendo moderationem servari merito volumus. *Non inutiliter* (inquit Augustinus in Enchirid. cap. 59. prope finem) *exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, et absit error opinantium se scire quod nesciunt.* Qui veritatis studium, et purioris doctrinae zelum, quo suarum scriptionum mordacitatem excusent, obtendere solent, ii primum intelligant, non minorem habendam veritatis, quam evangelicae mansuetudinis et christianae charitatis rationem. Charitas autem de corde puro, patiens est, benigna est, non irrita tur, non aemulatur, non agit perperam, (utque addit idem Augustinus lib. contra litteras Petiliani, cap. 29, n. 31) : *sine superbia de veritate praesumit, sine saeoiiia pro veritate certat.* Haec magnus ille non veritatis minus, quam charitatis doctor, et scripto et opere praemonstravit. Nam in suis adversus manichaeos, pelagianos, donatistas, aliosque tam sibi, quam Ecclesiae adversantes, assiduis conflictationibus, id semper diligentissime cavit, ne quempiam eorum iniuriis aut conviciis laederet, atque exasperaret. Qui secus scribendo vel disputando fecerit, is profecto nec veritatem sibi praecipue cordi esse, nec charitatem sectari se ostendit.

§ 23. Ii quoque non satis idoneam iustamque excusationem afferre videntur, qui ob singulare, quod profitentur, erga veteres doctores studium, eam sibi scribendi rationem licere arbitrantur; nam si carpere novos audeant, forte ab laedendis veteribus sibi minime tempérassent, si in eorum tempora incidissent; quod praeclare animadversum est ab auctore Operis imperfecti in Matthaeum, hom. 42. — *Cum audiens,* inquit, *aliquem beatificantem antiquos doctores, proba, qualis sit circa suos doctores. Si enim illos, cum quibus vivit, sustinet, et honorât, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset: si autem suos eontemnit, si cum illis vixisset, et illos contempsisset.* Quamobrem firmum ratumque sit omnibus, qui adversus aliorum sententias scribunt ac disputant, id quod graviter ac sapienter a ven. servo Dei praedecessore nostro Innocentio Papa XI. praescriptum est in decreto edito die secunda Martii anni millesimi sexcentesimi septuagesimi noni. — *Tandem,* inquit, *ut ab iniuriosis contentionibus doctores, seu seholastici, aut alii quicumque in poste-*

rum abstineant, ut paci et eharitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctae obedientiae eis praecipit, ut tam in libris imprimendis ac manuseriptis, quam in thesibus ac praedicationibus, caveant ab omni censura et nota, necnon a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quae adhuc inter catholicos controvertuntur, donec a sancta Sede recognitae sint, et super eis iudicium proferatur. — Cohibeatur itaque ea scriptorum licentia; qui, ut aiebat Augustinus, lib. 12. Conf., cap. 25, n. 34, *sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est,* aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter etiam notant atque traducunt. Non feratur omnino, privatas sententias veluti certa ac definita Ecclesiae dogmata, a quopiam in libris obtrudi, opposita vero erroris insimulan, quo turbae in Ecclesia excitantur, dissidia inter doctores aut seruntur aut. foventur, et christianae charitatis vincula persaepe abrumpuntur.

§ 24. Angelicus scholarum princeps, Ecclesiaeque doctor s. Thomas Aquinas, dum tot conscripsit nunquam satis laudata volumina, varias necessario offendit philosophorum theologorumque opiniones, quas veritate impellente refellere debuit. Ceteras vero tanti doctoris laudes id mirabiliter cumulat, quod adversariorum neminem parvipendere, vellicare aut traducere visus sit, sed omnes officiose ac perhumaniter demereri; nam si quid durius, ambiguum, obscurumve eorum dictis subesset, id leniter benigneque interpretando, emolliebat atque explicabat. Si autem religionis, ac fidei causa postulabat, ut eorum sententiam exploderet ac refutaret, tanta id praestabat modestia, ut non minorem ab iis dissentiendo, quam catholicam veritatem asserendo, laudem mereretur. Qui tam eximio uti solent, ac gloriari magistro (quos magno numero esse, pro singulari nostro erga ipsum cultu studioque, gaudemus) ii sibi ad aemulandum proponant tanti doctoris in scribendo moderationem, honestissimamque cum adversaras agendi disputandique rationem. Ad hanc ceteri quoque se sc componere studeant, qui ab eius schola doctrinaque recedunt. Sanctorum enim virtutes omnibus in exemplum ab Ecclesia propositae sunt. Cumque Angelicus doctor sanctorum albo adscriptus sit, quamquam diversa ab eo sentire liceat, ei tamen contrariam in agendo ac disputando rationem inire omnino non licet. Nimium interest publicae tranquillitatis, proximorum aedificationis et charitatis, ut e catholicorum scriptis absit livor, acerbi tas atque scurrili-

tas, a christiana institutione ac disciplina, et ab omni honestate prorsus aliena. Quamobrem in huiusmodi scriptorum licentiam graviter pro munere suo censuram intendant revisores librorum, eamque Congregationis Cardinalibus cognoscendam subiciant, ut eam pro zelo suo et potestate coerceant.

§ 25. Quae hactenus a nobis proposita ac constituta sunt, praedecessorum nostrorum decretis plane consona, Congregationum quoque nostrarum legibus et consuetudinibus comprobata, in librorum examine ac iudicio instituendo, Apostolica auctoritate deinceps servari decernimus: mandantes universis et singulis, qui in praefatis Congregationibus locum obtinent, seu illis quomodolibet operam suam praestant, ut adversus praemissa sic a nobis statuta nihil edicere, innovare, decernere aut intentare praesumant, absque nostra, vel successorum nostrorum pro tempore existentium Romanorum Pontificum expressa facultate.

§ 26. Non obstantibus contrariis quibusvis, etiam Apostolicis Constitutionibus, et ordinationibus, necnon earumdem Congregationum, etiam Apostolica auctoritate, seu quavis firmitate alia roboratis decretis, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

§ 27. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum decretorum, mandatorum, statutorum, voluntatum ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentésimo quinquagesimo tertio, septimo Idus Iulii, Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

D. CARD. PASSIONEUS
I. DATARIUS.

Visa De Curia,
I. C. BOSCHI.

L. EUGENIUS.

Loco £8 Plumbi.

Registrata in Secretaria, Brevium.

35. Cf. notam 21.

36. Quamvis Spondanus, Cardinalis de Luca, Vanespen et alii affirma verint, S. Congregationem Indicis a Sixto V institutam fuisse, tamen exploratum est, eam S. Pio V deberi, cum ipse Commissionem a Tridentinis Patribus deputatam ad Indicem librorum vetitae lectionis conficiendum in Congregationem Indicis erexerit. Hanc notitiam debemus P. Libelli Ordinis Praedicatorum, qui sub Alexandro VII eidem Congregationi fuit'a secretis. « Hanc postea deputationem, inquit, in Indicis Congre-« gationem Pius V erexit, secretario eidem assignato Antonio « Possio ; ad quod munus deinceps Summi Pontifices viros ex « ordine Praedicatorum assumpserunt ». Hic insuper Pater Libelli secretarios recenset, qui Sixtum V praecedunt ; quos vide apud Zaccariam *Storia Polemica della proibizione dei libri pag. 153, % IV.*

37. Quid penes S. Indicis Congregationem importet formula *Liber, opus dimittatur* patet ex sequentibus Decretis.

Feria II, die 21 Iunii 1880. « Sacra Indicis Congregatio ha-« bita in Palatio Apostolico Vaticano die 21 Iunii 1880 declarare vit, quod Formula - *dimittatur* - hoc tantum significat : *Opus « quod dimittitur, non prohiberi.*

« Quibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per « me infrascriptum S. I. C. a secretis, Sanctitas Sua declaratio-« nem probavit. In quorum fidem etc.

« Datum Romae die 28 Iunii 1880.

« Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed. S. Ind. Congr. a secretis». *Acta S. Sedis Tom. XIII, pag. 92.*

Cum autem die 5 Decembris 1881 eidem S. Congregationi dirimenda sequentia dubia proposita fuerint.

« I. Utrum libri ad Sacram Indicis Congregationem delati, « et ab eadem dimissi, seu non prohibiti, censeri debeant im-« munes ab omni errore contra fidem et mores.

« II. Et quatenus negative, utrum libri dimissi, seu non « prohibiti a Sacra Indicis Congregatione, possint tum philoso-« phice, tum theologice citra temeritatis notam impugnari ».

Eadem Sacra Congregatio respondit :

« Ad I. Negative.

« Ad II. Affirmative ».

Acta S. Sedis Tom. XIV, pag. 288.

Atque conformiter ad eiusmodi decreta Suprema Inquisitio

Feria IV 14 Decembris 1887, postquam ex Operibus posthumis Antonii Rosmini excerpsisset atque damnasset quadraginta propositiones, de aliis operibus quae a S. Congregatione Indicis anno 1854 dimissa fuerant, edixit: *quin exinde cuique deducere liceat, ceteras eiusdem auctoris doctrinas, quae per hoc decretum non damnantur, ullo modo approbari.*

Acta S. Sedis Tom. XX, pag. 398.

38. Aliud est Censura, aliud prohibitio librorum. Censura est iudicium quo decernitur quid boni quidve noxii in libro aliquo sit: seu iudicium conformitatis aut difformitatis alicuius libri a veritatibus cuiuslibet ordinis; pressius in re nostra: iudicium orthodoxiae aut heterodoxiae alicuius libri.

Prohibitio autem est actus ecclesiasticae potestatis (nam de prohibitione ecclesiastica loquimur), quo liber aliquis noxius lectione et usu fidelium interdicitur.

Censura est causa, prohibitio effectus, cum idcirco liber quilibet proscribatur, quia censura dignus est, vel saltem apparet; hinc censura tum logice tum ontologice praecedit prohibitionem, ut causa praecedit effectum.

At si de ea librorum censura sermo sit, quae nunc in Congregationibus S. Officii et Indicis adhibetur, eam Paulo IV deberi, ex cit. Const. *Sollicita* constat, in qua legimus: « Quibus « (Congregationibus) onus inquirendi in pravos noxiosque libros « impositum est, cognoscendique quibus emendatio, et quibus « proscriptio debeatur. Id muneris Congregationi quidem Ro« manae Universalis Inquisitionis a Paulo IV commissum per« hibent ». *In prologo.* Nemo autem quibus libris emendatio aut proscriptio competat decernere potest, nisi antea examen et censuram instituent.

Inquirendum hoc loco est: an *prohibitio* in Leonis XIII Constitutione eamdem extensionem praeferat ac in veteri iure; in eo enim complexam fuisse *legere, imprimere, publicare, retinere,* aliis *libros proscriptos dare eosque defendere* ex regulis Indici librorum vetitorum praemissis, atque ex aliis fontibus constat evidentissime. Atque dubitandi rationem plura suppeditant: et 1. quidem quia Romanus Pontifex regulas aliquanto molliores effecit, quo ab earum observantia, nemo nisi maius sit, sese subducat; deinde, quia dum in Piana Constitutione *Apostolicae Sedis moderationi,* ex qua desumpta est paragraphus secunda Cap. I. tit. I., excommunicatione percellantur ne-

(seqmtur)

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

BELLÜNEN, ET FELTREN.

CELEBRATIONIS MISSARUM

Die 3 Aprilis 1897.

Per Summaria precum..

COMPENDIUM FACTI. Cum Longobardia et Veneta provincia Imperio Austro-Ungarico subiiciebantur, illarum regionum parochis, quorum reditus certam summam a lege statutam non attingebant, Gubernium persolvebat proportionale subsidium, seu ut hodie nuncupatur augmentum congruae ; sed Uteris *diei 13 Maii 1816* et *23 Decembris 1861* iisdem parochis imposuit onus celebrandi unam missam pro singulis decem libellis subsidii. Circa originem huius subsidii praestat referre quae enarrat R. P. D. Franciscus Nardi in suis *Lezioni di Diritto Canonico (vol. II § 264 in nota):* Respublica Cisalpina saecularizavit multos fundos, quos Apostolica Sedes per concordatum 1803 indulsit, ut apud possessores permanerent, eorumque successores. Per alias saecularizationes ann. 1805, 1808, et 1810 tribuit quamplures fundos Monti Napoleoni, cum onere implendi id quocl deerat congruis paroecialibus, dotationibus capitulorum Cathedralium, et seminariorum ; nec non pensionibus debitis membris Collegiatarum et Monasteriorum suppressorum, onus quod transivit in Montem regni Longobardo-Veneti, et ideo ad regium aerarium a quo dependet. Quamvis hae *saecularizationes* per publicum rescriptum pontificium legitimatae non fuerint, aliquod existit privatum rescriptum a quo colligitur, mentem fuisse Apostolicae x Sedis non inquietandi praesentes privatos possessores. Quo vero iure austriacum Gubernium supradictum missarum onus imposuerit, et an intercesserit S. Sedis auctoritas, licet diligentissimae inquisitiones institutae fuerint, cognosci non potuit.

Ex cessione vero regionis Lombardo-venetae gubernio italico, anno 1866 peracta, certum est etiam fundos praedicti Montis Longobardo-veneti eidem gubernio cessisse, et certum videri gubernium austriacum onus imposuisse prosequendi in auxilium parochorum, quia gubernium italicum id usquemodo fecit. Desunt tamen probationes ad evincendum, an Parochis impositum fuerit onus applicandi unam Missam pro quibuslibet decem libellis subsidii.

Ex hoc factum est ut fere omnes parochi, qui tunc temporis subsidium recipiebant, a celebratione dictarum missarum cessarent ; parochi vero qui postea nominati fuerunt, forsan de tali onere neque cognitionem habuerunt, quia Gubernium in assignando augmento congruae, nullius obligationis specialis mentionem facere consuevit. Quia tamen nonnulli parochi celebrationem non omiserunt, et alii de hac omissione non omnino quieti erant a conscientiae stimulis, Episcopus anno 1882 a Summo Pontifice petiit ut dignaretur: I. concedere sanatoriam singulis parochis Dioecesium *Bellunen,* et *Fel trien,* subsidium a gubernio accipientibus, ob omissionem praedictarum missarum ab anno 1868. II. ut dispensarentur ab hoc onere, tum pro beneficiorum paupertate, tum quia pro multis onus esset novum, eo quod beneficium acceperunt nescientes illud.

Super hisce precibus ab hac S. Congregatione *die 13 Ianuarii 1882,* ex audientia SSmi sequens rescriptum prodiit : « *Attentis peculiaribus circumstantiis, imposito singulis absolutione indigentibus, aliquo missarum numero pro modo culpae et numero missarum inadimpletarum, pro gratia absolutionis et condonationis super praeteritis omissionibus, nec non reductionis enunciatarum missarum ad unam missam pro singulis viginti aut triginta libellis subsidii, prout singulorum beneficiorum parochialium lenuitas, iudicio Episcopi, postulaverit, ad quinquennium, arbitrio et co?iscientia Episcopi».* Quae gratia die 17 Ianuarii 1888 ad aliud *quinquennium prorogata fuit.*

Hoc labente quinquennio, Gubernium augmentum con-

gruae concessit nonnullis parochis, qui prius nullum habebant subsidium ; et nonnullis qui iam habebant, subsidium auxit. Quibus positis, Episcopus tertio recursum habuit ad hanc S; Congregationem sequentia postulans: I. ut, quatenus oporteat, concedatur sanatoria Missarum, quas celebrare debuissent pauci Parochi qui a gubernio acceperunt augmentum congruae et illi qui, ut supra dictum fuit, iamdiu obtinuerant : II. ut in posterum limitetur obligatio ad unam Missam pro quolibet centum libellis, parochis subsidiatis; III. ut dispensetur ab omni applicatione Missarum pro novis additamentis a gubernio praesenti statutis. Huic instantiae *die 30 Ianuarii 1892.*, responsum fuit :

Ad P^m et 3um *Non indigere.*

Ad 2um *Vigore etc. pro gratia iuxta petita ad quinquennium.*

Iioc rescriptum Episcopus ita interpretatus est, ut concessio ad II. ita interpretari deberet ut applicanda esset illis parochis, qui a gubernio austriaco congruas obtinuerant, ut supra dictum est, usque ad annum 1882, et quod ab omni onere exempti essent ceteri parochi, licet ante dictum annum parochiam essent consecuti. Quia tamen nonnulli contrarium putabant, Episcopus tutiorem partem elegit, atque imposuit onus unius missae pro centum congruae libellis, qua fruebantur ante annum 1887, computatae ad mensuram anni 1882.

Cum vero tempus iam accedat in quo ultimum rescriptum est expiraturum, ab hac S. Congregatione rursus postulat : ut prorogetur obligatio unius Missae pro quolibet centum libellarum, ad mensuram anni 1882, favore parochorum qui ab Austriaco gubernio obtinuerunt, ut ceteri omnes, omnino dispensentur ab obligatione.

Novis his acceptis precibus, *Per summaria precum* petitio Episcopi examinatur.

Disceptatio Synoptica

Porro si affirmativo responso propositae preces dimittantur, de celebratione missarum, de qua fit sermo, iam

actum est. Nam novi parochi ah omni onere soluti declararentur ; veteres qui perpauci sunt et iam senescentis aetatis, intra haud longum tempus, naturae lege impellente, sane deficient.

Et nihilominus aliqua obligatio harum missarum parochis inesse videtur. Bona enim, quorum reditus ab Austriaco Gubernio in parochorum subsidium fuerunt destinati, certo certius missarum onere gravabantur ; et haec certe ratio fuit, ob quam saepius dicta missarum celebratio imposita fuit. Haec bona postea in Italiae Gubernium translata, secum tulisse videntur onus missarum, quod in casu est aliquid reale et fundum sequitur.

Neque obstare putarem quod Gubernium Austriae, cedendo bona non adiecerit conditionem imponendi parochis onus missarum. In primis enim observari potest, credibile vix esse quod Gubernium austriacum de hoc onere in bonorum cessione non sit locutum.

Quando enim significavit Fisco Italico onus persolvendi dicta subsidia, procul dubio etiam manifestavit onera adnexa. Insuper factum exonerationis ab Administro laico concessae, videtur potius innuere de dicto onere Italicum Gubernium, saltem monitum fuisse.

Quod si hodie bona Veneti Montis amplius non existunt, et Gubernium persolvit subsidia ex fundo Cultus, hoc nihil prodesse videtur, quia res quae aliis subrogantur, iisdem privilegiis et oneribus affectae dici debent.

Neque defectum interventus S. Sedis in hoc negotio, adduci posse putarem, ut recte facta a Gubernio absolutio huius obligationis dici possit, nam supponi nequit, S. Sedem id omnino ignorasse ; et si habentur rescripta privata, ut refert Nardius a quibus apparet, mentem non fuisse Apostolicae Sedis, inquietandi privatos praesentes possessores, haud irrationabiliter inferri posset, quod sciret etiam quibus oneribus gravarentur enunciati Montis reditus, quippe conflati fuerant ex pretio bonorum, quae a privatis, tempore suppressionis, coempta sunt. Hinc nisi directe, saltem tacite et

indirecte onus impositum parochis, subsidio auctis, probasse dici posset.

Demum rescriptum *anni 1882* probat SSmum saltem dubium haesisse, an tenerentur nec ne parochi celebrare impositas missas, atque ideo absolutionem et reductionem concedere opportunum duxit.

Altera tamen ex parte observandum est, Gubernium austriacum forsan nullo iure fretum ea missarum onera imposuisse, tum quia nulla potestate, hac de re, fruebatur, tum quia subsidium, quidquid sit de origine bonorum illorum ex quibus reditus obveniebant, a lege determinatum erat, et lex nullum onus exinde imponebat.

Praeterea, impositis oneribus, finis legis non obtinetur, nempe subveniendi parochis pauperibus.

Praesumptio vero quod S. Sedes tacite et indirecte onus probaverit nihil efficere posse videtur, nam agitur de inducenda obligatione, ad quem effectum silentium et praesumptio satis esse non possunt. Quod si ex privatis rescriptis deducitur, eam noluisse inquietari eos, qui bona direpta possidebant, ex hoc non sequitur quod voluerit parochos enunciato onere gravare.

Neque ratio deducta ex qualitate bonorum ex quibus forsan Mons Venetus conflatus fuit, sufficiens videtur. Etenim onus, qua reale, sequitur rem eamque afficit apud cuiuscumque generis possessores. Huc spectare videntur rescripta Pontificia quibus edicebatur : nolle inquietare praesentes possessores.

Reapse Gubernium bona ecclesiastica non possedit, sed vendidit, pretium accepit, *Montem Napoleonicum* constituit, quem dotationes Ecclesiarum persolvere atque deficientes congruas parochiales supplere aliaque sustinere iussit.

Haec bona *Montis Napoleonis* obnoxia fuerunt legibus Napoleonem inter et Pium VII concordatis, et quia de hisce oneribus nil cautum fuit, dicendum est haec *dispensative* fuisse a veteribus piis vinculis absoluta.

Neque fidelibus oblatoribus exinde deest quodcumque ex-

piatorium suffragium ; siquidem parochi Missam *pro populo* applicant pro defunctis de reditibus parochialibus una vel alia ratione, optime meritis.

Quidquid vero sit, res hodie eo deductae sunt ut, salva aequitate, saepe memoratos parochos ad dictas missas celebrandas obligari non posse videntur. Novum porro Gubernium omnia miscuit, ita ut nullo habito discrimine antiquorum subsidiorum, supplementum congruae dari decrevit parochis, quorum reditus libellas octingentas minime attingerent. Ideoque omnia novata fuerunt. Et si parochi qui ex. gr. in Latio supplementum congruae obtinuerunt, ab onere missarum sunt immunes, ratio non est cur parochi regionis venetae graventur. Neque ullo modo ex qualitate bonorum talis obligatio deduci posset, secus qui ex fundo cultus vel stipendia vel subsidia recipiunt, missarum onere gravari dicendi forent.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid precibus esset respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Cong. re visa, sub die 3 Aprilis 1897, censuit respondere : *Ad I et II pro gratia, iuxta petita, facto verbo cum SSmo.*

MELEVITANA

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 9 Aprilis 1897.

Sess. 24, cap. 1, de ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Iosephus in 34 aetatis anno constitutus et Anna fere quadragenaria, mutuo compulsi amore, legitimas nuptias iniverunt die 22 Octobris 1883 coram parocho Ecclesiae S. Publii in suburbio Vilhenae Dioecesis Melevitanae.

Coniuges per aliquot menses in domo paterna Iosephi maritalem vitam duxerunt, sed ob exortas dissensiones inter Annam et viri familiam, aliam domum ab ipsa Anna locatane habitarunt, Verum paulo post, transactis nempe novem

circiter mensibus a contractis nuptiis, Iosephus uxorem dereliquit, haud amplius ad eam reversurus.

Quum autem Anna inutiliter deprecata sit virum, adhibitis etiam amicorum suasionibus, ut coniugalem vitam restauraret; sub die 27 Februarii 1885 recursum habuit ad potestatem laicam, petens a viro alimenta, quibus obtentis, nolente adhuc Iosepho ad ipsam redire , institit apud idem tribunal civile pro separatione quoad torum et cohabitationem, quam obtinuit mense Decembris 1887.

Acquievit postea Anna usque ad Maium an. 1890, mittens tunc supplicem libellum Ordinario Melevitano, ut ipse dignaretur canonicum instruere processum ad sui matrimonii nullitatem declarandam, ob viri antecedentem perpetuamque impotentiam. Oratricis precibus paruit melevitana Curia, sed paulo post processus, nescio qua de causa, interruptus remansit; donec sub anno 1892 Anna SSmum supplicavit, ut suum matrimonium cum Iosepho benigne dispensaret, quia ex viri impotentia numquam consummatum fuerat.

S. C. Congregatio, acceptis oratricis uteris, a Curia commendatis, rescripsit Episcopo, eidem facultatem faciens instruendi processum, adiungens insuper : « quod quatenus fundatam spem habeat, etiam omissa inspectione mulieris, inconsummationem ex aliis argumentis evincendi, procedat ad normam iuris ».

Rmus Ordinarius, processu absoluto, sequentem, haud vero requisitus, protulit sententiam : « Declaramus et decernimus, quidquid de potentia vel impotentia sit maritali, matrimonium inter contendentes.... inconsummatum remansisse ac [proinde supplicandum SSmo iuxta oratricis preces pro dispensatione super rato et non consummato.... » (1).

(1) Recole Vol. XXVII, 141. *Varsavien. Dubii quoad causas matrimoniales;* **dubium II. Liceatne sine speciali, pro unaquaque vice, permissione s. Congregationis recipere instantiam et instituere processum in ordine ad efflagitandam dispensationem Sanctissimi? Cui dubio II sub die 16 Iunii 1894 responsum fuit:** *Negative,*

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Agitur hoc iri casu de matrimonio dissolvendo, valide et legitime contracto. Agitur de dispensatione, quae quamvis sit gratia , tamen locum non habet nisi certitudo adsit matrimonii rati et non consummati. Iamvero tale ne est matrimonium inter Iosephum et Annam? Ante omnia sponsorum confessio excipienda videtur ; cum vero ipsi affirment, quod ab aliis testibus confirmatur, se simul cohabitasse et condormisse octo vel novem mensium spatio , evidenter habetur praesumfio vehementissima iuris et de iure de consummatione matrimonii; contra quam praesumptionem non admittuntur probationes, nisi plenissimae sint et concludentes omnemque suspicionem removeant. Ast quas probationes adversus talem praesumtionem affert actrix Anna? Nullas dicam, vel fere nullas nisi nudam suam sententiam. Non septimae, nempe, manus depositiones, non sui corporis inspectionem.

Ante omnia petam. Cur tamdiu distulit actrix sui matrimonii inconsummationem prodere *i* En ratio dilationis ab eadem allata : per * longum, tempus nescivi quomodo matrimonium consummaretur ; ita ut crederem filios procreari ex osculis invicem datis et acceptis inter virum et feminam. Sed subiicit consultor, res vere miranda, quod mulier, quae quadraginta annorum aetatem iam excesserat, nesciret quid sibi vellet matrimonii consummatio ! Credendum ne erit tantae huius mulieris ingenuitati ac sinceritati? Talis simplicitas pro falsa et affectata habenda est, si depositionem matris Iosephi sequimur.

Ponamus tamen ipsam, quando nuptias cum Ioseph iniit, vere nescisse quid sibi vellet matrimonii consummatio ; admittere tamen numquam poterimus se in tali ignorantia duobus etiam annis post separationem perseverasse ; idque variae rationes nobis suadent. Ac primo, eius socrus retulit: inito matrimonio, certiorem fecisse sponsam quomodo sese

habere deberet in copula cum viro suo, ne semen disperderete. Ergo vix inito matrimonio eius socrus eam edocuit rationem se gerendi in matrimonii consummatione et ab illo temporis momento cessasse dicendum est imperitam eius ingenuitatem. Sciebat ergo dum vitam cum suo viro ageret, quid esset adulterium,, quomodo hoc crimen patraretur, et nesciebat quid sibi vellet matrimonii consummatio vel quomodo perficeretur? Apage ineptias! Demum, ne nimius sim, quos testes affert tantae suae ignorantiae ? Tres : Paulum, nempe Xueret, qui, teste vindice vinculi in Curia Melitensi, hebetudine laborat, et duos Patres Capulatos, quos suos Confessarios dicit, quique ambo vita functi sunt. Vere locus hic esset exclamandi : Oh infelix astutia quae dementes et mortuos testes adhibes !

Ast videamus utrum matrimonium revera fuisse consummatum constet necne, ex tribus probationum capitibus nempe 1. ex iurata coniugum depositione; 2. ex septimae manus testimonio; 3. ex corporum inspectione. Anna negat fuisse consummatum suum matrimonium : attamen quod mulier negat, vir affirmat ; et ideo habemus hic evidenter casum in c. *Accepisti de frigid, et male f.* contemplatimi, in quo concluditur, viro affirmanti contra mulierem negantem, consummatum fuisse matrimonium credendum esse; in casu autem praesenti hoc evidentius apparet si advertatur, virum loqui de re quae quando fiebat ei nota erat, cum e contra Anna ea refert quae tunc nesciebat, ut ipsa testatur. Insuper cum Anna dicit : « Non poteva versare il seme che io non ho mai veduto » quid significat? Num quod vir non poterat semen in vase infundere? At si semen in vase non infundisset extra vas ipsum seminasset, ipsumque Anna et vidisset et sensisset. Num vero quod semen e pene eiicere non poterat? Ast hoc absolute negat mater Ioseph.

Clarius etiam falsitas testimonii Annae de Iosephi impotentia evincitur ex tacto, quo ipsa die 23 Maii 1885 apud civile tribunal accusavi t suum virum Ioseph cum meretricibus vitam agere. Quo sane pacto ipsum tali crimine ac-

cusare poterat si impotentia coeundi laborasset? Tali ergo accusatione viri potentiam ad coitum fatebatur.

Si septimae manus testes audiamus evidentior etiam apparet veritas pro parte Iosephi. Omnes fere testes, si unam excipiamus Vincentiam Grech, magnis laudibus efferunt probitatem et veracitatem Iosephi. Omnes testes, si praedictam Vincentiam Grech et Philomenam Gordmaina excipiamus, pro certo asserunt copulam inter praedictos sponsos fuisse completam, idque ex verbis praesertim ipsius Annae deducunt et ex modo se gerendi quando vir eam deseruerat.

Ex hisce igitur testibus apparet Annam numquam questam fuisse de viri impotentia toto tempore, quo cum ipso vitam duxit, imo eius potentiam evidenter manifestasse tum ex pluries repetita declaratione se ventrem gestare, sanguinem copulae tempore effudisse, atque ex maximo desiderio quod semper habuit vitam cum suo viro ducere; uno verbo ita semper se egisse ac locutam fuisse, ut claro ostenderet, virum suum non solum potentia potiri coeundi, verum etiam eum matrimonium cum ipsa consummasse-.

Ex hactenus igitur disputatis constat, Iosephum et Annam libere inter se matrimonium contraxisse, per novem menses simul cohabitasse et condormisse ; post ultra duos annos a separatione Annam postulasse apud iudicem virum suum de impotentia et matrimonii inconsummatione, eiusque ignorantiam quoad matrimonii consummationem quam ipsa attulit ad se purgandum a tam longo silentio nullimode admitti posse. Constat pariter se tum ante, tum post separationem pluries pluribusque testibus dixisse se ventrem gestare , sanguinem f udisse in congressu cum suo viro ; per longum tempus et repetitis precibus virum ipsum rogasse ut ad se rediret, et ad hoc consilia et suasiones parentum amicorumque adhibuisse, quod certe non fecisset si virum impotentia laborantem fuisset experta. Constat demum ex fere omnium testium sententia matrimonium inter Iosephum et Annam vere fuisse consummatum.

Ast quid de peritorum sententia ? Ex eorum testimoniis

nostra sententia confirmatur. Doctor Franciscus De Bono loquitur de possibilitate impotentiae, non de actuali aut praeterita impotentia, quae nempe ipsum Ioseph afTecerit non modo quando vitam cum Anna ducebat, sed etiam antequam cum ipsa matrimonium iniret, non loquitur nempe de impotentia matrimonium antecedente, sed consequenti quae licet certe et evidenter adesset ipsius matrimonii validitatem afficere haud posset, nec eiusdem inconsummationem declarare, cum ipsi consummationi supervenire potuerit. Omnes igitur periti, qui corpus Ioseph inspexerunt, conveniunt quod nullum impotentiae signum in eius corpore reperiatur; ergo argumentum inconsummationis matrimonii ab actrice Anna adductum destruitur.

At habemus testimonium doctoris Theodori Bennici qui Annae favere videtur. Ante omnia advertendum duco, hunc doctorem inspectionem corporis Annae instituisse extraiudicialiter ; deinde talem inspectionem peregisse « per via d' ispezione oculare e del riscontro « digitale » atque omisisse quod a S. C. C. per instructionem editam die 22 Aug. 1840 praescribitur, quod nempe mulier « immergenda erit in balneo aquae tepentis. . . . quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debebit ». Hisce notatis audiamus testem. Ponamus paulisper verum dicere testem asserentem signa perspecta in Anna certa esse inconsummati matrimonii. Ast huius inconsummationis causa nonne esse poterat ipsius mulieris hymenis arctitudo ? « Avea un imene anulare molto ristretto » si ita ; impedimentum erit ex parte ipsius mulieris; si ita; talis hymenis arctitudo constituit ne impotentiam absolutam ac perpetuam nec ne? En quaestio solvenda antequam, posita matrimonii inconsummatione, fas sit ipsi Annae nuptias alias inire. Hisce per transennam notatis, quaero utrum hymenis integritas et absentia caruncularum myrtiformium sint indicium certum et evidens virsinitatis in muliere et matrimonii inconsummationis. Si antiquiores medicos consulamus pro parte affirmante standum est, ast alia est sententia recentiorum. « Vir-

ginitatis, ait Zacchias *Quaest, medie, legal, lib. 4, tit. 2, q. 1, n. 14,* nullae dantur certae et inseparabiles notae, accepta virginitate prout est quaedam muliebrium vasorum integritas ex coniunctione viri non maculata. Acceptissima est haec conclusio recentioribus omnibus____Ratio autem huius conclusionis est quia ea potissimum signa quibus maxime in eius rei attestatione fidendum est vel fallacia sunt et nihil certe promittunt, vel realiter nulla sunt ; nam quod de hymene laetatur omnes pene anatomici recentiores in re anatomica oculatissimi unanimes assentiuntur ac conveniunt eam membranam non reperiri in omnibus », ita etiam Scuring in sua *Sparmatolo già ;* Vannet in opere, cui titulus *De la génération, p. 2, a. 2;* Filippi, *Manuale di medicina legale, part. 3, pag. 665;* Gardier, *Trattato completo dei parti, t. 1 e 2, art. 1, sess. 1.* In iis autem feminis, in quibus hymen reperitur, iuxta eorum sententiam integra esse potest, licet repetitis vicibus copula fuerit habita. Garnier 1. c. Huius autem hymenis integritatis post matrimonii consummationem varias rationes adducunt inter quas 1. « si vir membrum habeat admodum breve et membrana illa (nempe hymen) sit altius interiusque posita, vel ipsa mulier uteri collum habeat prolongum ». Zacchias *ibid.* ***I.*** *c. n. 29. 2.* Si mulier post matrimonii consummationem et etiam hymenis lacerationem per longum temporis tractum a copula se abstineat « una molto lunga interruzione della copula permette alle parti di restringersi e riprendere il loro stato primiero ». Garnier *l. c.* 3. « Conniventia et cohaerentia partium colli matricis____etiam medicaminibus procurari talis potest, quae non modo adaequet, sed etiam exsuperet naturalem ». Zacchias */. c. n. 24.* Hinc Sánchez ait: « Saepe oculi et manus, explorantium, falluntur eo vel maxime quod feminae multis fraudibus utantur, quibus virgines apparent ». *De matrim, tit. 7, disp. 108, n. 8.* Ne de hac postrema causa agamus duae priores certe in casu nostro habentur, nempe virilis membri Iosephi exilitatem habemus ex peritorum depositione.

VOTUM CANONISTAE. Consultor iste, relatis quae ad spe-

ciem facti revocandam necessaria erant, venit ad meritum causae, ad inquirendum nimirum, utrum consuli possit SSmo ut hanc dispensationem concedat. Porro in hoc tamquam indiscutibile principium poni debet dispensationem a matrimonio tamquam rato et non consummato non esse concedendam nisi moraliter certo constet matrimonium mansisse revera ratum et numquam fuisse consummatum, nec sufficere quod evidenter probari non possit matrimonium certo fuisse consummatum. Quare hoc nobis est inquirendum utrum probationes quae ad adstruendam inconsummationem inducuntur valeant virum prudentem in hanc certam persuasionem inducere necne. De inconsummatione autem constare potest: *a) ex* depositione coniugum, *b) ex* septimae manus confirmatione, *c) ex* inspectione corporum, *d)* ex variis indiciis quae simul sumpta, sin minus singula, moralem quamdam certitudinem praebent.

a) Quoad depositionem coniugum habemus quidem Annam testantem sub iuramenti fide se per plures menses cum viro suo cohabitasse et condormiisse ; imo quotidie fere coniugalibus officiis dedisse operam , matrimonium, tamen non fuisse consummatum ex viri impotentia, qui ne unica quidem vice semen emisit, imo nec membrum suum virile immittere potuit in vaginam mulieris quae plures ex his conatibus dolores perpessa est. — Sed contraria omnino est depositio viri. Is sub iuramenti fide deponit, se matrimonium consummasse quum et membrum in vaginam immiserii, et semen infuderit ; quod etiam patri suo de hoc sciscitanti asseruit, ut ipse pater in sua depositione testatur.

Ex dicta igitur iurata depositione viri eliditur, ut patet , depositio mulieris, etiamsi hae in pari omnino censu haberi deberent; multo magis quum in casu, ut postea videbimus, vir maiorem mereatur fidem et ipsum ius pro viro militet. In cap. enim 1 *De frigid, et malefic.* expresse habemus : « Accepisti mulierem.... Illa autem si prior post annum aut dimidium ad Episcopum aut eius missum proclamaverit dicens, quod non cognovisses eam, tu autem (vir)

contrarium affirmas, tibi credendum est eo quod caput es mulieris ». Quare quocumque tandem nos vertamus ex iurata depositione coniugum argumentum de non consummatione moraliter certum in casu habere non possumus.

b) Videndum nunc est secundo loco utrum hoc evincat septimae manus confirmatio. Circa quam ante omnia notandum est, testes interrogatos non fuisse, utrum perspectam haberent religionem et honestatem illius coniugis a quo inducti fuerant, ut propterea sibi verisimile esset ac crederent eum vera dixisse, quemadmodum imponit Instructio huius S. Congr. 22 Aug. 1840. Profecto haec interrogatio suum habuisset valorem, et praecipua est in testimonio septimae manus quod est testimonium non scientiae, sed veracitatis, nec videtur omnino suppleta ab alia interrogatione quae testibus facta est, utrum nempe putarent matrimonium fuisse consummatum an non. Porro Anna duos tantum testes in iudicium adduxit, praeter Theodorum Bonnici medicum-chirurgum, qui eam visitaverat post eius separationem a marito , idest Vincentiam Grech et Iuliani de Comitibus Preziosi. Ex his Iulia Preziosi aperte fatetur se esse in eam persuasionem matrimonium hoc fuisse consummatum; Vincentia Grech putat matrimonium mansisse ratum, hac mota ratione, quod Anna aliter omnino de matrimonii consummatione loquuta est antequam cum quodam Paulo Xuereb de actu coniugali sermonem habuisset et postquam sermonem de hoc habuerat (quum nempe ut videtur iam spem conceperat nubendi Carmelo Briffa consobrino suo). Ex novem vero testibus septimae manus quos induxit Iosephus, omnes testantur se putare matrimonii consummationem intercessisse, una excepta Philomena Giordmaina. Notandum praeterea est omnes fere testes existimare matrimonium consummatum fuisse, tum quia ipsa Anna adhuc cum marito cohabitans, saepius ipsis dixerit se a viro gravidam fuisse factam , quod quamvis verum non fuerit, mirum non est in muliere quae aetate est provectior ; tum quia, si actum esset de impotentia, multo prius de hoc Anna conquesta esset,

quam callidiorem plerique existimant. Quare etiam ex hoc capite non solum iterum concludendum est, nullum certum argumentum pro inconsummatione haberi, sed plura potius indicia quae praesumptionem iuris et de iure iam extantem pro consummatione matrimonii omnino firmant.

c) Ad tertium caput probationum iam est transeundum, ad inspectionem videlicet corporum. Porro in hoc habemus testimonium alterius ex medicis pro mulieris virginitate, dum alii quinque in contrariam eunt sententiam, ex quo repererint in viro Iosepho perfectam genitalium constitutionem, quae neminem inducere valet in suspicionem ipsius impotentiae.

Quibus omnibus addi potest animadversio, nempe altitudinem vaginae Annae ex hoc etiam originari potuisse, etiam sequuto coitu, quod virile membrum Iosephi exiguas habet dimensiones, ex peritorum dictu. Ex his nemo non videt, eum quoque qui maxime Annae favere vellet, posse quidem, aliquod probabile argumentum non consummationis matrimonii hinc eruere, numquam vero argumentum moraliter certum ; imo etiam argumenta probabilia pro consummatione maiora omnino videri.

d) Restat ut videamus, num talia indicia et circumstantiae tales in casu concurrant, ut simul sumptae moralem certitudinem prudenti iudici praebeant matrimonium non fuisse consummatum. Sed ex illis ipsis quae diximus hucusque patet, plura e contra daid indicia, plures circumstantias quae consummationem suadent. Nam ante omnia Anna non praesefert in suis depositionibus notam veracitatis. Profecto enim difficile est admittere, mulierem quadragesimum annum praetergressa™, quae callidior dicitur ab inductis testibus, quaeque per novem menses cum marito condormivit, ignorasse in quo consisteret matrimonii consummatio, idque casu quodam didicisse ex turpi sermone habito cum quodam Paulo Xuereb, qui in actis hebes insinuatur. Praeterea Anna ipsa testatur se quum primis mensibus a matrimonio inito cum viro suo in paterna domo moraretur a so-

cero ad adulterium fuisse incitatam, eamque fuisse causam cur domum illam dereliquerit; porro quis cogitet loquentem de adulterio ne cognoscere quidem in quo stet consummatio matrimonii? Addas quod mense uno a separatione loquens Anna cum Carmela Stivala iam videtur cognovisse quid esset copula, cum ea enim sermonem de actibus coniugalibus instituit et se gravidam dixit. Illud insuper quod in hoc omnem tollit ambiguitatem est depositio Iosephi matris iam supra relata.

His adde ipsum motivum, quo Anna inducta est ad causam hanc intentandam : idest spem nuptias ineundi cum suo consobrino Carmelo Briffa. Nonne desiderium novarum nuptiarum Annam forte impulit ad mentiendum? Quod magis probabile apparet ex contraria confessione viri. Vir enim nullum facit lucrum ex eo quod matrimonium suum cum Anna habeatur tamquam consummatum, neque enim secus aliquid timere posset, ne ipsum quidem dedecus impotentiae; nam quinque periti medici, qui eum recognoverunt, nimis aperte hanc iniuriosam notam ab eo propulsant. Imo contra se testatur Ioseph, ex hoc enim inhibitum ei manet novum coniugium. Praeterea Ioseph vir est pius, qui Sacramenta pluries in anno frequentat, Anna vero inhonestam vitam traducit.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Matrimoniale vinculum, quod anno 1883 mensis octobr, die 22 contraxit Anna . . . . 39 iam tum annos nata, cum Iosepho . . . in aetate annorum 34 constituto, imperfectum proclamat.

Cum adversam actionem plene profligent lectissimi consultores, theologus et canonista, piacilium existimo, Patres Amplissimi, multis Vos morari. Hoc unum advertam, nempe Melevitanum Antistitem im merito commoveri auctoritate medici Bonnici, iurantis, praevia Annae recognitione, eiusdem virginitatem ; etenim medicus Bonnici corpus Annae exploravit, non praemisso balneo, non adhibitis circumspectionibus ad detegendas fraudes, quibus virginitas simulari potest.

Experientia autem docet, feminas, etsi corruptissimas, hac ratione exploratas, nedum ab uno, verum etiam a phalange medicorum, ceu docte demonstrat egregius consultor theologus, testimonium virginitatis consequi posse.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SS.mo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Conc., re disceptata sub die 3 Aprilis 1897, censuit respondere: *Negative.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

CONSTANTIEN. et ABRINCEN. Beatificationis et Canonizationis ven. Servae Dei sororis Mariae Magdalenae, in saeculo lullae, Franciscae, Catharinae Postel, fundatricis et primae Superiorissae Generalis Instituti Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia.

Quod Deus naturae auctor largitus est homini adiutorium, id quoque in ordine supernaturali perfecisse constat. Haec singularis divinae providentiae dispositio a mundi initio per saeculorum decursum perseverans, nostris hisce temporibus magis clarescit in vera Christi Ecclesia ad christianae societatis bonum per mirabilem seriem virorum ac feminarum sanctimonia vitae praestantium. Praeclara quadam forma una cum Beato Ioanne Baptista de la Salle fratrum scholarum christianarum insti tu tore, affulget femina, puellis coelitus data, soror Maria Magdalena, in saeculo Iulia Postel, quae Institutum sororum scholarum christianarum a misericordia fundavit et rexit.

Die 28 Novembris, anno 1756, Barflorei in Gallia ex Constantiensi dioecesi, Rothomagensis Provinciae, prima ex septem filiis Ioannis et Teresiae Le Vallois ortum duxit, statim baptismo regenerata. Adhuc infantula et puellula quasi apis argumentosa magni tempus aestimasse, et vitam piam, austeram

atque actuosam egisse fertur. Politiore educatione penes Moniales Benedictinas Valloniis degentes exculta, in suo oppido natali adolescentula octodecim annorum scholam aperuit ad puerorum puellarumque pauperum religiosam institutionem. Turbolentissimis illis temporibus, Galliae atque universae Europae infensis, Iulia Postel, Christi amore incensa, pastores et fideles frequenter adibat, opem ac solatium cunctis afferens; et concreditam sibi sacram supellectilem, ipsamque Sanctissimam Eucharistiam in pixide inclusam sancte custodiebat. Anno 1802 Caesaroburgi scholam instituit trecentis puellis florentem et anno insequente Catharinam Bellot ac deinceps Aloisiam Viel de Quettehou sibi sociavit. Hic funiculus triplex novi Instituti ibidem ordinaria Auctoritate Revmo Cabart delegata erecti, et dein ab ipso Episcopo Constantiensi Rousseau in templo Augustissimae Trinitatis confirmati, per parabolam evangelicam de grano sinapis tribus illis virginibus accommodatam collaudatus fuit. Memoranda est dies octava Septembris qua, anno 1807, Iulia Postel in Congregatione sororum scholarum christianarum a se fundata, se totam Deo sacravit, sumpto nomine Maria Magdalena. Caesaroburgo discedens anno 1811 in pagum *Oetemlle-la-Venelle* venit et post sex menses oppidum *Tamerville* ingressa, ibi sedem suae Congregationis primitus elegit. Ut libere edoceret, humilis virgo iam aetatis suae 62 annos agens, publicae instructioni praepositis se obtulit examinandam, et diplomate decorata magisterium iure publico exercere perrexit. Verum anno 1832, empta Abbatia S. Salvatoris le Viconte, Maria Magdalena in eam migravit, servato sororum praesidio in oppido Tamerville, et Abbatiae templum omni ex parte restituendum statuit.

Domo principe suae Congregationis cum scholis fundata, consilio et opera cum R. D. Delamare ipsius Congregationis superiore egit, ut Institutum a fratribus misericordiae nuncupa,-tum oriretur ad pueros atque adolescentes praesertim pauperes erudiendos. Crescente autem sororum ac postulantem numero, optima mater, dimissis regulis iampridem ab ipsa conscriptis et observatis, alias quas B. Ioannes Baptista de la Salle suis sodalibus dederat, vertente anno 1838 ab ecclesiastica auctoritate humiliter ac libenter accepit, novis nuncupatis votis, atque immutabili veste servata. Interim eo ipso anno Regiis Litteris Congregatio sororum cum domo principe Abbatiae Ss. Salva-

toris iuridice recognita fuit; et deinceps anno 1842 a Gregorio Papa XVI fel. rec. iisdem indulgentiis ac privilegiis ditata, quae Congregationi fratrum a Scholis Christianis indulta fuerant. Verum Dei Famula ob devexam aetatem et corporis debilitatem a laboribus requiescere cupiens simulque dissolvi et cum Christo coniungi, proximum suum obitum pluries praenunciavit, qui obtigit placidissime die 16 Iulii in festo B. M. V. de Monte Carmelo, anno 1846, postquam sancto Viatico refecta, sacroque oleo linita, adstantibus sororibus sui Instituti maternam benedictionem dederat.

Eius sanctimoniae fama, quam dum vitam duceret, adepta fuerat, post obitum a civibus et ab extraneis ad funus et sepulcrum confluentibus confirmata, in dies magis clara et diffusa perdurat. Hinc super eadem fama rite confecto in ecclesiastica Curia Constantiensi et Abrincensi Processu Ordinario, eoque in Actis S. Bituum Congregationis exhibito et aperto, praevio Apostolico Indulto super dubio Introductionis Causae proponendo in Congregatione Ordinaria ante lapsum decennii et absque interventu et voto Consultorum, rogante illustri Domino Aloisio Rossi de Gasperis, Equité Torquato, huius Causae Postulatore una cum Instituto sororum scholarum christianarum a Misericordia, attentisque praesertim litteris postulatoriis aliquorum Emorum ac Revmorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Sacrorum Antistitum, aliorumque virorum sive ecclesiastica, sive civili dignitate praestantium, Emus et Rmus Dominus Cardinalis Caietanus AIoisi-Mosella, eiusdem Causae relator, in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis comitiis, subsignata die, ad Vaticanum habitis sequens dubium discutiendum proposuit: «An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur? » Et Sacra eadem Congregatio, post relationem ipsius Emi Ponentis, omnibus maturo examine perpensis, auditoque R. P. D. Ioanne Baptista Lugari, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: *«Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit* ». Die 27 Iulii 1897.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae eiusdem Congregationis probavit et propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praedictae

Venerabilis Servae Dei Mariae Magdalenae Postel, iisdem die, mense et anno.

C. CARD. MAZZELLA *Praef.*

L. * S.

DIOMEDBS PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

BASILEEN. seu TRECEN. Beatificationis et Canonizationis ven. Servae Dei Mariae Franciscae Saiesiae Chappuis Antistitae Monasterii Visitationis in Civitate Trecensi.

Quo acrius inimici christiani nominis fremunt ac insaniunt adversus eos qui evangelica consilia profitentur, eo suavius Deus amorem et spiritum Christi in Ecclesiae sinu excitat ac fovet; adeo ut haec admirabilis Mater divinam ac perennem foecunditatem sanctitatemque suam confirmet. Inter praestantiores moniales Ordinis Visitationis B. M. V. recensenda est soror Maria Francisca Salesia Chappuis, cuius vita, ceu Dei benedictionibus praeventa et sanctitate decorata, publico testimonio cohonestatur. Haec Dei Ancilla die 16 Iunii anno 1793, in oppido vulgo *SoghièreSj* Basileensis dioecesis, in lucem edita et baptizata, imposito nomine Maria Teresia, a piis parentibus et ab avúnculo, ipsius oppidi Parocho, pietatis et religionis principia hausit Octennis ad sacram Synaxim admissa, anno aetatis duodecimo Friburgi Monialibus Visitationis excolenda tradita est. Post quatuor annos expolitior effecta ac domum reducta, frequenter et studiose sermones de rebus sacris audiebat a presbyteris ibi degentibus, qui studia ecclesiastica Romae in Collegio Germanico Hungarico rite peregerant. Quum ad annum aetatis suae undevicesimum pervenisset Maria Teresia semel atque iterum monasterium Friburgense ingressa est, atque ubi olim alumna, dein soror reddita, opitulante Deipara Virgine, suscepto nomine Francisca Salesia, sui sancti Institutoris spiritum ac regulam observare sategit, et Neoepiscopo Friburgensi Tobia Venny sacris operante, anno 1816 religiosa vota nuncupavit. In eodem monasterio novitiarum magistra electa fuit, et quae ab eius ore sive praecepta sive monita regularis disciplinae acceperant discipulae, ea secreto conscripserunt sancte custodiendo ac fideliter dispensando. Pluribus monasteriis Visitationis praesertim Trecensi, Parisiensi, Metensi aliisque successive, ipsis roganti-

bus sororibus, praefuit. Trecensi monasterio anno 1844 restituta, ibi usque ad vitae exitum, quasi lucerna lucens et ardens in domo Dei refulsit. Ampliata religiosa domo, ephebeum quod confluentes ex omni Gallia puellas nobilitate, moribus ac ingenio illustres excipiebat, reformavit atque auxit, et extra monasterii septa puellis egenis instituendis scholam aperuit. Ad ancillam Dei conveniebant viri ac mulieres in asperis atque arduis consilia, opem, solatium exquirentes. Plures a Gallicanismi temeritate, a Magnetismi superstitione, a Iansenismi reliquiis retraxit. Sacras disciplinas quas ipsa a puris fontibus delibaverat, cum sui animi gaudio bene fundatas vidit in Trecensi maiori Seminario, una cum instaurata alumnorum frequentia ad sacram Synaxim et sanctae Ecclesiae Romanae liturgia. Piis ac religiosis utriusque sexus consociationibus etiam adlaboravit, praesertim oblatorum a S. Francisco Salesio, quorum institutionem iampridem praenuntia verat a se perficiendam antequam e vita migrasset. Quibus omnibus confectis, ancilla Dei tempus resolutionis suae instare persensit; et reapse labente anno 1875, aetatis suae octogesimo tertio, lethali morbo correpta et extremis Ecclesiae sacramentis communita, adstantibus et collacrymantibus sororibus, ineunte die 7 Octobris piissime obiit. Fama sanctitatis quam in vita soror Maria Francisca Salesia acquisierat, post obitum ita longe lateque diffusa est, ut super ea processualibus tabulis a Revmis Ordinariis Friburgensi, Basileensi, Trecensi et Parisiensi rite adornatis et S. Rituum Congregationi exhibitis legitimeque apertis, enixe postulatus fuerit ad ulteriora processus.

Itaque ad enixas iteratasque preces Rmi Domini Nazareni Marzolini huiusce Causae Postulatoris, etiam nomine Sanctimonialium Ordinis Visitationis porrectas, attentis praesertim litteris postulatoriis plurium Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium ac multorum Rmorum Sacrorum Antistitum, nec non virorum sive ecclesiastica sive civili dignitate illustrium, praevia Apostolica Dispensatione ab interventu et voto Consultorum super dubio Introductionis Causae in Congregatione Ordinaria proponendo, Emus et Revmus Dominus Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Portuensis et S. Rufinae, eiusdem Causae Relator, in Ordinario S. R. C. Conventu, subsignata die ad Vaticanum habito, sequens dubium discutiendum proposuit, nimirum: « An sit signanda Commissio Introductionis Causae, in casu et ad

effectum de quo agitur? » Et Sacra eadem Congregatio, post relationem ipsius Emi Ponentis, omnibus mature perpensis et audito R. P. D. Ioanne Baptista Lugari, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: *Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 27 Iulii 1897.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum. Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Venerabilis Servae Dei Mariae Francisca e Salesiae Chappuis, iisdem die, mense et anno.

C. CARD. MAZZELLA *S. R. C. Praef.*

L. * S.

D. PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

De consuetudine recitandi vulgari idiomate parvum officium B. V. Mariae.

Rmus D. Prosperus Ioseph Maria Alarcon hodiernus Archiepiscopus Mexicanus, S. Rit. Cong. humiliter exposcit ea quae sequuntur ;

Antiquissima consuetudo quae Mexici viget penes Tertiarios et Confratres B. M. V. de Monte Carmelo recitandi idiomate hispano officium parvum B. M. V. hodie quamdam patitur contradictionem. Exstat quidem super hac re responsio authentica S. Rit. Cong. in una *SSmae Conceptionis de Chile,* qua exposita consuetudo, toleranda esse declaratur. Tamen dubitatur an memoratum decretum etiam ad Mexicanam ditionem, extendi possit. Sed alii dicunt non posse extendi ad Mexicanam ditionem, cum non sit decretum generale; alii contendunt evidenter posse, quia adsunt identicae circumstantiae et allegant verba ci. Cavalieri : « habent Sacrae Rituum Cong. decreta, ut licet ad particularium instantias aut quaesita ea sint, ad normam et exemplum pro iisdem et similibus casibus in Ecclesia universali deserviant etc. ».

Ad omnem ambiguitatem tollendam, idem Rmus Archiepiscopus Mexicanus a S. R. Cong. sequentium dubiorum solutionem efflagitavit, nimirum:

I. An in casu, responsio edita pro Republica de Chile, rite ad Rempublicam Mexicanam extendi possit ac valeat?

II. Quatenus negative ad I., an possit pro Ditione Mexicana obtineri speciale indultum?

S. porro Rit. Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, attentisque peculiaribus ciscuinstantiis, respondere censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Provisum* in I.

Atque ita rescripsit die 15 Ian. 1897.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. *R.* C. *Praefectus.*

L. $ S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

BAREN. De praecedentia Tertiariorum super confraternitates.

In oppido *Triggiano* Arch. Barensis, exorta controversia inter Confraternitatem SSmi Sacramenti et Sodalitium Tertii Ordinis S. Francisci circa praecedentiam in Processionibus, eaque delata ad Curiam Archiepiscopalem Barensem, Rmus ille Archiepiscopus die 29 OctoBris 1896 sententiam protulit pro Sodalitio Tertii Ordinis. Verum ab hac sententia se gravatum sentiens, praefata Confraternitas, ad Sacrorum Rituum Congregationem rite appellavit. Quae appellationem accipiens ac statutis terminis peremptoriis utrique parti ad suas deducendas rationes, iisque expletis, in Conventu Ordinario Rotali, subsignata die habito coram infrascripto Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto et Causae Ponente, proposito ac discusso dubio: *an sententia Archiepiscopi Barensis in casu sit confirmanda.* Quibus omnibus in Causa deductis accurate expensis, rescribendum censuit: *Affirmative seu esse confirmandam.* Atque ita rescripsit, et sententiam Archiepiscopi Barensis in casu confirmavit.

Die 27 Martii 1897.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus*

L. S.

D. PANICI *S. R. C. Secretarius.*

EX S. CONGR EPISC. ET REGUL.

DUBIUM an moniales excipere valeant haereditates favore propriae communitatis.

Beatissime Pater,

Episcopus Zamorensis, in Hispania, ad pedes S.V. provolutus, humillime exponit: N. N. Sanctimonialem Ordinis Praemonstratensis in conventu civitatis N., huius dioecesis, ex Constitutionibus civilibus hispanicis ius habere ad haereditatem capiendam, quae eidem contigit ex morte fratris presbyteri, recens defuncti. Hinc quaeritur:

1. An praefata Sanctimonialis, posita solemni religiosa professione, quam iamdiu emisit, licite in conscientia possit gestiones agere, sive per se sive per procuratorem, ut haereditatem capiat proprio nomine coram saeculari iudice, in bonum tamen totius Communitatis, ut par est; vel potius egeat, ratione voti paupertatis, legitima dispensatione ad praedictas gestiones iuridicas agendas ad haereditatem acquirendam ?

2. Dato quod dispensatione egeat: an haec eidem tribui possit a conventus Superiorissa, aut ab Episcopo, cui conventus subest: vel necessario, ratione solemnis voti, a Sede Apostolica obtineri debeat? — Demum, posita necessitate recurrendi ad Apostolicam Sedem pro praedicta dispensatione, Episcopus orator suppliciter postulat:

3. Ut praefatae Sanctimoniali facultas tribuatur ad iuridicas gestiones per procuratorem instituendas ac perficiendas pro haereditate sibi ac proprio nomine capienda, quae in bonum cedat totius Communitatis.

4. Ut eidem Episcopo oratori sufficiens facultas elargiatur, ut dispensare possit super vota paupertatis in casibus similibus ad id, ut providere valeat pro urgentia quae regulariter in iisdem occurrit. — Et Deus...

Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, super praemissis censuit respondendum prout respondet:

Ad 1^m^ et 2^m^ providebitur in tertio.

Ad 3^m Affirmative pro petita facultate; ita tamen ut haereditas acquiratur Monasterio.

Ad 4^m Affirmative pro petita facultate ad triennium, pro casibus dumtaxat urgentibus, in quibus nempe non suppetat tempus recurrendi ad Sanctam Sedem.

Romae, 15 Ianuarii 1897.

S. CARD. VANNUTELLI, *Praefectus.*

Dubia quoad confessarios extraordinarios Religiosarum.

Die 1 Februarii 1892.

1. Il favore accordato alle monache di ricorrere ad uno straordinario *quoties ut propriae conscientiae consulant ad id adigantur* è così illimitato e incondizionato che esse se ne possano servire costantemente senza ricorrere mai al confessore ordinario e senza poter essere sindacate neppure dal Vescovo su questo punto, e da esso in qualche modo impedite se fossero guidate da ragioni biasimevoli e insulse?

2. I confessori, aggiunti hanno alcuni doveri di coscienza di rifiutarsi ad ascoltare le confessioni delle suore, quando riconoscono che non esiste un plausibile motivo che le astringa di ricorrere ad essi?

3. Se parecchie suore (e peggio ancora se la maggior parte di esse) ricorressero costantemente a qualcuno dei confessori aggiunti, il Vescovo deve tacere, o intervenire con qualche provvedimento per tutelare la massima sancita nella bolla *Pastorcdis:* « Generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro singulis monialium monasteriis unus dumtaxat confessarius deputetur»?

4. E posto che debba intervenire, quai provvedimento potrà legalmente adottare?

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad IV. Moneat Ordinarius moniales et sorores, de quibus agitur, dispositionem Articuli IV Decreti *Quemadmodum* (1) ex-

(1) • Decretum hoc relatum fuit Vol. XXIII, 505.

ceptionem tantum legi communi constituere, pro casibus dumtaxat verae et absolutae necessitatis, quoties ad id adigantur, firmo remanente quod a S. Concilio Tridentino et a Constitutione s. m. Benedicti XIV incipien. *Pastoralis Curae* praescriptum habetur.

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

Episcopi qui potiuntur facultate dispensandi a defectu aetatis, dispensare valent clericos saeculares et regulares.

Feria IV, die 29 Ian. 1896.

In Congregatione Generali S. R. et U. I. habita coram Emis et Rmis DD. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus propositum fuit sequens dubium:

In facultatibus quinquennalibus S. C. de Propaganda Fide sub formula III. n. 13 conceditur facultas « Dispensandi super defectu aetatis unius anni^ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium si alias idonei fuerint ». Quaeritur utrum haec facultas extendatur etiam ad Regulares.

Et omnibus diligenti examine perpensis, praehabitoque DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi DD. Cardinales respondendum mandarunt: *Affirmative, facto verbo cum SSmo.*

Feria vero V. die 30 eiusdem mensis et anni in solita Audientia r. p. d. Assessori impertita, facta de suprascriptis accurata relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII, Sanctitas Sua resolutionem Eminentissimorum Patrum approbavit et confirmavit.

I. Can. MANCINI S. R. et U. I. *Not.*

Excommunicatio lata a ss. Congr. Romanis non reservatur Rom. Pontifici ceu illa ab Eo lata in communicantes in crimine criminoso.

Feria IV, die 16 Iunii 1894.

In Congregatione Generali S. R. et U. I. habita coram Emis et Rmis DD. Cardinalibus, contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, propositum fuit sequens dubium:

In Constitutione s. m. Pii Papae IX [quae incipit *Apostolicae Sedis,* excommunicatione Rom, Pontifici simpliciter reservata innodantur: *Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in erimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.* Quaeritur utrum his verbis comprehendantur etiam excommunicati a Romanis Congregationibus, saltem quando earum decretis accedit approbatio Summi Pontificis.

Et omnibus diligenti examine perpensis, praehabitoque DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi DD. Cardinales respondendum mandarunt: *Negative.*

Feria vero VI, die 18 eiusdem mensis et anni, in solita Audientia r. p. d. Adsessoris S. O. impertita, facta de suprascriptis accurata relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII, Sanctitas Sua resolutionem Eminentissimorum Patrum adprobavit et confirmavit.

I. Can. MANCINI S. R. et U. I. *Not.*

Potest confessarius absolvere a reservatis Rom. Pontifici poenitentem, cui durum sit expectare tempus necessarium pro facultate exposcenda.

Beatissime Pater,

Episcopus N. N. ad pedes S. V. provolutus humiliter exponit.

Ex Decreto S. Inquisitionis 23 iunii 1866 cuilibet confessario directe absolvere licet a censuris etiam speciali modo S. Pontifici reservatis in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequit absque periculo gravis scandali vel infa-

miae, iniunctis de iure iniungendis, sub poena tamen reinciden tiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem.

Dubium tamen oritur pro casu, quo nec scandalum nec infamia est in absolutionis dilatione, sed poenitens censuris papalibus innodatus in mortali diu permanere debet, nempe per tempus requisitum ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis; praesertim quum theologi cum S. Alphonso de Ligorio ut quid durissimum habeant pro aliquo per unam vel alteram diem in mortali culpa permanere.

Hinc, post Decretum 23 iunii 1866, deficiente hac in quaestione Theologorum solutione, quaeritur:

I. Utrum in casu quo nec infamia, nec scandalum est in absolutionis dilatione, sed durum valde est pro poenitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis, simplici confessario liceat a censuris S. Pontifici reservatis directe absolvere, iniunctis de iure iniungendis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad Sanctam Sedem?

II. Et quatenus negative, utrum simplex confessarius eumdem poenitentem indirecte absolvere debeat, eum monens ut a censuris directe in posterum a Superiore absolvi curet, vel apud ipsum revertatur, postquam obtinuerit facultatem o reservatis absolvendi?

Feria IV, 16 Iunii 1897.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab Emis ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum S. O. voto, iidem Emi ac Rmi DD. respondendum censuerunt:

Ad I. Affirmative, facto verbo cum SSmo.

Ad II. Provisum in primo.

In sequenti vero feria VI die 18 eiusdem mensis et anni in

solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de omnibus SSmo D. N. Leoni PP. XIII relatione, idem SS. Dnus Emorum Patrum resolutionem approbavit.

I. MANCINI, S. R. et U. I. Not.

EX 3. CONGREG. INDULGENTIARUM

MEDIOLANENSIS. Dubia quoad facultatem impertiendi apostolicam Benedictionem a sacerdotibus redeuntibus a Romana peregrinatione.

Die 19 Iunii 1897.

Professor Iuris Can. in Theol. Mediol. Seminario huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae reverenter exponit:

Cum Summus Pontifex benignissime facultatem concedit Sacerdotibus redeuntibus a Romana peregrinatione, impertiendi Benedictionem apostolicam, hac formula uti solet: « *Parochis et omnibus animorum curatoribus etc.* ».

Iamvero inter sacerdotes qui nuper in dioecesi a romana peregrinatione remearunt, sunt :

I° Qui proprie Parochi dicuntur ;

2° Qui oeconomi sunt spirituales vacantium parochiarum ;

3° Qui curam animarum obtinent tamquam coadiutores *ex titulo*, nempe vi beneficiariae institutionis et ideo quasi ordinarie ;

4° Qui tamquam coadiutores parochiales curam animarum exercent, delegatam ab Episcopo ad causarum universalitatem ;

5° Qui in officio coadiutoris vel cappellani penes Ecclesias subsidiarias resident ibique sacrum faciunt, Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae administrant, concionantur et infirmorum curam gerunt;

6° Qui Seminariorum, Collegiorum, piorum Institutorum seu etiam religiosarum Congregationum sunt rectores, superiores, moderatores, confessarii vel eorum locum ex officio tenentes.

Quaeritur igitur :

1° Num nomine *parochorum* et *curam animarum habentium* veniant non modo qui sub num. I° et 2° sunt recensiti, ut certum videtur, sed illi quoque qui sub aliis numeris sunt nominati?

Et quatenus affirmative:

2° Utrum pluries in diversis diebus et in eadem paroecia possit impertiri Benedictio apostolica in casu, quo a romana peregrinatione regrediantur Parochus et Coadiutor, vel duo Coadiutores eiusdem Paroeciae?

SSmus Dnus Noster Leo PP. XIII in aud. habita die 19 Iunii 1897 ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, audita relatione suprarelatorum dubiorum, declaravit: quoad 1. mentem suam fuisse et esse, ut Benedictionem, de qua in casu, impertiri tantum possint et valeant Parochi effectivi et oeconomi regentes Paroecias vacantes: quoad 2. semel tantum esse impertiendam Benedictionem in qualibet paroecia.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die et anno uti supra.

Fr. HIERONYMUS M. CARD. GOTTI *Praefectus.*

L. $ S.

IOSEPHUS M. Can. COSELLI *Substitutus.*

Responsorio in honorem s. Francisci Solani adnectitur indulgentia 300 dierum.

Fr. Raphael ab Aureliaco, Procurator Generalis Ord. Min., ad Sacri pedis osculum provolutus, humiliter implorat ut concedatur indulgentia 300 dierum omnibus iis Christifidelibus provinciae Croatiae, Carniolae et Peruviae, recitaturis devote sequens responsorium in honorem S. Francisci Solano, utpote, quod hae Provinciae plus ceteris a flagello terraemotus exagitantur, et illi fideles magnam nutriunt devotionem erga hunc Sanctum, Peruviae Apostolum cognominatum, ubi usque modo illius asservatur corpus.

Et Deus etc.

RESPONSORIUM

Si quaeris nunc prodigia,
A labe cor purifica;
Votis Franciscus aderit,
Qui terraemotum comprimit.
Pellet languores corporis,
Corda metu nutantia
Firmabit, et laetitia
Perfundet ima pectoris.
Oh! iam Francisce propera,
Ne terrae moles contremat:
Devota gens hoc postulat
Te colens inter sidera.
Pellet languores etc.
Gloria Patri et Filio etc.
Pellet languores etc.
ji. Ora pro nobis, sancte Francisce.
R). Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

Deus, qui plurimas Americae gentes per beatum Franciscum ad sinum Ecclesiae perduxisti: eius meritis et precibus indignationem tuam a peccatis nostris averte, et in gentes, quae te non cognoverunt, timorem nominis tui benignus immitte. Per Christum.

S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Leone Pp. XIII sibi specialiter tributis, benigne concessit Indulgentiam tercentum dierum, semel in die lucrandam a Christifidelibus de quibus in precibus, qui responsorium cum adnexa oratione recitaverint. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 28 Maii 1897.

Fr. H. M. CARD. GOTTI, S. *R.* C. *Praefectus.*

ALEXANDER ARCHIEP. NICOP. *Secretarius.*

EX S. C. NEGOTIORUM EXTRAORDINARIORUM

Litterae Emi Cardinalis M. Rampolla ad Archiepiscopum Vrhbohnen super dismembratione paroeciae.

Illme et Revme Domine

Quum ad Apostolicam Sedem appellatum sit ob dismembrationem paroeciae, ab Amplitudine Vestra peractam in propria Archidioecesi, opportunum mihi visum est eandem Amplitudinem Vestram certiorem reddere de responso dato ab Apostolica Sede, sub die 5 Septembris 1893, ad Administratorem apostolicum de Banialuka. Agebatur in eo de nonnullis resolutionibus S. Congregationis Negotiorum Extraordinariorum super dismembratione paroeciarum. Dubium sequentis tenoris erat: utrum, data necessitate dismembrandi nonnullas paroecias, *pleno iure* creditas Missionariis religiosis, novae paroeciae filiales habendae sint ceu affectae eodem iure favore Religiosorum eorumdem, quatenus ipsi, cum populo respectivo, onera cuncta suscipiant: cui dubio respondebatur:

1. Dismembrationem paroeciarum, canonice erectarum, peragendam esse ad normam iuris.

2. Religiosos ius non habere ad novam paroeciam, neque illam Episcopum eisdem concedere posse.

3. Quatenus Episcopus eidem paroeciae consulere nequeat, recurrendum ei esse ad Apostolicam Sedem pro opportunis facultatibus, ut Religiosis provisorie eam concedere valeat, eadem permanente saeculare et liberae collationis.

Haec Amplitudini Vestrae communico ex dispositione SSmi Patris diei 16 Novembris 1896; animadvertens etiam quod dismembrationes fieri nequeant nisi citatis partibus, interesse habentibus.

M. CARD. RAMPOLLA

EPISTOLA ENCYCLICA SSmi D. N. Papae Leonis XIII de *Rosario Mariali.*

Augustissimae Virginis Mariae foveri assidue cultum et contentiore quotidie studio promoveri quantum privatim publiceque intersit, facile quisque perspiciet, qui secum reputaverit, quam excelso dignitatis et gloriae fastigio Deus ipsam collocant. Eam enim ab aeterno ordinavit ut mater Verbi fieret humanam carnem assumptum; adeoque inter omnia, quae essent in triplici ordine naturae, gratiae, gloriaeque pulcherrima, ita distinxit, ut merito eidem Ecclesia verba illa tribuerit: *Ego ex ore Altissimi proclivi primogenitum ante omnem creaturam* (1). Ubi autem volvi primum coepere saecula, lapsis in culpam humani generis auctoribus infectisque eadem labe posteris universis, quasi pignus constituta est instaurandae pacis atque salutis. — Nec dubiis honoris significationibus Unigenitus Dei Filius sanctissimam matrem est prosequutus. Nam et dum privatam in terris vitam egit, ipsam adscivit utriusque prodiga administram, quae tunc primum patravit; alterum gratiae, quo ad Mariae salutationem exultavit infans in utero Elisabeth; alterum naturae, quo aquam in vinum convertit ad Canae nuptias: et quum supremo vitae suae publicae tempore novum conderet Testamentum divino sanguine obsignandum, eamdem dilecto Apostolo commisit verbis illis dulcissimis: *Ecce Mater tua {2).* Nos igitur qui, licet indigni, vices ac personam gerimus in terris Iesu Christi Filii Dei, tantae Matris persequi laudes nunquam desistemus, dum hac lucis usura fruemur. Quam quia sentimus haud futuram Nobis, ingravescente aetate, diuturnam, facere non possumus quin omnibus et singulis in Christo filiis Nostris Ipsius cruce penden tis extrema verba, quasi testamento relicta, iteremus: *Ecce mater tua.* Ac praeclare quidem Nobiscum actum esse censebimus, si id Nostrae commendationes effecerint, ut unusquisque fidelis Mariali cultu nihil habeat antiquius, nihil carius, liceatque de singulis usurpare verba Ioannis, quae de se scripsit: *Accepit eam discipulus in sua* (3). — Adventante igitur mense Octobri, ne hoc quidem anno patimur, Venerabiles Fratres, carere vos Litteris Nostris, rursus adhortantes sollicitudine, qua possumus

(1) **Eccli.** XXIV, **5.**
(2) **Io.** XIX, **27.**
(3) **Ib.**

maxima, ut Rosarii recitatione studeat sibi quisque ac laboranti Ecclesiae demereri. Quod quidem precandi genus divina providentia videtur sub huius saeculi exitum mire invaluisse, ut languescere fidelium excitaretur pietas; idque maxime testantur insignia templa ac sacraria Deiparae cultu celeberrima. — Huic divinae Matri, cui flores dedimus mense Maio, velimus omnes fructiferum quoque Octobrem singulari pietatis affectu esse dicatum. Decet enim utrumque hoc anni tempus ei consecrari, quae de se dixit : *Flores mei fructus honoris et honestatis* (1).

Vitae societas atque coniunctio, ad quam homines natura feruntur, nulla aetate fortasse arctior effecta est, aut tanto studio tamque communi expetita, quam nostra. Nec quisquam sane id reprehendat, nisi vis haec naturae nobilissima ad prava saepe consilia detorqueretur, convenientibus in unum atque in varii generis societates coeuntibus impiis hominibus *adoersus Dominum et adversus Christum eius* (2). Cernere tamen est, idque profecto accidit iucundissimum, inter catholicos etiam adamari magis coeptos pios coetus ; eos haberi confertissimos ; iis quasi communibus domiciliis christianae vinculo dilectionis ita adstringi cunctos et quasi coalescere, ut vere fratres et dici posse et esse videantur. Neque enim, Christi caritate sublata, fraterna societate et nomine gloriari quisquam potest ; quod acriter olim Tertullianus hisce verbis persequebatur: *Fratres vestri sumus iure naturae matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres et dicuntur et habentur qui unum patrem Deum agnoscunt, qui unum spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiae eiusdem ad unam lucem expaverint veritatis Ì* (3) Multiplex autem ratio est, qua catholici homines societates huiusmodi saluberrimas inire solent. Huc enim et circuli, ut aiunt, et rustica aeraría pertinent, itemque conventus animis per dies festos relaxandis, et secessus pueritiae advigilandae, et sodalitia, et coetus alii optimis consiliis instituti complures. Profecto haec omnia, etsi nomine, forma, aut suo quaeque peculiari ac proximo fine, recens inventa esse videantur, re tamen ipsa sunt antiquissima'. Constat enim, in ipsis christianae religionis exordiis eius generis societatum vestigia reperiri. Serius autem legibus confirmatae, suis distinctae

(1) **Eccli.** XXIV. **23.**
(2) **Ps.** II. **2.**
(3) **Apolog. c.** XXXIX.

signis, privilegiis donatae, divinum ad cultum in templis adhibitae, aut animis corporibusve sublevandis destinatae, variis nominibus, pro varia temporum ratione, appellatae sunt. Quarum numerus in dies ita percrebuit, ut, in Italia maxime, nulla civitas, oppidum nullum, nulla ferme paroecia sit, ubi non illae aut complures, aut aliquae certe habeantur.

In his minime dubitamus praeclarum dignitatis locum assignare sodalitati, quae a sanctissimo Rosario nuncupatur. Nam sive eius spectetur origo, e primis pollet antiquitate, quod eiusmodi institutionis auctor fuisse feratur ipse Dominicus pater; sive privilegia aestimentur, quamplurimis ipsa ornata est, Decessorum Nostrorum munificentia. — Eius institutionis forma et quasi anima est Mariale Rosarium, cuius de virtute fuse alias loquuti sumus. Verumtamen ipsius Rosarii vis atque efficacitas, prout est officium Sodalitati, quae ab ipso nomen mutuatur, adiunctum, longe etiam maior apparet. Neminem enim latet, quae sit omnibus orandi necessitas, non quod immutari possint divina decreta, sed, ex Gregorii sententia, *ut homines postulando mereantur accipere quod eis Deus omnipotens ante saecula disposuit donare* (1). Ex Augustino autem: *qui recte novit orare, recte novit vivere* (2). At preces tunc maxime robur assumunt ad caelestem opem impetrandam, quum et publice et constanter et concorditer funduntur a multis, ita ut velut unus efficiatur precantium chorus: quod quidem illa aperte declarant Actuum Apostolicorum, ubi Christi discipuli, expectantes promissum Spiritum Sanctum, fuisse dicuntur *perseverantes unanimiter in oratione (3).* Hunc orandi modum qui sectentur, certissimo fructu carere poterunt nunquam. Iam id plane accidit inter sodales a sacro Rosario. Nam, sicut a sacerdotibus, divini Officii recitatione, publice iugiterque supplicatur, ideoque validissime; ita, publica quodammodo, iugis, communis est supplicatio sodalium, quae fit recitatione Rosarii, vel *Psalterii Virginis,* ut a nonnullis etiam Romanis Pontificibus appellatum est.

Quod autem, uti diximus, preces publice adhibitae multo iis praestent, quae privatim fundantur, vimque habeant impetrandi maiorem, factum est ut Sodalitati a sacro Rosario nomen ab Ecclesiae scriptoribus inditum fuerit « militiae precantis, a

(1) Dialog, i. i c. 8.
(2) In Ps. cxviti.
(5) Act. i. 14.

Dominico Patre sub divinae Matris vexillo conscriptae », quam scilicet divinam Matrem sacrae litterae et Ecclesiae fasti salutant daemonis errorumque omnium debellatricem. Enimvero Mariale Rosarium omnes, qui eius religionis petant societatem, communi vinculo adstringit tamquam fraterni aut militaris contubernii, unde validissima quaedam acies conflatur, ad hostium impetus repellendos, sive intrinsecus illis sive extrinsecus urgeamur, rite instructa atque ordinata. Quamobrem merito pii huius instituti sodales usurpare sibi possunt verba illa S. Cypriani: *Publica est nobis et communis oratio, et quando oramus, non pro uno, sed pro toto populo oramus, quia totus populus unum sumus* (1). — Ceterum eiusmodi precationis vim atque efficaciam annales Ecclesiae testantur, quum memorant et fractas navali proelio ad Echinadas insulas Turcarum copias, et relatas de iisdem superiore saeculo ad Temesvariam in Pannonia et ad Corcyram insulam victorias nobilissimas. Prioris rei gestae memoriam perennem exstare voluit Gregorius XIII, die festo instituto Mariae victricis honori; quem diem postea Clemens XI Decessor Noster titulo Rosarii consecra vit, et quot annis celebrandum in universa Ecclesia decrevit.

Ex eo autem quod precans haec militia sit « sub divinae Matris vexillo conscripta », nova eidem virtus, novus honor accedit. Huc maxime spectat repetita crebro, in Rosarii ritu, post orationem dominicam angelica salutatio. Tantum vero abest ut hoc dignitati Numinis quodammodo adversetur, quasi suadere videatur maiorem nobis in Mariae patrocinio fiduciam esse collocandam quam in divina potentia, ut potius nihil Ipsum facilius permoveat propitiumque nobis efficiat. Catholica enim fide docemur, non ipsum modo Deum esse precibus exorandum, sed beatos quoque caelites (2), licet ratione dissimili, quod a Deo, tamquam a bonorum omnium fonte, ab his, tamquam ab intercessoribus, petendum sit. *Oratio,* inquit S. Thomas, *porrigitur alicui dupliciter, uno modo quasi per ipsum implenda, alio modo, sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus, quia omnes orationes nostrae ordinari debent ad gratiam et ad gloriam consequendam, quae solus Deus dat, secundum illud Psalmi* LXXXIII, *12 :*

(1) De orat. domin.
(2) Conc. Trid. sess. xxv.

« gratiam et gloriam dabit Dominus ». Sed secundo modo orationem porrigimus sanctis Angelis et hominibus, non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed ut eorum precibus et meritis orationes nostrae sortiantur effectum. Et ideo dicitur Apoe. VIII, *4, quod ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo* (1). Iam quis omnium, quotquot beatorum incolunt sedes, audeat cum augusta Dei Matre in certamen demerendae gratiae venire? Ecquis in Verbo aeterno clarius intuetur, quibus angustiis premamur, quibus rebus indigeamus? Cui maius arbitrium permissum est permovendi Numinis? Quis maternae pietatis sensibus aequari cum ipsa queat? Id scilicet causae est cur beatos quidem caelites non eadem ratione precemur ac Deum, *nam a sancta Trinitate petimus ut nostri misereatur, ab aliis autem sanctis quibuscumque petimus ut orent pro nobis* (2); implorandae vero Virginis ritus aliquid habeat cum Dei cultu commune, adeo ut Ecclesia his vocibus ipsam compellet, quibus exoratur Deus: *Peccatorum miserere.* Rem igitur optimam praestant sodales a sacro Rosario, tot salutationes et Mariales preces quasi serta rosarum contexentes. Tanta enim Mariae est magnitudo, tanta, qua apud Deum pollet, gratia, ut qui opis egens non ad illam confugiat, is optet nullo alarum remigio volare.

Alia etiam Sodalitatis, de qua loquimur, laus est, nec praetereunda silentio. Quoties enim Marialis recitatione Rosarii salutis nostrae mysteria commentamur, toties officia sanctissima, caelesti quondam Angelorum militiae commissa, similitudine quadam aemulamur. Ea ipsi, suo quaeque tempore mysteria revelarunt, eorum fuere pars magna, iisdem adfuere seduli, vultu modo ad gaudium composito, modo ad dolorem, modo ad triumphalis gloriae exultationem. Gabriel ad Virginem mittitur nuntiatum Verbi aeterni Incarnationem. Bethlehemico in antro, Salvatoris in lucem editi gloriam Angeli cantibus prosequuntur. Angelus Iosepho auctor est fugae arripiendae, seque in Aegyptum recipiendi cum puero. Iesum in horto prae moerore sanguine exsudantem Angelus pio alloquio solatur. Eumdem, devicta morte, sepulcro excitatum, Angeli mulieribus indicant. Evectum ad caelum Angeli referunt atque inde reversurum

(1) S. Th. 2a. 2ae, q. LXXXIH, a. iv.

(2) Ib.

praedicant angelicis comitatum catervis, quibus electorum animas admisceat secumque rapiat ad aethereos choros, super quos *exaitata est sancta Dei Genitrix.* Piissima igitur Rosarii prece inter sodales utentibus ea maxime convenire possunt, quibus Paulus Apostolus novos Christi asseclas alloquebatur: *Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem, et multorum millium Angelorum frequentiam* (1). Quid autem divinius quidve suavius, quam contemplari cum Angelis cum iisque precari? Quanta niti spe liceat atque fiducia, fruituros olim in caelo beatissima Angelorum societate eos, qui in terris eorum ministerio sese quodammodo addiderunt?

His de causis Romani Pontifices eximiis usque praeconiis Marianam huiusmodi Sodalitatem extulerunt, in quibus eam Innocentius VIII *devotissimam Confraternitatem* (2) appellat; Pius V affirmat, eiusdem virtute haec consequuta: *Coeperunt Christi fideles in alios viros repente mutari, haeresum tenebrae remitti et lux catholicae fidei aperiri* (3); Sixtus V, attendens quam fuerit haec institutio religioni frugifera, eiusdem se studiosissimum profitetur; alii denique multi, aut praecipuis eam indulgentiis, iisque uberrimis auxere, aut in peculiarem sui tutelam, dato nomine variisque editis benevolentiae testimoniis, receperunt. Eiusmodi Decessorum Nostrorum exemplis permoti, Nos etiam, Venerabiles Fratres, vehementer hortamur vos atque obsecramus, quod saepe iam fecimus, ut sacrae huius militiae singularem curam adhibeatis, atque ita quidem, ut, vobis adnitentibus, novae in dies evocentur undique copiae atque scribantur. Vestra opera et eorum, qui e clero subdito vobis curam gerunt animarum, noscant ceteri e populo, atque ex veritate aestiment, quantum in ea Sodalitate virtutis sit, quantum utilitatis ad aeternam hominum salutem. Hoc autem contentione poscimus eo maiore, quod proximo hoc tempore iterum viguit pulcherrima in sanctissimam Matrem pietatis manifestatio per Rosarium, quod *perpetuum* appellant. Huic Nos instituto libenti animo benediximus; eius ut incrementis sedulo vos naviterque studeatis, magnopere optamus. Spem enim optimam concipimus, laudes precesque fore validissimas, quae, ex ingenti multitudinis ore ac pectore expressae, nunquam conticescant; et

(1) Heb. Xu, 22.
(2) *Splendor paternae gloriae,* die 26 Februarii 1491.
(3) *Consueverunt RR. PP.* die 17 Septembris 1569.

per varias terrarum orbis regiones dies noctesque alternando, conspirantium vocum concentum cum rerum divinarum meditatione coniungant. Quam quidem laudationum supplicationumque perennialem, multis abhinc saeculis, divinae illae signiflcarunt voces, quibus Oziae cantu compellabatur Iudith : *Benedieta es tu filia a Domino Deo excelso prae omnibus mulieribus super terram,.... quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua. de ore hominum.* Iisque vocibus universus populus Israel acclamabat: *Fiat, fiat* (1).

Interea, caelestium beneficiorum auspicem, paternaeque Nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque universo, vestrae fidei vigilantiaeque commisso, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xn Septembris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII.

EX 3. CONGREGATIONE CONCILII

MUNKACSEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 8 Maii 1897.

Sess. 24 cap. 5 De Ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Ioannes 27 annos natus et Maria in aetate 21 annorum, graeco-catholici, die 9 Februarii 1882 in Ecclesia parochiali Destofalvae dioecesis Munkácsensis in Hungaria matrimonium rite contraxerunt.

Huiusmodi vero nuptiae, ob extraordinarium uxoris agendi modum, infelicissimum habuerunt exitum. Ipsa enim, iuxta quod modo refertur, ab ipso coniugii die maximam erga virum antipathiam ac aversionem ostendit, nec unquam mari talia officia adimplere voluit. Imo ad mariti praesentiam vitandam saepius eius domum dereliquit, aufugiens ad ma-

ii) lud. XIII, 25 et seqq.

treni aut ad arnicas, vel etiam in silvis et in antris sese abscondens.

Infelix Ioannes dicitur frustra preces, minas ipsasque verberationes adhibuisse ad uxoris pervicacem voluntatem flectendam, siquidem ipsa die Epiphaniae Domini a. 1883, domum maritalem definitive deseruit et per vias, nive repletas, nudis pedibus domum matris petiit, nunquam iam in domum mariti reversura.

Vir pluries progressu temporis reconciliationem cum Maria tentavit, ast semper incassum; ipsa enim Munkácsinum petiit, ibique alieno servitio se mancipans, inhonestam ducere cepit vitam atque duos illegitime genuit filios.

Tum Ioannes, ut scandala uxoris finem haberent, simulque suo honori consuleret, apud Curiam Episcopalem Munkácsensem anno 1891 instititit, ut processus de inconsummatione sui matrimonii institueretur.

Curia Episcopalis pacificam reconciliationem coniugum imprimis experta est, at cum nihil obtinuerit ex delegatione SSmi, mense Februario 1892 causae manus apposuit. Ordinarias transmittendo Sacrae C. C. acta et documenta processus instantiam actoris vehementissime commendavit, simulque peroptans, ut causa quantocius absolveretur, quia ille novum inhians matrimonium timendum est quod a fide catholica deficiat.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. EX facti specie, ait Consultor, patere existimo in casu agi de matrimonio rato, et non consummato , ob uxoris Mariae pervicaciam ad debitum coniugale reddendum ; ideoque duo tantum mihi inquirenda sunt, scilicet :

I°. *An revera matrimonium inter recensitos coniuges non sit consummatum.*

2°. *Utrum legitimae adsint causae pro matrimonii solutione, ac dispensationis gratia a Summo Pontifice obtinenda.*

Et in primis heic notandum est quod necessariae probationes non aliunde erui possunt, nisi ex utriusque coniugis confessione, et ex testimonio septimae manus, inspectio enim in verendis mulieris a sacris canonibus requisita, omnino inutilis foret, cum ipsa, relicto penitus marito, aliis viris carnali ter adhaeserit, duasque proles genuerit.

Utrumque ergo coniugem prius audiamus, deinde septimae manus testimonia perpendemus. Et primo quidem in processu se exhibet Ioannes, qui ad septimam Iudicis interrogationem super matrimonii consummatione sic respondet : « Copulam carnalem numquam habuimus, experimentum quidem feci ad matrimonium consummandum vocibus, precibus, at uxor semper antipathiam et taedium erga me ostendit, imo imprecationes erupit. In eodem cubiculo dormiebam quidem, sed uxor mea semper in lecto materterae meae, vel in angulo penes lectum se retrahens dormiebat, ego autem in altera cubiculi parte in sede extensa, et plerumque extra domum in aula somnum capiebam. In die semper refugiebat a conspectu meo, imo si vestem meam invenerit, proiecit illam dicens, tam faetidam esse quam animal quoddam faetidissimum, *latine mustela*, ex cuius faetore, avium vita extinguitur. De amplexibus vel osculis, nec mentio inter hos esse potuit, cum etiam tac tum manus meae abhorreret». Quae omnia vera esse iuramenti sanctitate confirmavit. Ad 14 interrogationem, nempe utrum in duabus prolibus a sua uxore post separationem genitis partem aliquam habuerit, et numquam cum uxore matrimonium consummaverit? postquam vinculi defensor de horrendo periurii reatu Auctorem admonuit, *ipse plena cum animi tranquillitate, et praecisitate ad Evangelium iuravit, numquam suum matrimonium cum sua uxore per copulam carnalem consummatum esse.* Vide acta processus.

Quibus omnibus Actoris depositionibus bene perpensis, clare demonstrant, ipsum triplici iuramento, ea quae sponte deposuit confirmasse. Coniux Maria de matrimonii consummatione interrogata, respondet ad septimam interrogationem

his verbis : « Vir meus fecit quidem tentativum (experimentum) verbo ad consummandum matrimonium, sed ego contradicebam, neque permittebam ipsum ad me appropinquare. Ego in extremitate lecti mariti materterae in angulo dormiebam, maritus autem mox intra domum supra *una sedia*, mox foris dormiebat; die autem semper longe fuimus ab invicem ».

Ad decimam vero interrogationem quae sic se habet : « Es ne parata ad S. Evangelium iurare, te cum tuo marito carnaliter conversatam non fuisse, sicque duas proles, non a tuo marito esse procreatas ? » ' Postquam vinculi Defensor mulierem de sanctitate iuramenti etc. : *ipsa prompta iuravit, nunquam se cum suo marito matrimonium per copulam carnalem consummasse.* Hae depositiones perfecte cohaerent cum secunda responsione, quae sic sonat: « Cum Ioanne matrimonium celebravimus in Destofalva, sed solemnitates ecclesiasticae in oppido Iokesensi peractae sunt ante decem annos. Ante matrimonium nemo me coegit ad hoc, ut marito meo nuberem, nam ego, quamvis eum personaliter non cognoverim, libenter consentiebam ut ei nuberem. Sed iam ab initio celebrationis matrimonii, quaedam inexplicabilis antipathia erga maritum meum in me enata est, attamen ad quaestionem an amem eundem, affirmativum dedi responsum, sperans antipathiam illam superabilem fore : quae tamen spes me fefellit. Ingressa domum mariti mei, eum bono corde aspicere non valebam, eumque ad me appropinquantem, a me repellebam; cum aliis domum inhabitantibus (familiae membris) libenter conversabam, sed si ipse maritus inter nos venerit, me avertebam ab ipso, imo non semel a domo quoque aufugi. Neminem possum accusare quod inter nos discordiae auctor fuerit. Post iuramentum matrimoniale, quasi per duas septimanas manebam in domo mariti mei, dein aufugi in domum matris meae Destofalvam. Inde mox mater mea, mox maritus meus Sztanfalvam ad mariti domum reduxit, sed quantum tempus in domo mariti continuo consumpserim iam nunc non recordor. In festo Epiphaniae

anni a celebratione matrimonii insequentis, durante benedictione aquae, a marito meo aufugiebam inter nives ad genua usque pertingentes versus Kuthafalvam, ubi penes mulierem quamdam senem me abscondi ; die insequenti in alterum oppidum me contuli, in quo pariter apud vetulam quamdam per tres dies commorabam. Ibi detecta per maritum, verberibus eius inducebar ut ad eum redirem.

» Usque ad cauponam montis Hat simul cum marito procedebant sed hic aufugi ab eo versus Manarfalvam, maritus nunc quoque me **persequentur**, sed postquam ego disparui a conspectu suo, cessavit a me persequenda. Recordor quod semel coram Sztanfalvensi, iterum coram Tohesensi Curato, et tandem coram Curato, et vice-archidiacono Zirefalvensi ad pacifice cohabitandum provocati fuerimus, et ego ob antipathiam insuperabilem pacifican nolebam ».

Attente perpendenti praedictas utriusque coniugis depositiones pluries ab ipsis iuramenti sanctitate confirmatas,, illico apparebit easdem veracitatis characteres praeseferre, et omnimodam collusionis fraudem penitus excludere. Pertinax siquidem mulier a primo sui matrimonii celebrationis momento, usque ad definitivam a coniuge separationem, constanter erga ipsum antipathiam suam et odium evidenter demonstravit : quae obstinati sui cordis durities diuturno decem annorum spatio perduravit. Ita ut ipsa amentiae morbo laborare, vel a daemone obsessa putanda foret, habito praesertim respectu ad ea quae fecit et tulit ne iustis sui coniugis desideriis obtemperaret ; praeferens insuper alienorum servitio famulari, et cum impudicis lubricam ducere vitam, quam matrimonii officium proprium explere.

Pariter Ioannes vere admiratione dignus videtur, qui etsi nullum intentatum reliquerit medium, ut suae uxoris pervicaciam vinceret, nullatenus tamen ab ipsa contumaciter obsistente, matrimonii iura valuit obtinere, singulare tot annorum spatio praebens patientiae exemplum, et quae pro veritate ab ipso in Tribunali sub iuramenti sanctitate promenda erant, absque ulla hesitatione deponens.

Auditis utriusque coniugis depositionibus sui matrimonii consummationem penitus excludentibus, recensuit Consultor omnium testium septimae manus depositiones quae in praesenti casu gravissimi ponderis esse nemo non videt, eo vel magis quod omnes non solum unanimes sint, sed quammaxime conformes utriusque coniugis confessionibus iuramenti sanctitate firmatis, ac matrimonii consummationem omnino excludentibus ; ita ut una voce hanc veritatem conclamare videantur. Quapropter absque ullo verborum apparatu, et ut optatae brevitati consulam, arbitror praecipuum huius causae fundamentum iam in tuto positum esse. Hinc ad rem Coscius *lib. 3, De separ. tori, cap. 2, num. 256,* ait: « Concurrente ergo coniugum confessione, maxime si sit reiterata cum iuramento, itemque iuramento septimae manus.... publica voce et fama enunciatis, aliisque adminiculis, nil obstare posse videtur coniugum potentia ; nam a potentia ad effectum non modica intercedit distantia ».

Ut autem eo magis praedictum assertum pateat, ad trutinam breviter easdem depositiones revocavit: ipsae siquidem adamussim demonstrant antipathiam coniugis Mariae erga maritum, eodem celebrationis matrimonii momento exortam, et nullis religiosis, sive naturalibus mediis a se reiectam: pervicaciam constantem ipsius ad negandam suo coniugi matrimonii consummationem etiamsi ad hoc voce, precibus, verberibus, et etiam vi excitata fuerit: pertinax quoque reluctantia ipsius ostenditur ad colloquendum, collaborandum, ad cibum capiendum cum marito, quinimo ad cohabitandum cum ipso, a quo pluries diurno vel nocturno tempore fugam arripuit, et in silvis aut alienis domibus se abscondit : toties a marito diligenter requisita, et ad coniugalem habitationem reducta, tantumdem repente ab eadem evasa : saepe insuper ab auctoritate Ecclesiastica graviter admonita, ut cum viro suo pacem iniret, eique obtemperaret, quinimo a civili etiam magistratu minis perterrita. Quae tamen omnia impavida despexit, sicque de abysso in abyssum prosiliens, in lubricam viam incidit, duasque proles

cum luxuriosis genuit. Merito ergo haec stulta mulier amens,, vel a daemone obsessa putanda est.

Quapropter cum ex dictis constet de matrimonii inconsummatione, inquirendum remanet an iustae extent causae ad dispensationem Pontificis obtinendam. Qua in re unanimis Theologorum et Canonistarum sententia tenet, animorum alienationem primarium locum habere, et ex tota facti specie evidentissime et superabundanter haec diuturna decem annorum alienatio demonstratur, cui explicita utriusque coniugis voluntas manifeste adiungitur.

VOTUM CANONISTAE. Praemissa facti specie Consultor ait: sponte sua exurgit duplex quaestio, scilicet : I. *An in casu constet de matrimonii inconsummatione.* II. *An adsint causae legitimae ad dispensandum super rato et non consummato.* Duplicem quaestionem, duce canonico Processu, dirimere aggredior, ut ad conclusionem optatam a Rmo Ordinario coniugum, opitulante Deo, feliciter perveniamus.

In primis et ante omnia animadvertendum duco, Processum canonicum huius Causae nullam praeseferre irregularitatem. Cuncta enim in substantialibus Processus, ad normam Constitutionis Benedictinae *Dei miseratione,* confecta sunt. Si in eo dicas deesse documentum inspectionis corporalis mulieris, responsio habetur in ipsa specie, qua praefati sumus. Qua ratione, quonam modo inspicienda integritas mulieris pudendarum, si indubie sciamus, hanc integritatem a muliere fuisse deperditam per commercium carnale cum aliis viris, ex quo duplex proles enata est, ceu patet ex fidibus Parochorum Processui insertis? Quare Tabulae processuales et ab ipso vinculi Defensore rite confectae dicendae sunt.

At quae continentur in supradictis Tabulis satis sunt ad probandam huiusce matrimonii inconsummationem ? Puto aifirmativam sententiam veriorem esse. Sane cuncti testes septimae manus, rite, ac sub iurata fide interrogati in eo conveniunt, uxorem illico post initas nuptias aversione et odio fuisse captam erga virum, quapropter cum viro non

colloquebatur, nec cibum insimul sumebat, nunquam ad virum oculos convertebat, et in ipsa domo maritali diu noctuque longe a viro manebat. Nedum virum, sed et ipsa viri indumenta in horrorem habebat. Demum nunquam cum viro decubuit, sed in extremitate lecti materterae viri somnum noctu ac perpetuo capiebat, ceu referunt testes.

Huiusmodi testimoniis plus minusve concinunt ceteri testes ex utraque parte septimae manus. Quibus si addas depositionem iuratam coniugum, qua sub sanctitate iuramenti asserunt, se nunquam propria corpora commiscuisse, uxorem per alios viros defloratam esse, binosque natos ab uxore editos, suscepisse ex aliis viris, quos durante suo famulatu mulier cognoverat, ob quem longe erat a marito, quocum nullam relationem, neque epistolarem habebat, iure merito colligimur totum id, quod constituit certitudinem moralem inconsummationis huius matrimonii. Audiamus ad rem doctissimum Cosci qui *lib. I, De separat, tori coniug.j cap. 16, num. 14,* magistraliter docet: « Hanc probationem, i. e. matrimonii rati et non consummati, facere possunt testes, qui deponant, quod coniuges contracto matrimonio___ quod coram aliis personis semper permanserint, iisque videntibus se separaverint,.... eoque magis si eorumdem testium depositioni accedat assertio utriusque coniugis iuramento firmata, qua pariter matrimonii consummationem excludant, quibus probationibus concurrentibus, dubitari nequit, quin ratum tantummodo sit matrimonium... ».

Relata doctrina quum graphice aptetur nostrae speciei, concludendum necessario est, constare de huiusce matrimonii inconsummatione.

In hoc sensu processit sacer vester Ordo in Anconitana 14 Aprilis 1894, decernendo « *omnino requiritur, ut iidem coniuges, nunquam in eodem loco, remotis arbitris convenerint* ».

Atqui ex actis constat, coniuges istos fuisse quidem in eodem loco, sed perpetuo *coram arbitris,* qui testantur, uxorem nunquam osculatam, atque amplexatam esse virum,

neque cum eo coUoquutam, et nunquam cum eo amice tractantem. A fortiori dicendum, nunquam cum viro maritaliter conversatam esse. Qui non potest minus, nullo pacto potest magis, quod in nostra specie certo certius constituitur ex copula maritali, quam, neque per vim uxori fuisse illatam, acta evidentissime demonstrant. Quocumque igitur te vertas, huius matrimonii inconsummatio reperitur, repertaque ab actis plenissime comprobatur.

Quare primam quaestionem esse omnino affirmative dimittendam, sententiam dico. Ad alteram quaestionem gradum faciendo, an adsint causae ad dispensandum super rato et non consummato ; hasce invenies in perpetua dissociatione animorum, praesertim mulieris, quae nunquam viro reconciliari voluit, licet ter tentatum sit, in morbosa aversione et odio implacabili eiusdem mulieris erga virum, quam natura ipsa repellit, in duobus natis, quos mulier suscepit ex aliis viris, dum erat longe a legitimo viro, cui fuit et est maxime iniuriosum, fidem enim coniugalem, maximum matrimonii bonum, laedit, immo destruit.

Quae quum ita sint, plures adesse causas, et quidem gravissimas ad dispensandum, affirmare non ambigo. In praesenti causa igitur constat de matrimonii inconsummatione ac de causis ad dispensandum.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Maria, quam annos 21 natam die 9 Februarii anno vertente 1882, Ioannes in aetate annorum 27 tum constitutus duxit uxorem, viro valedixit die 6 Ianuarii 1883, undecim scilicet mensibus ab hymaenaeo nondum exactis.

Eapropter Ioannes ab anno 1892 instat, ut coniugalis nexus relaxetur: eumque in finem contendit Mariam perpetuo matrimonii consummationi restitisse.

Cum in confessum veniat ambos coniuges coniugali genio esse aptos, cumque Maria constante matrimonio plus semel partum enisa sit : « Hanc probationem inconsummati matrimonii, ceu tradit Cose, de *separ. tor. coniug. lib. 1, cap. 16, n. 14,* facere possunt testes, qui deponant, quod coniuges,

contracto matrimonio, NUNQUAM una simul in eo loco convenerint, aut saltem quod coram aliis personis SEMPER permanserint iisque VIDENTIBUS se separaverint ».

Extra controversiam praesenti in causa est coniuges una simul in eodem loco convenisse, in probatis autem minime est, illos *coram aliis personis* SEMPER *permansisse iisque* VIDENTIBUS *se separasse.* Quinimo contrarium liquet.

Reque vera Ioannis Matertera affirmat:

« Cum in nostra domo esset mulier (Maria) ipsa semper in extrema parte lecti mei *super sede* dormiebat, maritus suus vero *plerumque* foris in aula, sed id quod concedo, quamvis bene non recorder, quod ALIQUANDO etiam intra domum pernoctaverit ». Ecquis auctor est Mariam illis noctibus, quibus Ioannes intra domum eodem in cubiculo eubabat, e sede haud descendisse dormiente Ioannis matertera et cum viro conversatam haud esse?

Eadem Ioannis Matertera refert : « Postridie Ioannes et uxor Deshofalvam ivere ad epulas ; dum reverterentur, uxor relicto in silva marito sola domum repetiit ». Euntes ad convivium ac redeuntes Ioannes et Maria absque testibus et arbitris fuerunt.

Recinunt quidem testes prodigiosam quandam Mariae in Ioannem antipathiam, sed timeo ne SERO , matrimonio scilicet iam consummato, orta haec sit. Porro usque ad nuptias Maria peculiari in Ioannem sympathia ferebatur. Ad rem Mariae mater testatur.

« Filia mea libenter nupsit Ioanni, imo et gloriabatur apud vicinos - talem esse sponsum suum sicuti dominum quemdam. - Adveniente autem die nuptiarum, filia mea valde impatiens expectabat sponsum, ut quando prius videre posset eum urgebatque profectum in oppidum Tokésiensem ad matrimonium celebrandum ».

Mariae matri concinit agmen testium ; et ideo veri autem absimilis videtur haec Georgii, Mariae fratris narratio: « Celebrato (ita ille) matrimonio iam vidimus sororem taedio affectam esse erga maritum; quanam ex causa, non eo-

gnovi, sed soror mea hanc reddidit rationem quod maritus ante depositum iuramentum matrimoniale talem foetorem emiserit sicut mustela vel martes, animal quoddam ».

Ioannes enim si adeo foetebat in solemnitate nuptiali, gravius puto eum oluisse minus solemnibus momentis; et proin Maria dubio procul antenuptialibus in colloquiis persensisset decantatum foetorem.

Hisce praenotatis suppositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 8 Maii 1897, censuit respondere : *Affirmative.*

COLONIENSIS

CELEBRATIONIS MISSARUM

Die 26 Iunii 1897.

Sess. 22, cap. 6, De Reform.

COMPENDIUM FACTI. Archiepiscopus Coloniensis retulit, in loco Archidioeceseos Coloniensis, antea « Auf der Hütten » nunc « Schevenhütte » nominato, coniuges nobiles Theodorus a Leers et Anna Richmundis de Bercheim erexisse beneficium in Capella ab eis extructa in honorem SSmae Trinitatis. Pro dote eiusdem beneficii constituerunt mille florenos áureos et sex iugera pratorum hac sub conditione ut beneficiatus « diebus dominicis festivisque singulis ita mature peracto sacrificio missae divino, necnon brevi exhortatiuncula parochiali ecclesiae in Gressenich temporibus iis celebrando sacro nihil impedimenti adferat, sed potius ut omnes christianae animae circumhabitantes pro commoditate sua in uno aut altero loco sacris interesse possint, valeant ac debeant ; in quibus celebrandis sacris beneficiatus *in Memento*

fundatorum eorumque agnatorum ac amicorum memor erit, necnon diebus dominicis iuventutem in fide catholica instruet. Ut vero beneficiatus pro tempore specialiter fundatorum eorumque agnatorum demortuorum et successorum non immerito recordetur, sic expresse obligatus erit et volumus, si in hebdomada inciderint duo dies festivi, ut pro iisdem praeter antedicta Deo nihil offerat, si vero hebdomada sine festis libera erit, beneficiatus diebus lunae singulis pro fundatoribus, successoribus eorumque amicis defunctis, necnon feria quinta *sacrum* de SS. Trinitate celebrabit et Deo *offeret* ».

Verum triginta fere post annos, nempe die 6 Decembris 1699, Ioseph Clemens, Archiepiscopus Coloniensis praedictam capellani in paroeciam erexit, ipsisque incolis et eorum successoribus ius et potestatem. . . . praesentandi proprium sacerdotem, qui in domo dotis perpetuo residere. . .. Verbum Dei praedicare divinaque officia et quaevis sacramenta ac omnia animarum curatori incumbentia administrare debeat concedendum duxit.

Qua quidem in re observandum videtur reditus quidem beneficii illius, novae parochiae tunc applicatos esse, at neque missae a beneficiato singulis dominicis diebusque festivis celebrandae mentionem esse factam et ius patronatus a. 1668 fundatoribus eorumque haeredibus concessum, a. iam 1699 ipsis loci Schevenhütte incolis concessum esse. Quod quomodo explicandum sit, ex documentis archivii sive parochialis sive archiepiscopalis haud satis apparet.

Post id tempus vix ulla quae ad rem dilucidandam possent conferre deprehenduntur.

Id solum addendum videtur, capitale mille aureorum, de quo supra sermo factus est, tempore sic dictae revolutionis Franco-Gallicae a Gubernio sequestratum esse. Anno vero 1885 Gubernium Borussicum huius summae necnon usurarum, in toto summae 17,300 markarum germanicarum, i.e. 21,265 libellarum italicarum, se erga parochiam Schevenhütte debitorem recognovit et exhinc singulis annis parocho

eiusdem loci 692 markas germánicas i. e. 865 libellas italicas tamquam reditus praedictae summae exsolvit.

Parochus igitur hodiernus dicti loci, ait Ordinarius, de missa singulis dominicis et diebus festivis ex primaevae fundationis tenore celebranda anxius haeret.

Quae quidem missa ex quo locus Schevenhütte in parochiam erecta est numquam videtur esse celebrata. Imo die *S* m. Martii 1727 a familia quadam Wingen in eadem ecclesia parochiali Schevenütte alterum beneficium simplex sub invocatione B. M.V. fundatum, benefìciatoque iniunctum est, ut singulis dominicis et diebus festivis hora matutina missam legat. Quare, si praeter missam parochialem tunc missa pro fundatoribus beneficii SS.mae Trinitatis lecta fuisset, quomodo in parva hac parochia tertia missa necessaria potuisset videri, vix ullo modo conciperetur.

Itaque quum dubii, quo haec res involvitur, solutio, iam a Sancta Sede imploranda videatur, Te, Beatissime Pater, humillime rogo :

1. ut benigne diiudicare digneris, utrum obligatio missam dominicis festivisque diebus pro fundatoribus eorumque cognatis applicandi satis pateat, necne.

2. utrum parochus loci Schevenütte, qui beneficii a coniugibus a Leers quondam fundati reditibus actu fruitur post parochiae Schevenütte erectionem praeter missam singulis dominicis festivisque diebus pro parochianis applicandam, alteram iisdem diebus vel potius diebus sequentibus ad intentionem fundatorum applicare fuerit obligatus.

3. ut si forsan dubiis 1. et 2. affirmative respondendum esset, pro praeterito condonationem benigne elargiri digneris.

Quia ex facti specie constat, has mutationes inductas fuisse, ut capella iuris patronatus laicalis erecta sit in ecclesiam parochialem, minime auditis patronis fundatoribus, ius vero patronatus dein concessum fuisse *ipsisque incolis* (pagi Schevenhütte) *et eorum successoribus;* non amplius celebratas fuisse missas *die lunae,* nec non *feria quinta* iuxta

expressam fundatorum voluntatem, nempe « si vero hebdomada sine festis libera erit beneficiatus diebus lunae singulis pro fundatoribus, successoribus eorumque amicis defunctis nec non feria quinta *sacrum de SS. Trinitate celebrabit et Deo offeret* » ; proinde exquisitum fuit ab Archiepiscopo Colonien., an adhuc in vivis essent heredes fundatorum qui sua iura vindicare valerent.

Ordinarius die 28 Augusti respondit : « quoad beneficium in honorem SSmae Trinitatis ad capellani in Schevenütte Archidioeceseos Coloniensis anno 1668 fundatum et anno 1699 in parochiam erectum, novam inquisitionem institui. Ex ea vero constitit neminem iam in vivis esse qui circa beneficium olim fundatum aut ius patronatus laicale in eo concessum interesse haberet. Sed praeter documenta, quae anno 1893 mihi nota erant, alia quamvis ad rem plane dilucidandam haud plane sufficientia, inventa sunt ».

Disceptatio Synoptica.

Quibus ex Uteris aperte patet quaestionem hanc esse, an nempe mutationes temporis progressu inductae in fundatione nobilium patronorum ratae habendae sint; cumque mutationis rationes et causae in latebris antiquitatis delitescant quaeri debet an admittenda sit praescriptionis medela. — Siquidem,, in themate, fundationis lex mutationem passa est *triginta fere post annos* ab edita voluntate piorum fundatorum ; neque constat patronos consensisse in erectionem Ecclesiae parochialis, aut in adiectorum onerum mutationem quam, ceterum, Archiepiscopus sua auctoritate decernere non poterat.

Episcopos vero non posse, sua ordinaria potestate mutare pia legata, aliasque id genus fundationes exploratissimi iuris est, uti pluribus argumentis docet Benedict. XIV *De Syn. Dioec. lib. 13, cap. 25, n. 22.*

Quamobrem si rata haberi debeant quae interim mutata sunt quoad pristinam fundationem, recursus haberi debet ad vim praescriptionis longissimi temporis, quae dicitur a

pragmaticas *melior titulus de mundo,* et praesumere iubet *beneplacitum Apostolicum.*

Verum admittendae praescriptioni obstat praescriptio Concil. Trid. *Sess. 25, cap. 5, de Ref.*, ubi decernitur beneficia eccles. et pia legata nulla ratione a lege suae fundationis esse removenda; nam « *quomodocumque ita constituta fuerint, observantur ut eorum qualitatibus vel ordinibus nihil in ulla provisione detrahatur et aliter facta provisio surreptitia censeatur* ».

Unde constans S. C. C. habita est iurisprudentia, qua firmatum fuit principium, *praescriptionis subsidium* etsi longissimi temporis vel immemorabilis, invocandum non esse ad comprobandas mutationes inductas in observantia piarum fundationum. Cuius regulae clarissima invocata est ratio, quippe perspectum est praescriptionem *iure rom. et can.* inductam fuisse adversus desidiosos cives, negligentes res iuraque sua sedulo servare et custodire; *arg. cap. Vigilanti 5 De praescript.*

Atqui in piis legatis praecipue missarum si praescriptio iuvaret, haec in illorum vergeret damnum, qui omnis culpae et negligentiae expertes sunt, nimirum in praeiudicium animarum piacularibus flammis addictarum, quae in foro ecclesiae sua iura alias vindicare non poterant.

Non dissimili ratione inducta est regula : *contra non valentes agere, praescriptio non currit,* unde adversus pupillos aliosque agere non valentes, durante pupillari aetate vel impedimento non procedit praescriptio ; *leg. Sicut in rem, Cod. De praescr. 30 vel 40 annorum;* et *leg. 1,* § *final., Cod. De ann. except.*

Inter plures S. C. C. decisiones hanc legem aperte firmantes ad rem facit responsio edita in *Firmana 12 Augusti 1843;* in qua haec facti species. - Fundator per testamentum anni 1683 capellano onus imposuerat litandi *p er seipsum* duas Missas qualibet hebdomada, conditione apposita quod si per seipsum non celebraret, excepta infirmitatis causa, dare teneretur alteri sacerdoti celebranti integram portionem omnium

capellaniae fructuum diei illi pro rata respondentem. — At vero ab *anno 1691* ad *ann. 1831* nullum verbum in Bullis institutionum de hoc onere factum est, adeoque piae voluntatis adimplementum in oblivionem et desuetudinem abierat. *Anno 1831* capellanus de testamentaria depositione certior effectus, indulgentiam a S. O. C. ad triennium obtinuit, ut missas per alium celebrare posset. Illud indultum prorogatum fuit, elapso primo triennio ; at vero altero superveniente triennio, responsum prodiit ut in posterum testamentaria dispositio servaretur. In hoc rerum statu Archiepiscopus *auno 1841* decretum edidit, quo statuebatur ut capellanus celebrationem omittens fructuum beneficialium portionem iuxta mentem testatoris persolveret; ut quotannis capellanus statum activum et passivum capellaniae vicario foraneo exhiberet eo consilio ut quota a capellano solvenda ei qui sacrum suavice perlitaret, determinari posset; ut denique Missas duas neque pervertere, neque differre ultra quamlibet hebdomadam celebranti liceret. Itaque contradicente capellano qui ex iure passivo quo potiebatur, capellaniam obtinuerat et alibi domicilium habebat, proposito dubio : « *An infirmandum vel confirmandum sit sacrae visitationis decretum in casu* » S. O. O. *die 12 Aug. 1843* rescripsit: *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam* ».

Neque praetereundum est *in folio* huiusce causae § *Viderint* dubitationem fuisse obmotam, an in casu de quo agebatur observantia aliquid ponderis haberet in linea *si non praescriptiva,* saltem *praesumptiva:* quae videlicet praesumptionem induceret de Apostolico beneplacito, rite impetrato ad hoc ut testatoris immutaretur voluntas ; quae tamen exceptio, nullimode EE. PP. animum movit.

Ex adverso advertere praestat, quoad immutationes in themate obiectas distingui debere mutationes quae irrepserunt in iure patronatus et in ipsa capellae erectione, a mutatione inducta in executione pii oneris Missarum. Siquidem ad alias mutationes quod spectat nullum facessit negotium, praescriptionis vim admittere eumque excipere uti novi iuris

fontem. Iura enim patronorum praescriptioni esse obnoxia, exploratissimi iuris est. — Quamobrem tota inest difficultas in comprobanda mutatione quam affecit ipsam obligationem celebrandi certis diebus Missas easdem applicando fundatorum animabus. — In bisce oneribus autem reducendis vel mutandis suam vim non exerere praescriptionem probabilior tenet opinio, sed tamen vehementer controversa, uti patet ex recensione auctoritatum apud Ferraris, *Biblioth. can., verb. Usucapió, a. 1, % 1, n. 6 seq.* CI. Lucidi *De Visit, sacror. liminum V. II, cap. 7, art. 1, n. 12 seq.* docet S. C. C. adhaesisse negativae sententiae.

Denique liceat advertere, Doctorum auctoritates sententiam affirmativam asserentes maxime comprobare mutationes inductas in beneficiis et capellaniis quoad leges fundationis in genere; et hinc innituntur *cap. 5 De praebendis in 6.* Sed non ita clare iidem Doctores asserunt praescriptionem aeque invocandam esse ad reducenda onera Missarum, vel eadem quoad numerum immutanda.

In themate vero non est praetermittendum, reapse Rectorem ecclesiae parochialis Missas celebrare *pro populo* singulis diebus festivis eiusque fructum cedere, ex intentione Matris Ecclesiae, in suffragium piorum fundatorum qui in Domino mortui sunt. Hinc, ex hac parte, fundatores quorum bona adhuc inserviunt dotationi Ecclesiae eorumque successores sane percipiunt spirituale emolumentum ex celebratione Missarum quae *pro populo* applicantur.

Quocirca *partim tantum* fundatorum voluntas hodie non observatur ullimode, quia missae celebratio praetermittitur in diebus nonnullis non festivis, nempe in feria II et V quando in hebdomada nulli alii recurrunt dies festi.

Denique remissum fuit Emis Patribus deliberare, an ex maiori animarum profectu seu bono spirituali, tum pro vivis, tum pro defunctis quod percipitur ex constituta Ecclesia parochiali, compensata haberi debeat spiritualis iactura derivans piis fundatoribus eorumque successoribus ex non plene adimpleto pio onere missarum.

Hodie vero reducendas esse missas, suadet imminuta redituum quantitas.

Hisce praeiactis, remissum fuit Emis Patribus resolvere quaestionem sequentibus propositam

Dubiis

I. *An ratae haberi debeant mutationes inductae in capellanía et in executione pii oneris missarum, in casu.*

II. *An et quomodo consulendum sit SSmo pro reductione pii oneris quoad futurum et pro condonatione quoad praeteritas omissiones in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii re disceptata sub die 26 Iunii 1897 censuit respondere: Ad I. *Affirmative in omnibus.* Ad II. *Provisum in primo.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ROMANA. Firmo permanente festo ss. Cordis iesu affixo feriae VI post octavam Corporis Christi, indulgetur Ordinariis locorum transferre eiusdem festi externam solemnitatem cum privilegio celebrationis Missae propriae eiusdem SSmi Cordis, cum nonnullis animadversionibus.

Coetus Presbyterorum Saecularium S. Pauli Apostoli in Urbe Summo Pontifici Pio Papae VII humiliter significarunt, in multis templis iustis de causis non eodem, quem Ecclesia constituit, die, festum SS. Cordis Iesu celebrari consuevisse; quapropter ab Eo suppliciter petiverunt, ut veniam daret, qua Missae SS. Cordis Iesu propriae eo die celebrari possent, quo festum ageretur: simulque concederet Indulgentiam Plenariam omnibus Christifidelibus, qui confessi et Sacra Communione refecti, pias precationes in Templo, ubi festum celebratur, ad mentem Summi Pontificis D. O. M. fuderint; quibus postulationibus Sanctitas Sua ita satisfecit: « Ex Audientia SSmi Die 8 Iulii 1815. SSmus benigne annuit pro gratia in omnibus et in perpetuum, de licentia tamen Ordinariorum respective locorum quoad translationem diei festi: contrariis non obstantibus. P. F. Card. Galeffi ». Eius-

modi Rescripto Secretariae supplicum libellorum Sacrae Rituum Congregationi nuper exhibito, Moderator Primariae Congregationis SSmi Cordis Iesu penes Ecclesiam de Pace in Urbe ab ipsa S. Congregatione humiliter postulavit: «Utrum iuxta praxim eiusdem Sacrae Congregationis, omnes Missae propriae de SS. Corde Iesu celebrari valeant in solemnitate translata ipsius SS. Cordis et qualibet die a Rmis Ordinariis locorum in casu designata?» Et Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit: « Firmiter manente Festo SS. Cordis Iesu affixo Feriae VI post octavam Corporis Christi et quotannis recolendo cum Officio et Missa propriis iuxta Rubricas et Decreta, eiusdem festi externam solemnitatem, ad tramites Rescripti suprarelati, in aliam diem a Rmis Ordinariis locorum designatam posse transferri, etiam cum privilegio celebrationis Missae propriae de ipsomet SS. Corde Iesu: hoc autem privilegium iuxta praxim Sacrorum Rituum Congregationis excludi quoad Missam Solemnem a duplicibus primae classis et a Dominicis privilegiatis item primae classis, et quoad Missas lectas etiam a duplicibus secundae classis, necnon a Dominicis, feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis; atque ea sub lege illud adhiberi posse, ut numquam omittatur Missa Conventualis vel Parochialis, Officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit obligatio; et serventur Rubricae. Atque ita rescripsit.

Die 23 Iulii 1897.

C. CARD. MAZZELLA EP. PRAENESTIN. *S. R. C. Praef.*

L. œ S.

D. PANICI *S. R. C. Secret.*

DUBIUM. Quaeritur an sodales procedere debeant capite omnino nudo in {processionibus cum SSmo Sacramento.

Postulato Sacrae Rituum Congregationi exhibito: Utrum in processionibus cum SSmo Sacramento confraternitatum sodales semper nudo omnino capite procedere debeant? Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, auditoque voto Commissionis Liturgicae respondendum censuit: « *Affirmative,* ad tramites

Ritualis Romani, Caeremonialis Episcoporum et Decretorum *Aesina* 23 Ianuarii 1700 ad 2; *Mutinen. 22* Septembris 1837 ad 2; et *Toletana,* 21 Augusti 1872, ad IL Atque ita rescripsit, die 22 Iulii 1897.

C. CARD. MAZZELLA EP. PRAENESTIN. *S. R.* C. *Praef.*

L. * S.

D. PANICI S. *R.* C. *Secret*

FLORENTINA. Beatificationis et Canonizationis ven. servi Dei Benedicti a Podio Bonitio, Sacerdotis professi ordinis Minorum s. Francisci de observantia.

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate, erga Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ?

Vivit in fastis Franciscalis Familiae, vivetque aevo extento Fr. Benedicti nomen viri venerabilis. Ortus est Podii Bonitii in Thuscia prope Florentiam postridie idus septembres anno MDXCI.

Domesticos inter parietes mature hausit pietatem, quae pueri in animum altius immissa sese extulit, explicuitque aetate confirmata. In ordinem seraphicum adscitus, brevi ad tantam virtutis laudem pervenit ut non pedetentim et gradatim, sed contento cursu, et veluti uno halitu iter arripuisse visus sit.

Caritate in Deum fuit quanta par est eam esse qui ipsius Dei gratia rebus humanis nuntium sponte remisit. Quo autem arctioribus Deo amoribus iunctus, eo proximos tenaciori complexus est studio. Verbo Dei praedicando admotus nihil sibi duxit antiquius, quam in animis excolendis et ad meliora vertendis omnem operam ponere, nullumque unde pietatis fructus percipere posset laborem defugere. Qui vero probe intelligebat praedicantium mores magis valere quam praecepta, cunctosque exemplo magis quam verbo tribuere, ita se impertire studuit, ut intuentium animos vel externo corporis habitu ad pietatem alliceret.

Ab omni fastu, et moribus imperiosis vehementer abhorrait, seque humili loco natum, mortalium omnium intimum et opis divinae maxime egentem putabat. Praeesse cum posset, obedire maluit. Gastimoniam adeo coluit, ut caelestem vitam agere in terris putaretur ab omni corporis contagione seiunctus.

Duo tamen in venerabili viro praesertim emicuere patientia eximia, seseque excruciandi studium singulare. Diuturnum enim, gravemque quo tentatus est, morbum non modo libenter tulit, sed veluti si patientiae exercendae sibi occasio deesset, remediis abstinuit ne melius se haberet. Somni parcissimus vel sub noctem solidas horas rerum caelestium commendationi dabat, vel si decumberet strato asseres supponebat quo somnum excuteret, auctoque supplicio flagris lorisque sese immaniter concidere, zona setis aspera pectus obligare, catenula cuspidibus obarmata femur devincire. Ad haec semel cibum singulis diebus, plerumque capiebat pane contentus et oleribus, sitimque frigida ut plurimum levabat. Hisce attritus cruciatibus in febrem incidit morboque ingravescente, cum a medico accepisset sibi exitum imminere tanta perfusus est voluptate, ut ea verba usurpant « *Laetatur sum in his quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus* ».

Vulgata Benedicti morte, fletus gemitusque in civitate factus; nec pauci ex finitimis oppidis visere defuncti corpus venere. Cumque efferretur vix est impetratum ut via daretur per confertam multitudinem, quae plenis dabat manibus flores, ita ut propior triumpho fuerit honos quam funeri. Ab anno autem MDCLIX, quo vir Dei ad caelestes abiit ita eius sanctimoniae recordatio increvit prodigiis etiam illustratae, ut de cultu beatorum ei decernendo ad S. R. Congregationem causa deduceretur.

Verum ex eo tempore ob rerum vicissitudines contigit ut actio penes hunc S. O. diu iaceret, donec remotis saecularibus induciis optatissimam metam assequeretur. Ceteris igitur iure confectis, in heroicarum virtutum examen triplici disceptatione peractum est. Nimirum in antepraeparatorio coetu, habito quinto calendas décembres anno MDCCCLXXXIII, ad aedes R.mi Cardinalis Thomae Martinelli, paulo post e vivis erepti; altera in praeparatorio ad Vaticanum decimonono calendas eiusdem mensis anno MDCCCXC; tertia demum in generali conventu ibidem penes Sanctissimum Dominum Nostrum Papam XIII indicto, decimo-

septimo calendas iulias, vertentis anni. Hac vero postrema in Congregatione R.mus Cardinalis Caietanus Aloisi Masella causae Relator, dubium ad discutiendum proposuit: « *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitiu Fortitudine ac Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?* » Sanctissimus Dominus Noster, auditis Rmorum Patrum Cardinalium et Consultorum suffragiis iudicium suum aperire distulit, ut in tanti momenti negotio lumen a Patre luminum enixis precibus efflagitaret.

Hodierna autem die qua solemnitas dulcissimi Nominis Mariae recolitur, SSmus Pontifex, sacro devotissime peracto, ad se acciri iussit Rmum Cardinalem Camillum Mazzella Episcopum Praenestinum, S. R. C. Praefectum loco etiam et vice praefati Cardinalis Caietani Aloisi Masella, una cum R. P. D. Ioanne Baptista Lugari, Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario; iisque adstantibus solemniter decrevit: « *Constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven. Seroi Dei Benedicti a Podio Bonitio in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur* ».

Decretum hoc publici iuris fieri et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit pridie idus septembres anno MDCCCXCVII.

CAMILLUS Card. MAZZELLA
S. B. C. Praefectus.

L. « S.

DIOMEDES PANICI
5. *R. C. Secretarius.*

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM. Quaeritur an unctio repetenda sit in presbyteris qui ordinati fuerunt, utendo Episcopus oleo s. Chrismatis, loco olei Cathecumenorum.

Magister caeremoniarum cuiusdam Episcopi, in ordinatione duorum presbyterorum, loco olei Cathecumenorum, oleum sancti Chrismatis ordinanti Episcopo obtulit adhibendum, et hoc omnino praeter voluntatem et intentionem. Re cognita, auctores de sacris ritibus tractantes consuluit, qui omnes unctionem renovendam esse praescribunt. At, quum hoc absque valde notabili admiratione et veluti quodam scandalo fieri non posset, dictus caeremoniarum Magister ad Supremum S. Officii tribunal recurrit, postulans ut ipsum iudicet an revera unctio foret repetenda, an potius sine dictae unctionis iteratione tutus in conscientia et absque animi anxietate esse possit.

Et Sacra Congregatio, feria IV die 22 Iulii 1874. censuit respondendum : *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Repetenda est ordinatio Diaconi, cui Episcopus ordinans manus appropinquavit, sed caput ordinandi non tetigit.

Italus quidam Episcopus Sacrae Congregationi S. Officii humiliter exponit, quod, cum, annis abhinc circiter quatuor, optimo cuidam suae dioecesis subdiacono, diaconatus ordinem conferre vellet, in illius ordinatione peragenda manum utique dexteram, et ad minimam quidem distantiam, super caput eius suspendit, quin tamen praedictum illius caput corporaliter attingeret. Cumque mox hic defectus haud essentialis praedicto Episcopo aliisque ecclesiasticis viris ab eodem consultis visus fuerit, eumdem clericum non ita multo post ad sacerdotalem ordinem promovit, quem ipse clericus a tribus iam annis laudabiliter exercet. Verum illius defectus recordatio magnam nunc eidem Episcopo anxietatem et de praedictae diaconialis ordinationis validitate dubitationem affert. Eapropter ipse Revmis EE. VV. duo haec dubia reverenter proponit, videlicet:

I. An, ad reparandum praedictae ordinationis defectum, ordinatio tota diaconatus in illo sacerdote iterari debeat?

Et quatenus affirmative:

II. An haec ordinationis iteratio sub conditione fieri possit a quocumque catholico Episcopo secreto, quocumque anni tempore, etiam in sacello privato, uti responsum est in quodam rescripto Congregationis S. Officii die 28 Ianuarii anni 1835 ad reparandum quemdam defectum impositionis manuum, qui in ordinationem cuiusdam presbyteri irrepserat?

Sacra Congregatio, examinato casu, in feria IV, 20 Ianuarii 1875, rescripsit:

Ad utrumque: *affirmative, facto verbo cum Sanctissimo.*

Eadem feria ac die Sanctissimus EE. PP. resolutionem confirmavit, ac facultates omnes necessarias et opportunas impertiri dignatus est.

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

LITTERAE Em. Praefecti super dubio adeundi per procuratorem ministrum infidelem in matrimonii celebratione catholici cum Mahumetana.

Mme et Rme Domine,

Die 12 Martii 1897.

Per litteras diei 3 ianuarii vertentis anni quaeris utrum liceat viro catholico, legitime uxorem mahumetanam ducenti, etiam coram *Cadi* per procuratorem matrimonium civile celebrare.

Probe novit Amplitudo Tua licitum esse ex necessitate legis civilis ministrum acatholicum adire, ad matrimonium dumtaxat civile, uti vocant, contrahendum, dummodo hic uti minister politicus, non vero ut minister sacris addictus assistat. In re vero praesenti, uti ex tua expositione videtur, non adest necessitas civilis legis, cum haec pro validis habeat matrimonia legitime coram ministris cuiuscumque religionis contracta; et insuper eo fine ministrum mahumetanum adire pars infidelis vult, ut matrimonium, eiusdem auctoritate religiosa interposita, validum consistat.

Rebus itaque sic extantibus, cum hoc per se peragere viro catholico vetitum sit, nec per procuratorem facere ipsi permittitur.

Moneat itaque Amplitudo Tua, quando occurrerit, huiusmodi catholicos sponsos de praescriptionibus Ecclesiae et de officio eas inviolate servandi.

Ego vero Deum precor ut te diu sospitet.

Amplitudinis Tuae
addictissimus servus

M. Card. LEDOCHOWSKI, *Praef*

A. ARCHIEP. LARISSEN. *Secret.*

Dno Aloisio Lasser r e, Vicario Apostolico Aden.

EX 3. CONGREGATIONE INDICIS

Feria Y, die 9 Septembris 1897.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reoerendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 9 Septembris 1897, damnavit et damnat, proscriptis proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera :

Gaetano Negri. Rumori mondani. Milano, Ulrico Hoepli, 1894.

— **Segni dei tempi.** Profili e Bozzetti letterarii. Milano, Ulrico Hoepli editore, 1897.

— **Meditazioni vagabonde.** Saggi critici. Milano, Ulrico Hoepli editore 1897.

— **Histoire de France** à l'usage des écoles primaires et des classes élémentaires des lycées et collèges par MM. F. A. Aulard professeur à la faculté des lettres de Paris et A. Debidour doyen de la faculté des lettres de Nancy, Paris 1895.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 10 Septembris 1897.

ANDREAS CARD. STEINHUBEB, PRAEFECTUS

Fr. MARCOLINUS CICOGNANI O. P., a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 13 Septembris 1897. Ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia *Mag. Curs.*

dum scienter legentes libros apostatarum et haereticorum etc. haeresim propugnantes, sed etiam eosdem libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes (Cap. II. Excom. I. Classis) in cit. Const. *Officiorum* praetermittuntur, ut etiam in aliis paragraphis; demum quia in nonnullis paragraphis damnantur etiam qui libros edunt, legunt, retinent, ut in § 12, in aliis minime; qua de causa censendus est Legislator in singulis paragraphis expressisse quae voluit, noluisse quae non expressit.

Attamen *prohibitionem* idem significare eademque complecti in novo iure ac in veteri, primum argumento demonstratur quod ex fine legis latae petitur; etenim idcirco noxii libri prohibentur, ne eorum lectione fides et mores hominum depraventur. At si prohibitio in novo iure unam lectionem excluderet, et de cetero noxii libri possent imprimi, publicari, retineri, commodari, eorum lectioni plurima, eaque amplissima aperiretur via, et lata lex inutilis prorsus, vel fere redderetur.

Non est autem necessarium ut in singulis Decreti paragraphis, ea quae generaliter vult exprimat Legislator; sed satis est si in aliqua mentem voluntatemque suam manifestet. At Leonem XIII eodem sensu *prohibitionem* sumere ut in veteri iure satis manifeste constat ex § 12 *Nefas esto libros edere, legere et retinere* etc.; ex § 13, qua proscribuntur libri qui narrant novas apparitiones, si absque legitima facultate publicati fuerint; proscriptio igitur includit publicationem; ex § 14, qua *prohibentur pariter libri* qui duellum, suicidium, divortium licita statuunt; prohibitio igitur haec, etiam alia superius vetita includit, cum hi libri eodem modo prohibeantur. Sed praecipue constat ex § 47, qua excommunicatione speciali modo R. Pontifici reservata plectuntur scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes etc. eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes. Eiusmodi porro paragraphus manifestam habet relationem ad § 2 tit. I. At si hoc in loco prohibitio non complecteretur retinentes, imprimentes, defendentes, quomodo hi excommunicatione percelli possent in § 47 ? Quandoquidem lege exclusi dicendi essent. Atque insuper credi posset Pontifex per § 2 tit. I. abrogasse caput II. Constit. *Apostolicae Sedis,* quo excommunicatione feriuntur eosdem libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes; instau-

rasse autem atque confirmasse per § 47; quod dictu nefas. Obiecta porro argumenta facile eliduntur. Summus enim Pontifex molliores reddidit regulas, salva tamen illarum substantia, quia plura e medio abstulit, quae in veteri iure sanciebantur, pluraque permisit quae non permittebantur, ut collatione instituta patebit. At si in iure novo prohibitio unam lectionem excluderet, non cetera, nec veterum regularum substantiam conservasset, et illas fere ex integro abrogasset. Quoad cetera responsio patet ex dictis.

Post haec *legere* non est sub oculis librum vetitum solummodo tenere, vel eius vocabula sententiasque aut tacita mentis cogitatione, aut ore pronuntiare, sed etiam ea comprehendere quae leguntur. Sin minus quilibet qui linguam latinam, aut alia idiomata ignorans, quibus libri vetiti conscripti sunt, mechanice, ut ita dicamus, illos legeret, excommunicationem incurreret; quod falsum: cum idcirco perniciosi libri proscripti sint, ne fides moresque hominum inficientur; hoc autem periculo alieni sunt illi qui legendo nihil intelligunt. Atque cum in odiosis versemur, probabili sententia, nec illi excommunicati sunt habendi qui vetitorum librorum lectionem audiunt; etenim hi non legunt; poenis autem legislator non afifecit audientes. Cum tamen hi gravi perversionis suscipiendae periculo se exponant, graviter etiam peccant.

Imprimere est typis vetitae lectionis librum committere; poenasque indictas illi incurrunt qui proximam impressioni operam conferunt, ut editor, typographus, operarii, ni tamen hi ob negatam operam grave sint damnum passuri. Auctorem non putamus, cum hic illatas poenas incurrat veluti principalis agens, haeresum scilicet et errorum vel inventor, vel sectator; neque iura hominem ob idem 'crimen bis plectunt; excommunicatione praesertim, qua Ecclesiae consortio et societate privamur; ad quem effectum semel poenam incurrisse sufficit. Neque rei confirmandae desunt exempla. Profecto *inter fidentes, mutilantes, percutientes, capientes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. Ecclesiae Cardinales, Patriarchas, Episcopos* etc. ex Cap. V. Constitutionis *Apostolicae Sedis* incurrunt excommunicationem speciali modo R. Pontifici reservatam. Posset autem homo praepotens et iniquus has omnes actiones committere contra eamdem ecclesiasticam personam, et in eadem temporis continuitate; ita ut Cardinalem hostiliter

primum insectetur, postea capiat, captum detineat, detentum percutiat, mutilet, interficiat: Num dicemus eum tot excommunicationes incurrisse quot vetitas commisit actiones ? Demum auctor sub conceptu impressoris non cadit.

Publicare est opus vetitum in notitiam hominum deferre, venale exponere, aut in vulgus quomodocumque spargere.

Retinere idem est ac librum vetitum apud se conservare.

Dare est efficere ut libri proscripti in aliorum manus quocumque titulo perveniant, ex. gr. donationis, commodati etc.

Defendere non id significare existimandum est, ne liber vetitus aut destruatur, aut Ecclesiae Praefectis tradatur; hoc enim potius conceptu retentionis concluditur; sed perniciosam doctrinam laudare argumentisque tueri. Profecto dum de doctrina agitur, hanc significationem verbum *defendere* praeferre, nedum plurimis exemplis, quae allegare possemus, sed. ex ipsa Constitutione *Sollicita* Benedicti XIV, paragrapho X. evidentissime constat.

Inquirendum similiter est: an libri in novo iure eodem sensu ac in veteri sumantur; pro voluminibus scilicet quae octo, novem, aut decem foliis constent. (Cf. Schmalzgrueber Lib. V. Tit. VII. n. 55, atque alios canonum SS. tractatores). Atque in eiusmodi dubitationem coniicimur, ex quo in Constitutione *Officiorum* proscripta videamus cap. VIII. *Diaria, Folia et libellos periodicos.*

Attamen distinctionem eamdem et in novo iure esse retinendam plura suadent. Et I°. Quod de immutato sensu nullum in novo iure vestigium appareat, sed absolute Legislator de libris loquatur iuxta obvium sensum, quo illa vox communiter adhibetur. 2°. Quia nonnullas paragraphos, in quibus libri vox continetur, ex veteri iure in novum transtulit, quin aliquid addiderit, quo de vocabuli illius etiam ad libellos, folia etc. extensione moneamur. 3°. Quia aperte distinguit utriusque generis scripta; ex. gr. § 17 recenset *Libros Indulgentiarum, summaria, libellos, folia;* § 20 *libros aut libellos precum;* § 29 *libros aliaque scripta.* Hinc inferendum est, Cap. VIII. Tit. I. quo prohibentur *Diaria, Folia et Libelli periodici* constituere legem specialem, qua perniciei eorum causa invalescenti occurrere posset. Etenim nullimode necessarium fuisset eiusmodi Caput expresse constituere, si sub librorum nomine etiam diaria, folia, libellos Legislator complexus fuisset. Quod ergo et hoc seri-

piorum genus recensuerit iudicium est, eum putasse sub librorum censu minime comprehendi.

39. Haec paragraphus constituta ex Regula prima Tridentina iisdem fere verbis exprimitur. Per eam vero decernitur, eodem modo damnatos esse habendos libros, quos aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica ante annum 1600 damnarunt, quamvis in novo Indice non recenseantur. Idcirco autem Legislator de libris loquitur ante annum 1600 proscriptis, quia libri noxii subsequentium aetatum relati fuerunt in Indicem librorum vetitorum, atque per Regulas Tridentinas, aliaque decreta Indici praemissa designati. Horum autem librorum aliquot ipse Legislator in sua Constitutione recenset. (Cf. notas 9, 10).

Quid igitur de libris qui damnati sunt ante annum praedictum sive in Conciliis particularibus, sive ab Episcopis?

Et quidem eiusmodi prohibitio adhuc subsistere putanda est. Legislator enim legibus particularibus locorum nullam intulit derogationem, sed sollicitus tantum fuit eorum librorum prohibitionem renovare, qui generali decreto proscripti fuerunt sive a Romanis Pontificibus, sive a Synodis oecumenicis. Prohibitiones ergo illae, cum afficiant Dioeceses et loca particularia adhuc vigere dicendae sunt et respectivos subditos obligare; nisi videntibus et tacentibus Episcopis abrogatae sint existimandae per contrariam consuetudinem. Id autem eo vel magis dicendum quod in veteri iure nullum a Romanis Pontificibus latum decretum novimus, quo Episcopi potestate noxios proscribendi libros priventur; in novo autem integram adeo servant Pontifex, ut § 26 statuerit, neminem, quamvis a S. C. Indicis noxios libros legendi facultate comm unitum, posse tamen libros ab Episcopis proscriptos legere, nisi in concesso indulto specialis facultas facta fuerit. De cetero nullum Episcoporum mandatum revocatum censendum est, nisi certe de revocatione constet; at in casu praesenti minime id constare deprehenditur.

Vult autem Legislator ut libri damnati ante annum 1600 *eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt.*

Porro damnatio duo importare videtur; censuram, seu iudicium latum circa heterodoxiam libri proscripti, et poenas in eum legentes, imprimentes etc. statutas.

Quid ergo? Num ne Legislator sicut eadem censura seu iudicio libros praedictos vult esse damnatos; ita et sub iisdem poenis quibus damnati fuerunt?

Negandum id esse videtur. Etenim per novum ius expressum in Constitutione *Officiorum* nulla derogatio facta fuit Constitutioni *Apostolicae Sedis moderationi* a Pio Papa IX latae. In hac autem decernitur, *ut eos quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac Constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant.* Porro cum alicui legi vel decreto derogatur, expressa requiritur mentio sive de legis in universum, sive de alicuius eius partis abrogatione; idque praesertim si constet, Legislatorem illam in reliquis sartam tectamque servare voluisse; quod certe constat in praesenti casu; etenim Leo XIII nedum ullibi voluntatem expressit aliqua ex parte derogandi latae a Pio Papa IX Constitutioni, sed in aliquibus illi sese conformat; ex. gr. § 2. tit. I. et §§ 47 et 48 tit. 2. Exinde sequitur, quod cum censurae quas legentes, imprimentes etc. vetitos libros sint latae sententiae, certum omnino est eas abrogatas remansisse, atque nonnisi censuras illas vim retinuisse suam, quae innovatae et insertae in citata Pii Papae IX Constitutione reperiuntur, quam in suo robore novus Legislator manere voluit.

Qua de causa in verbis illis: *eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt;* verbum *damnati* unam importat censuram, seu iudicium, quo propositiones, aut libri proscripti damnati fuerunt, ipsamque damnationem importat.

Exemplum rei declarandae sumimus in damnatione librorum Ioannis Hus, quos Concilium Constantiense (an. 1414) proscripsit quocumque idiomate, utpote *continentes doctrinam merito suspectam de fide;* et Locorum Ordinariis committit eos debere prohibere sub comminatione excommunicationis, cum *adiectione poenae et fautoriae haeresis;* praecepit scilicet, ut transgressores decreti lati contra libros Ioannis Hus haberentur veluti fautores haereticorum, atque uti tales censuris aliisque poenis plecterentur sive per ipsos locorum Ordinarios, sive per Inquisitores haereticae pravitatis. *Cf notam 9.* Doctrina igitur Ioannis Hus damnata fuit veluti suspecta de haeresi; ergo et etiam nunc manet suspecta de haeresi.

Quoniam vero Patres Constantienses Locorum Ordinariis commiserunt poenas adiicere, si opus fuisset, atque Hussii libros legentes veluti fautores haeresis publicare; hinc in illis

Dioecesibus in quibus eiusmodi edicta proposita fuere, lex haec viget, nisi in desuetudinem abierit; in aliis, in quibus eiusmodi edicta publicata non fuerunt, non viget; sed lectores librorum Ioannis Hussii habendi sunt tantum veluti suspecti de haeresi, quae est qualificatio per Patres Constantienses indicta.

Huic autem alia nectitur quaestio. In Conciliis habitis ante annum 1600, haereticorum libri proscripti sunt quidem atque omnino prohibiti, nulla tamen aliquando adiecta poena ecclesiastica excommunicationis, suspensionis etc.; de qua re nonnulla exempla legantur in nota 9.

Certum est autem ex Cap. II. Constitutionis *Apostolicae Sedis,* excommunicatione speciali modo Romano Pontifici reservata percelli *Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem Apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.* Atque nullam distinctionem insinuari faciendam inter libros ante annum 1600 prohibitos, atque illos post dictum annum in Indicem relatos.

Quid igitur? Legentes libros haereticorum qui damnati fuerunt ante annum 1600 sine ulla ecclesiastica adiecta censura, incurrunt ne excommunicationem Piani Capitis II. quam Leo XIII confirmavit § 47 suae Constitutionis?

Atque dubitationem ingerunt verba ipsa: *eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt.* Cum itaque sine ulla adiecta ecclesiastica censura damnati fuerint, hanc non videntur incurrere illi, qui modo eos legunt; sin minus non essent habendi eodem modo damnati sicut olim damnati fuerant.

Et quidem vere. Etenim in Constitutione *Apostolicae Sedis* censurae non auctae, sed limitatae fuerunt ad eas tantum, quas ex veteribus canonibus in sua Constitutione Pius IX inseruit, et eo modo quo inseruit. Non potest hinc censeri novas statuisse censuras iis subrogandas quae a veteribus latae non fuerunt; sin minus aliquo saltem ex capite censuras multiplicasset. Sequitur ergo, ut si quis modo legat veterum haereticorum libros, qui sine ulla adiecta censura damnati fuerunt, nullam incurrat excommunicationem, quamvis alias poenas, quae censurae rationem non habent, ex. gr. poenalitates, utique incurrat, dummodo in desuetudinem non abierint; cuius rei ratio

est evidens: etenim libri illi in novo iure ita damnati manent sicut olim damnati fuerunt; atque non ex novo, sed ex antiquo iure eorum sit dimetienda proscriptio.

Alienum autem a veritate non putamus, etiam Pium Papam IX in Cap. I. et II. suae Constitutionis minime locutum de veteribus haereticis fuisse, sed de iis qui saeculo XVI et subsequentibus Christi Ecclesiam vexarunt. Patere id arbitramur ex verbis Cap. I. *eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet eorum defensores.* Etenim de pluribus haeresum inventorions, aut de non paucis vetustis haeresibus nostro aevo nomen vix superest; haeretici plurimi in contemptum abierunt; ita ut etiam heterodoxos et incrédulos nunc pudeat Valentini, Arii, Macedona, ut aliquos recenseant us, nomina ab orco revocare, quamvis sub alio nomine ipsos errores aliquando instaurare deprehendantur. Qua de causa allegata verba ad eos vix, aut ne vix quidem applicari possunt; scilicet nequeunt ex. gr. haereticorum *credentes* designari illi qui Valentini, Arii damnatis placitis faveant; atque ita de reliquis dicendum.

Sed aliquando contingit ut veterum haereticorum scripta non in separatis tantum voluminibus, sed etiam in Collectionibus amplissimis inserta reperiantur; pars vero maxima auctorum qui in illis continentur, aut plane catholica sit, aut innocuae lectionis. Exemplo esse possunt tum Patrologia Graeco-Latina a Migne edita quae plurima aut haeretica aut erronea scripta complectitur; ex. gr. Tertulliani (1) Origenis (2), Eusebii (3),

(1) P. Lat. Tom. I, II. in iam cit. Concilii Ramani an, 494 decreto sub Gelasio Tertulliani censura haec est: « Opuscula Tertulliani apochrypha), Quo loco apocrypham non id est quod supposititium, seb indicat libros. « quos nullatenus recipit catholica et apostolica Romana Ecclesia». P. L. Tom. LIX. 161.

(2) P. G. XI-XVII Origenis autem censura est: « Item Origenis nonnulla opus« cula, quae vir Beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Reliqua « autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda. Ibid,

(3) P. G. XIX. XXIV, De Eusebio Caesareensi haec primum habet Gelasii Papae censura. « Item chronica Eusebii Caesareensis, et eiusdem ecclesiasticae histo« riae libros : quamvis in primo narrationis suae libro tepuerit, et postea in laudi« aus atque excusatione Origenis schismatici unum censcripserit librum : propter « rerum tamen notitiam singularem, quae ad instructionem pertinent, usquequaque « non dicimus renuendos ». Et haec quidem decreti § 4. Attamen in § 5 legimus « Historia Eusebii Pamphili, apochrypha! » Ibid. 163.

Lactantii (1), Petri Abailardi (2), aliorumque; tum Collectio Conciliorum, in quorum actis plures similiter referuntur epistolae vel testimonia haereticorum; ex. gr. in Concilio Ephesino (431) Nestorii, in Chalcedonensi (451) nonnulla Eutychis scripta, aliaque Eutychianorum documenta, in Concilio V (553) multa ex libris Theodori Mopsuestiae Episcopi excerpta haeretica testimonia, multa ex scriptis Theodoriti Cyrensis Episcopi contra S. Cyrilli doctrinam, atque Ibae Edesseni ad Marim monachum Persam epistolam, quaedam insuper Nestorii epistolae; in Concilio VI (680) plurimae Monothelitarum epistolae; ut alias synodos silentio praetereamus.

Sunt etiam aliae collectiones scriptorum, in quibus continentur auctores prohibiti: in collectione ex gr. classicorum, qui in Italia sive metro, sive soluta oratione scripserunt, referuntur Nicolaus Macchia velli (I. Cl. Ind. Trid.), Guicciardini, (Storia d'Italia, Decret. 4 Feb. 1627), Petrus Giannone (Storia civile del Regno di Napoli, Decr. 1 Iul. 1723), Carolus Botta (Storia d'Italia continuata da quella del Guicciardini sino al 1789, Decret. 5 Augusti 1833), Petrus Colletta (Storia del Reame di Napoli dal 1734 al 1825, Decret. 7 Iulii 1835); aliique, quorum vetita est lectio.

At prohibitum generice est pravorum auctorum libros et scripta legere, quocumque demum loco reperiantur. Qua de causa hae collectiones prohibitae in universum considerari possent.

Attamen in eiusmodi collectionibus prudentem esse adhibendam distinctionem censemus, neque eodem esse omnes criterio iudicandas.

Collectio Patrum scriptorumque ecclesiasticorum a Migné edita haereticorum scripta vel idcirco continet, quia Patres ea confutarunt, atque aliquando inter ipsas Patrum lucubrationes habentur inserta; ex. gr. Celsi Philosophi placita in libris Origenis contra Celsum (P. G. XI.)- Iuliani Imperatoris Apostatae in decem libris a S. Cyrillo Alexandrino contra Iulianum conscriptis (P. G. LXXVI); vel quia quamvis perniciosa, plurima tamen continent ecclesiasticae traditionis documenta. In colle-

(1) P, L. VI-VII Censura Lactantii est: « Opuscula Lactantii (al. Firmiani) « apocrypna », Ibid. Huius Scriptoris plures sunt errores, quos notat Natalis ab Alexandro in H. E. saec. IV.

(2) P. L. Tom, CLXXVIII.

ctione vero Conciliorum a cl. Dominico Mansi Lucensi Archiepiscopo plurimum aucta, haereticorum epistolae, aliaque scripta lecta et inserta reperiuntur in ipsis Conciliorum Sessionibus et actis, et constituunt partem actorum essentialem, ex quibus deinceps Patrum sententiae atque iudicia prodiere. In ipsis insuper voluminibus habentur sive confutationes optimae, sive Episcoporum sententiae, quibus prava scripta sugillantur. Qua de causa eiusmodi scripta in hisce duabus collectionibus inserta illam non inducunt animarum perniciem, quam Ecclesia in vetandis noxiae lectionis libris cavere vult; imo valde sunt utilia ad veritatem tum historicam, tum dogmaticam detegendam atque intelligendam.

Huic argumento accedit, in collectionibus praesertim Conciliorum non referri integra haereticorum opera, sed epistolas, aut testimonia ex libris excerpta, quae librorum rationem non induunt, quaeque deinceps auferri non possunt, quin authentica Conciliorum acta corrumpantur, aut eorum sensus obscurus reddatur. Nequeunt hinc dici libri, aut sub librorum nomine epistolas et excerpta illa comprehendi, quae nova Leonis XIII lege concludantur.

Accedit etiam, Patrum Scriptorumque opera, et acta Conciliorum quae in citatis collectionibus reperiuntur, semper in usu fuisse penes catholicos, viros praesertim Ecclesiae, quin de violata prohibitionis lege conclamatum aliquando fuerit vel a Romanis Pontificibus, vel a ceteris catholici orbis Episcopis. Praestantissimi hinc auctores alienum ab Ecclesiae mente esse non putarunt libros Tertulliani, Origenis, Eusebii legere. Cardinales de Lugo et de Petra id disertis verbis affirmarunt; et ille quidem *De Virtute Fidei Disp. 21, Sect. II, n. 29* scripsit: « In universum ea opera permitti, tum quia iam errores noti « sunt, et nemo de illis curat, tum quia necesse est, quod ma- « neat notitia eorum errorum, quales fuerint, ut constet cur fue- « rint damnati, et quia multa alia ad mores antiquae Ecclesiae « spectantia, et vera dogmata in eis continentur, quae aliunde « constare nobis non possunt. Quae ratio non procedit in scri- « ptis novorum haereticorum, in quibus licet aliqua etiam utilia « reperiantur, eadem tamen melius et tutius apud catholicos «scriptores legen tur, et cum eorum haereses abolitae nondum « sint periculum maius est, ne horum librorum lectione pro- « pagentur ». Alius autem: « Tertulliani et Origenis opera etsi

« aliquas haereses contineant, tamen quia egregia continent « bona, eorum lectio passim permittitur. Ita etiam Eusebii Cae- « sariensis, Novatiani et aliorum opera propter aliquod boni ab « antiquis Patribus retenta fuerunt et pluries perlecta ». *Comment, ad Constit. Apost. 1. pag. 134.* Qua de causa his collectionibus aptare plus minus possumus verba quae de divinis Lactantii Institutionibus protulit S. Ieronymus in Ep. 84 ad Pammachium et Oceanum: « Lactantius in libris suis et ma- « xime in epistolis ad Demetrianum, Spiritus sancti omnino « negat substantiam, et errore iudaico, dicit eum vel ad Patrem « referri, vel ad Filium, et sanctificationem utriusque personae « sub eius nomine demonstrari. Quis mihi interdicere potest, « ne legam Institutionum eius libros, quibus contra gentes scri- « psit fortissime, quia superior sententia detestanda est? » P. L. Tom. XXII. 748. Putandum, scilicet, est pro hisce collectionibus eamdem etiam nunc tolerantiam vigere.

Relate autem ad alias profanorum scriptorum collectiones, cum in iis integra auctorum vetita opera referantur, quin aut correctionibus, aut confutationibus aliquibus munita fuerint, existimandum est integram collectionem prohibitam manere, cum veluti quid unum consideretur. Si tamen opera separatim vendantur, cum hoc in casu ratio collectionis cesset, libri quidem qui proscripti erant, proscripti manent, non autem reliqui in quibus nihil reprehensione dignum occurrit.

Attamen indicta prohibitione illi excipiuntur libri qui *per haec generalia decreta permittuntur ;* scilicet Romanus Pontifex criterium exhibet ad illos dignoscendos; nam dicit esse illos, qui *per haec decreta generalia permittuntur.*

Advertendum est igitur, in generalibus Novi Iuris decretis permitti acatholicorum libros de religione tractantes, si constet, nihil in eis contra fidem catholicam contineri (§ 30); tum illos qui quamvis de religione ex professo non tractent, obiter tamen fidei veritates attingunt, sensu certe non catholico (§ 4); tum alios, ut instituta ius vetus inter et novum comparatione patescit. Qua de causa libri omnes ante annum 1600 sive per Concilia oecumenica, sive per Romanae Sedis Antistites proscripti, qui cadunt sub praedictis paragraphis, de cetero prohibiti non sunt habendi. Hinc, ut aliquod exemplum afferamus, Historia Ecclesiastica Eusebii Caesariensis, atque aliorum libri, in quibus

i

obiter tantum fidei dogmata tanguntur, etiam hac de causa in Novo Iure prohibitione eximuntur.

Quantum vero ad libros attinet qui post annum 1600 in Indicem relati fuerunt, si in Novo Indice praetermittantur, proscriptione exempti sunt iudicandi, sin minus enim praetermissi non fuissent.

Exinde etiam apparet quid respondendum sit sequenti dubio, quod nobis dirimendum propositum fuit.

Libri qui in antiquis Indicis regulis prohibitione multantur, nisi cadant sub novarum regularum praescripto, permissi, nec ne, censendi sunt?

R. Permissi censendi sunt. Quandoquidem Leo XIII vetus ius ex integro abrogavit, unasque regulas a se conditas vim habere voluit. Libri ergo qui sub prohibitione antiquarum regularum comprehendebantur, nulla de cetero prohibitione tanguntur ; non antiqua, quia leges universae abrogatae fuere, non nova, quia ex hypothesi inducta, sub praescripto novi iuris non cadunt.

40. Haec secunda paragraphus evidentem dicit relationem ad Caput II (1. clas.) Constitutionis *Apostolicae Sedis moderationi: omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes ; nec non libros cuiusvis auctoris per apostolicas literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.*

In nonnullis tamen differunt; etenim in Const. *Apostolicae Sedis* desunt Schismaticorum libri, et libri eorum qui religionis fundamenta utcumque evertunt; in novo iure desunt libri per apostolicas literas nominatim prohibiti. Attamen in re nulla est differentia; cum in novo iure quorumlibet libri damnentur qui schisma vel haeresim propugnant, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertunt; quibus ratio et causa innuitur, qua damnati sint habendi.

Porro *Apostatae* sunt illi qui a fide christiana recesserunt, eamque totaliter abiecerunt; definitur enim Apostasia: *totalis defectio, seu recessus a fide christiana per Baptismum suscepta.*

E contra haeresis cum sit *error pertinax intellectus contra aliquod fidei dogma in eo qui fidem suscepit,* haeretici erunt *illi qui aliquem fidei articulum pertinaciter negant:* qua de causa eorum a fide recessio partialis est, non totalis.

Schisma *est voluntaria separatio ab unitate Ecclesiae;* consequenter schismatici proprie dicuntur *illi qui sponte et ex intentione se ab unitate Ecclesiae separarunt.* Quoniam vero unitas in Ecclesia sine debita ad Romanum Pontificem subiectione concipi nequit, schismatici sunt illi similiter qui subesse Romano Pontifici recusant. Quare S. Thomas: « *Ecclesiae* unitas in duo-« bus attenditur, scilicet in connexione membrorum Ecclesiae « ad invicem seu communicatione, et iterum in ordine omnium « membrorum Ecclesiae ad unum Caput; et ideo schismatici « dicuntur qui subesse recusant Summo Pontifici, et qui mem-« bris ei subiectis communicare recusant » (2-2. Q. 39. art. 1).

Nedum autem horum, sed etiam quorumcumque scriptorum, ex. gr. catholicorum, incredulorum, libri proscribuntur, si vel haeresim aut schisma propugnent, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertant. Ergo nisi eiusmodi scelere foedati deprehendantur, nulla proscriptione tenentur; quod de cetero constat etiam ex paragrapho sequenti.

Propugnare haeresim, et idipsum de schismate dicatur, est rationibus et argumentis utcumque petitis illam defendere atque constabilire. «Propugnat haeresim liber, inquit S. Alphonsus, « qui accitis rationibus haeresim stabilire et pro viribus defen-« dere intendit. E contra non propugnat haeresim liber, in quo « obiter et paucis verbis ac quasi aliud agendo haeresis aliqua « proponitur. Attamen ut liber haeresim propugnare dicatur, « opus non est, ut materia libri per se sit religiosa, sed sufficit, «ut ad evincendam haeresim aliquam dirigatur, quam data « opera et ex instituto probare et defendere conetur ». VII, 287.

Quod de cetero constat etiam ex decreto lato a S. C. Indicis die 27 Aprilis 1880. Cum enim a Rmo Ministro generali Patrum Passionistarum quaesitum fuisset, inter alia:

II. *An legentes sive libros proprie dictos, cuiusvis auctoris, sive ephemerides continentes haeresim, incidant in censuram Indicis a s. m. Pii Papae IX... renovatam et confirmatam.*

Sacra Indicis Congregatio huic secundo dubio respondit *Negative* (Acta S. Sedis XX, 368).

Si igitur libri non propugnent, sed tantummodo haereticam aliquam aut schismaticam propositionem contineant, nec prohibiti censentur, nec consequenter censuram inferre.

At nedum hi, sed etiam (et quidem multo magis) libri ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes proscriptione mul-

ctantur. Hi autem sunt libri ab incredulis praesertim conscripti; iis scilicet, qui vel existentiam, vel Christi divinitatem, aut ipsa motiva credibilitatis fidei negant; divinas scripturas aut non divinitus inspiratas, aut suppositias, aut mendaces traducunt. Atque tales sunt: Ernest Renan. *Vie de Jésus;* eiusdem *Les Apotres;* Dupuis, *Origine de tous les eultes* etc.; atque in genere Rationalistarum et Positivistarum omnium libri ; cum enim hi supernaturalia negent, atque id tantum admittendum esse defendant quod sub experientia cadit, necessario ad evertenda revelatae cuiuslibet religionis fundamenta ducuntur; atque idipsum de Deistis et Naturalistis dicatur.

Atque horum libros proscriptos esse decernit legislator quia religionis fundamenta *utcumque* evertunt; argumentis scilicet ex quocumque fonte corrogatis, historia, ex. gr. sive civili sive religiosa, ex philosophia, aut naturalibus scientiis, physica, astronomia, geologia, , vel ex aliis ex corrupto ingenio petitis argumentis; demum in derisum et ridiculum ipsa religionis dogmata vertendo; quod est maximum Woltairii argumentum; derisio enim argumenti quaedam species est, quo sacra impetuntur, demonstranturque non reverentia atque honore plurimo, sed risu digna.

Sed num ne illud *utcumque* eos etiam designat qui impiis imaginibus religionis fundamenta evertere conentur? Equidem hoc in loco non arbitramur, cum de libris agatur. De imaginibus insuper duplex hypothesis fingitur. Aut in unum volumen colligantur; et hac in hypothesi collectio erit impiarum imaginum, non liber; aut textui sparsa inseruntur; et cum constet idcirco ab auctoribus inseri, ut sub oculis et in conspectu ponant id de quo in textu agitur, unum erit idemque crimen, quod duplici eaque maxima excommunicationis poena speciali modo Romano Pontifici reservata, de qua in § 47, plecti neque debet neque potest.

41. Acatholici ii dicuntur et sunt, qui aut fidem catholicam non profitentur, aut extra catholicam versantur Ecclesiam ; haeretici hinc et schismatici universi sub vocabulo comprehenduntur, non tamen increduli, et apostatae proprie dicti, cum hi nullam fidem supernaturalem admittant, et nulli Ecclesiae quae Christi fidem profiteatur, adhaereant. Acatholicus autem stricto sensu est qui ad Ecclesiam catholicam non pertinet, neque vi sua innuit pertinere non debere neque ad Ecclesiam christia-

nam. Id autem patet ex ipsa paragrapho; etenim in ea permittuntur acatholicorum libri qui ex professo de religione tractant, dummodo constet in eis nihil contra fidem catholicam contineri; id autem impossibile est ab incredulo aut apostata expectare. Hi, ut ludiere dicam, quid transcendentale constituunt, quod ad nullum genus, vel speciem cognitam pertinet; et arbitramur nec ipsos scire quid sint, aut quid velint, aut quo tendant; impossibile est enim homini nihil credere. Igitur tum ex obvia et naturali vocabuli acceptione, tum ex Legislatoris mente patet, acatholicorum vocabulum extendi ad eos non debere, qui non pertinent ad Christianam aliquam Ecclesiam, sed ad eos tantum qui ad Ecclesiam catholicam non pertinent; consequenter incrédulos, apostatas proprie dictos atque paganos, sub eiusmodi censu non venire, cum hi ad nullam Christi Ecclesiam pertineant, et acatholici non sint.

In antiquo iure libri omnes ex professo de religione tractantes, haeresim aut falsa dogmata, nec ne, continerent, dummodo essent ab haereticis conscripti, absolute damnati manebant vi secundae Regulae Tridentinae qua statuebatur : *Aliorum autem haereticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur ;* quo loco nihil innuitur, an libri hi haeresim, nec ne, contineant.

Porro *ex professo* de religione tractare est *enucleate de illa disserere, argumentis rationibusque communire ; et ab obiectis etiam, ut par est, vindicare.* Ita catholici, ita haeretici rem suam ex professo tuentur. Ergo si libri acatholicorum de religione ex professo tractantes, haeresim, falsa dogmata, aliosque errores ab Ecclesia proscriptos contineant, proscripti sunt habendi; si vero nihil habeant ab Ecclesiae definitis dogmatibus difforme, permittuntur. Concidit ergo et ruit antiqua prohibitio in odium auctoris, vel in suspicionem falsi dogmatis adscita.

Attamen ut hi libri impune legi possint, constare debet in illis contra fidem catholicam nihil contineri. Duo igitur scienda sunt praecedenter; et librum ab acatholico scriptum fuisse, et immunem illum esse a quolibet contra fidem catholicam errore. Ergo ut legi queat, saltem ex auditu hominum prudentum, atque ob perspectam probitatem, scientiamque fide dignorum, certior esse lector debet de eiusmodi ab quolibet errore immunitate.

Quid autem si, accepta de eiusmodi ab erroribus immuni-

tate notitia, decursu lectionis, proscriptas sententias atque haereticas in libro reperiat?

Et quidem nulla poena tenetur, cum bona fide egerit, atque ad legis praescriptum. Attamen, lectionem dimittere debet, cum si eam prosequatur, contra legem agat; et poenis consequenter percellatur aut latae a R. Pontifice aut ferendae ab Episcopis sententiae iuxta modum quo errores vel propugnati, vel obiter positi reperiuntur.

Quibusdam tamen haec sententia a veritate difformis videbitur. Etenim in paragrapho sequenti dicitur, quod si. libri eorumdem auctorum obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habentur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint, errores autem qui a lectore bonae fidei, de quo supra, reperti sunt decurrente lectione, obiter certe fidei veritates attingere dicendi sunt: sin minus viri prudentes atque fide digni illos anima avertissent. Ergo ante Ecclesiae iudicium prohibiti non sunt habendi; consequenter illos legentes, quamvis post detectum errorem legem Ecclesiae transgrediantur, tamen nulla poena tenentur, latae saltem sententiae, si eiusmodi poenam admissa culpa secumferat.

Sed animadvertendum est, casum plane esse diversum; etenim paragrapho tertia agitur de acatholicorum libris ex professo de religione tractantibus; paragrapho quarta autem de libris eorumdem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt. Sed in veteri iure libri de religione ex professo tractantes ab acatholicis conscripti, prohibiti simpliciter erant, errores fidei repugnantes, nec ne, continerent: hanc autem prohibitionem a novo Legislatore firmam conservatam fuisse, atque eo tantum in casu limitatam, si nihil contra fidem catholicam acatholicorum libri contineant; cum autem in suscepta hypothesi errores contra fidem in illis habeantur, ob explicitam Legislatoris voluntatem prohibiti et in novo iure manent.

E contra mitior erat etiam in veteri iure sententia pro libris ab acatholicis conscriptis, qui vel ex professo de religione non tractabant, ¡vel nullimodis tractabant; quandoquidem ex Regula II. Tridentina a catholicis theologis examinati et approbati permittebantur: quin imo permittebantur etiam versiones scriptorum ecclesiasticorum ab haereticis confectae, dummodo in eis nihil contra fidem catholicam haberetur.

Qui vero de religione non tractant, a theologis catholicis iussu Episcoporum et Inquisitorum examinati et approbati, permittuntur. Reg. II. *Versiones scriptorum etiam ecclesiasticortim, quae hactenus editae suat a damnatis auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam contineant permittuntur.* Reg. III.

Eamdem ergo humanitatem legislator noster censuit adhibendam, atque expressisse quod voluit censendus est.

His haud inutiliter adiungi posset in libro acatholici ex professo de religione tractante, difficillimum esse, ne dicam impossibile, ut errores contra fidem obiter ponantur, et veluti aliud agendo ; sunt enim aut principia, aut corollaria, quae ad theses propugnatas relationem habent, easque aut subvertunt, aut demonstrant; si quis ex gr. acatholicus de Romani Pontificis infallibilitate locuturus, argumenta omnia a catholicis allata scriptoribus congereret, connecteretque, in fine vero affirmaret ea vel nullimode vel parum esse demonstrad va, atque de Romani Pontificis infallibilitate non constare, (atque idipsum de quocumque alio Ecclesiae dogmate dicatur), universi intelligunt, propositiones eiusmodi dogma catholicum subvertere, neque ut obiter positas esse considerandas.

E contra libri de quibus agitur in § 4, cum ex professo de religione non tractent, optime concipi, in eis possunt propositiones obiter ab auctoribus scriptae, quae cum contextu relationem saltem strictam non habeant, quaeque damnum illud legentibus non inferant, quod timendum est ex libris ex professo de religione tractantibus, in quibus difficillime error veluti a contextu divulsus considerari potest.

Retorta hinc ratio corruit, cum casus de quo agitur in utraque paragrapho sit omnino diversus, et eiusdem substantiae libros non afficiat.

42. Prima quaestio quae sese offert, enucleanda est: quinam sint illi *iidem auctores* quorum libri ex professo de religione non tractant. Etenim in superioribus paragraphis recensentur apostatae, haeretici, schismatici, acatholici; dictum est autem, acatholicorum nomine non venire apostatas, incredudos, Iudaeos, paganos.

Itaque indubitanter tenendum est, vocabulis *eorumdem auctorum* unos acatholicos designari; cum enim citata verba sint relativa, ad proximum antecedens sunt profecto referenda; antecedens autem proximum sunt acatholici; ergo etiam in hac

quarta paragrapho excludendi sunt increduli, apostatae, pagani, Iudaei, et uni acatholici stricto sensu comprehendendi.

Post haec: ut hi libri iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, haud debent de religione ex professo tractare, sed veritates fidei attingere, id est illas aut impetere, aut in dubium revocare, aut etiam denegare, *obiter* tamen et incidenter, non ex instituto, aut enucleate; bono enim sensu verba illa sumi nequeunt, cum sin minus his in libris nihil censura dignum reperiretur, neque intelligeretur, curnam expectandum esset Ecclesiae iudicium; immo quare prohiberi possent non intelligeretur, cum praesertim ex paragrapho tertia libri acatholicorum ex professo de religione tractantes, prohibiti non sint, dummodo in eis nihil contra fidem catholicam scriptum reperiatur; a fortiori igitur non essent libri prohibendi de quibus in hac quarta agitur paragrapho, cum de religione ex professo non tractent, atque in suscepta hypothesi citata verba bono essent sensu sumenda.

Iure igitur ecclesiastico hi libri prohibiti non sunt habendi. Sed quodnam est eiusmodi ius ecclesiasticum ? Non aliud profecto quam novum ius a Leone XIII sancitum promulgatumve. Cum enim ipse circa vetitae lectionis libros ius antiquum, omnesque eius partes, una excepta Benedicti XIV Constitutione *Sollicita,* omnino abrogaverit, nullum profecto ius superest, quo libri illi prohibiti interea haberi nequeant, nisi novum.

Quaeri tamen potest; an Romanus Pontifex existimaverit, libros hos haberi posse prohibitos iure naturali aut divino, quamvis iuris ecclesiastici prohibitione non afficiantur? Atque ni fallimur, id prorsus censendum esse videtur. Etenim Legislator unum excludit ius ecclesiasticum; ergo alio aliquo iure prohibiti censeri poterunt; exclusis autem iuribus naturali et divino, non intelligitur quanam de causa Legislator limitationem illam adhibuerit, cum nullo alio iure prohibiti manerent; idque praesertim cum postea subdiderit iure etiam ecclesiastico prohiberi posse.

Sed erunt qui obiiciant: Quid! Num Romanus Pontifex libros permittere supponendus est, qui iure aut naturali aut divino prohibiti censentur?

Quibus respondendum est, eiusmodi novi iuris dispositionem non aequipollere permissioni, quae confunditur cum facultate noxios libros legendi, sed esse spectandam veluti tole-

rantiarn quamdam, quam Ecclesia etiam in aliis gravioribus capitibus adhibet; idque patet ex quo legislator interea fideles moneat, ut considerent ne alio iure libri illi prohibeantur, atque timorem incutiat ne etiam speciali Ecclesiae decreto sint prohibendi.

Ex concessa itaque tolerantia fideles singuli libros illos legere poterunt ad futuram usque aut S. Congregationis Indicis, aut S. Officii sententiam; in posterum Ecclesiae praescripto fideliter obedituri.

Id autem Ecclesiae aut Romano Pontifici crimini vertendum non est. Etenim cum libri ex professo de religione non tractent, atque errores obiter in illis et veluti incidenter positi reperiantur, non ea sunt mala timenda, quae ex erroribus timenda sunt concepta animi malitia conscriptis; possunt etiam scriptorum ignorantiae tribui; atque cum qualibet demonstratione destituantur, facillime contemnuntur, cum quod gratis asseritur, gratis negetur. Romanus Pontifex interea plurimorum conscientiae consulit, qui libros illos sine opportuna facultate lecturi fuissent; ulterius ferendam sententiam maturo iudicio decernit, et considerat: an ex prohibitione bona, vel maiora mala sequantur, et an possibile sit, ob ingruentes temporum circumstantias, libros illos e fidelium manibus eripere; melius enim esse Ecclesia iudicat malum aliquod tolerare, quam aut ad certam perniciem, per inconsultam sententiam, fidelium animas adducere, aut illas plurimo privare bono. Idcirco eam videmus scriptorum antiquorum lectionem tolérasse et adhuc tolerare, quamvis errores fidei repugnantes contineant, ea etiam de causa quia ex eorum lectione fideles plurima quoque bona consequuntur. Legislator demum diserte in prologo affirmat, se velle plurimorum conscientiae mederi, novasque regulas ita temperare, ut nemini grave arduumque esse possit illas observare ; atque in eiusmodi agendi ratione se imitatum fuisse maternum Ecclesiae studium et decessorum exempla. Constat autem in ipsa Ecclesia plurima tolerari et toleranda necessario esse ad graviora' mala vitanda, quae naturali et divino iuri adversantur; atque exemplo sint tolerantia religiosa, libertas typographica, etc. Ita ut eiusmodi difficultas ad alia plurima extendi deberet.

43. Per textus originales nemo intelligat scriptorum autographo, sed linguam illam, qua libri sacri primum ab agio-

graphis conscripti sunt, per apographa autem ad nostram aetatem transmissi. Porro relate ad Vetus Testamentum textus originalis est haebraicus, graecus relate ad Novum. Exploratum est enim veteris Testamenti libros uteris haebraicis fuisse conscriptos, exceptis libro *Sapientiae* et secundo Machabaeorum libro, qui graeco sermone exarati fuerunt, atque nonnullis quorumdam librorum capitibus exceptis; Libros vero novi Testamenti graeco sermone conscriptos fuisse, Matthaei Evangelio excepto.

Versiones vero antiquae sacrorum Bibliorum, ut in ipsa paragrapho innuitur, aliae ad Ecclesiam occidentalem, aliae ad Ecclesiam orientalem pertinent. Et quidem primae latino eloquio exaratae fuerunt; atque sunt *Antiqua Itala,* quae ex Septuaginta Interpretibus confecta fuit, atque *Vulgata,* quae S. Hieronymo merito tribuitur, cum ipse fere omnes antiqui Testamenti libros in latinum idioma converterit, Psalterium emendaverit, novum Testamentum universum, quod antea graecae fidei reddiderat, in latinum transtulerit.

Pro Ecclesia vero orientali versio praecipua Alexandrina est, quae vulgo Septuaginta Interpretum dicitur, quae etiam in usu Ecclesiae Latinae fuit usque ad saeculum VI. Hanc excipiunt versiones graecae Aquilae, Theodotionis, Simmachi, illae quae sub nomine veniunt *Quintae, Sextae et Septimae Editionis,* eo quod illarum auctores lateant, et ob ordinem quem occupant in Hexaplis; Origenianae, Samaritana, Chaldaica, Syriaca, Araba, Aethyopica, Persica, Aegyptiaca seu Copta, Armena, Gothica, cuius tantum fragmenta non pauca supersunt, et Slavonica medio saeculo IX a Sanctis Cyrillo et Methodio confecta.

Horum autem textuum originalium atque antiquarum versionum Editiones, quamvis fideliter et integre confectae appareant, tamen si ab acatholicis quibuslibet publicentur, prohibitae manent, atque illis tantummodo conceduntur qui studiis theologicis aut biblicis dant operam. Hi vero non illi tantummodo censendi sunt, qui in Universitatibus, Collegiis, Seminariis S. Theologiae aut Divinarum Scripturarum cursum scholasticum conficiunt, sed omnes illi qui hisce studiis scientiisque animum applicant, sive ecclesiastici sint, sive saeculares; etenim verba generalia sunt, et neminem ex iis qui hisce scientiis dant operam, excipiunt.

Advertendum tamen est, eos quibus horum textuum atque

Versionum lectio permittitur, speciali ratione studiis theologicis- et biblicis operam navare debere; atque hoc sensu alios excludendos; sin minus nullus fortasse Sacerdos sive e saeculari, sive e regulari Clero excipi posset, cum hi aliquando SS. Bibliorum, atque Sacrae Theologiae volumina versent; quin tamen hisce studiis proprie dent operam.

Attamen Legislatoris aperta mens est, horum librorum lectionem etiam illis qui praedictis scientiis dant animum esse interdictam, si in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata impugnentur. Ex dictis autem patet, horum voluminum editiones, quamvis a quolibet immunes errore, esse simpliciter proscriptas ; atque unis permitti scientiis theologicis et biblicis dantibus operam; et neque his, si in prolegomenis et adnotationibus dogmata fidei catholicae impugnentur.

44. Quamvis Vulgata Latina Editio iam a saeculo VI in Latina Ecclesia invaluerit, atque in publicum usum liturgicum fuerit adscita, tamen cum mendis non careret, viri docti catholici et heterodoxi versionem ex primigeniis linguis, quibus libri sacri conscripti fuerant, adornare tentarunt;

Verum confectae a catholicis sive latino idiomate, sive alia lingua non vulgari sacrorum Bibliorum editiones sub eiusmodi paragrapho non comprehenduntur, sed illae tantummodo, quae ab acatholicis editae fuerunt. Praecipuas hinc latinas versiones ab his confectas enumerabimus. Praetermissis versionibus Erasmi et Theodori Beza; anno 1534 prodiit Versio Munsteri; anno 1535 versio ab Oecolampadio confecta; tertia est Leonis Iudae, quae dicitur versio Tigurina, quia Tiguri anno 1543 edita fuit; quarta est Versio Sebastiani Castalionis, quae Basileae typis excussa fuit anno 1551; quinta est versio Iunii et Tremelii, quae prodiit Genevae anno 1590; sexta est versio Genevensis. Alii protestantes autem versiones alias tum Veteris tum novi Testamenti linguis non vulgaribus adornarunt atque ediderunt.

Itaque quamvis hae versiones fideliter et integre editae fuerint, tamen nonnisi iis qui studiis theologicis aut biblicis dant operam, permittuntur, dummodo neque in prolegomenis, neque in adnotationibus catholicae fidei dogmata impugnentur. Ceteris ergo quibuscumque sunt interdictae.

Quaestio tamen, quae naturaliter exsurgit, dirimenda est. Quid! si versiones aliquae sive latina, sive lingua non vulgari editae primum fuerint ab acatholicis, postea tamen a viris ea-

indicis iterum edantur ? Hae novae editiones prohibitionis nec ne, huiusmodi paragraphi subiacent?

Non subiacere videntur; cum lex sit de versionibus ab acatholicis editis; neque refert quod primum ab his editae fuerint; etenim per novam editionem catholicorum nomine factam, et editionis titulus immutatur, et quaevis demitur suspicio, cum supponendi non sint catholici versiones edidisse, in quibus quomodocumque catholicae fidei dogmata impugnentur, aut sacer textus depravetur. Demum prohibentur editiones huius modi, ob unam causam quod ab acatholicis editae fuerint, non quod intrinsece depravatae fuerint et sint; possunt igitur iterum a catholicis simpliciter edi, etiam ut ab omnibus tuto legi queant.

E contra si versiones huiusmodi a viris plane catholicis primum editae, a societate aliqua Protestantica, quamvis fideliter et integre, iterum edantur, paragraphi dispositioni subiacent, cum lex non distinguat inter versiones ab catholicis, vel acatholicis confectas, aut primum editas, sed unam conditionem interdicto apponat; si, scilicet, ab acatholicis edantur; quod in proposito casu plane verificatur.

45. Eiusmodi paragrapho renovata fuit tum aliorum decretorum , tum Regulae IV Tridentinae dispositio, quamvis non levi discrimine. In hac enim uni Episcopi et Inquisitores, de Parochi aut Confessarii consilio, poterant facultatem sacra Biblia vernacula lingua iis tantum concedere, quos intelligebat ex eiusmodi lectione non damna, sed fidei et pietatis augmentum relaturos; neque de approbatione Pontificis, aut de adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris, eiusmodi vulgaribus editionibus inserendis, sermo erat.

Verum eiusmodi facultas a Pio Papa IV Episcopis, Inquisitoribus, et etiam Regularium ordinum superioribus, qui illam sibi arrogaverant, sublata fuit, ut patet ex Observationibus Clementis VIII ad Regulas IV et IX (Index XIX). Conditio autem de Biblicis Vulgaribus cum praescriptis adnotationibus etc. eden, dis apposita fuit a S. C Indicis decreto diei 13 Iunii 1757 (Ibid.).

Legislator noster quibuslibet periculis, quae ex Bibliis eiusmodi dimanant, occursurus, Versiones omnes in lingua vernacula vetuit, *dummodo non fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex' do-*

ctis catholicisque Scriptoribus. Ex quo patet, vetus ius ex ea parte abrogasse, qua quibuslibet permittebatur eiusmodi Biblia vernacula edere, dummodo praescriptis adnotationibus communita essent, quin Editores de Episcopi vigilantia solliciti esse deberent; quod in novo Iure non licet.

Ex citatis tamen verbis quaestio oritur : an conditio apposita de non edendis Bibliis Vulgaribus sine adnotationibus desumptis etc. unas afficiat editiones factas sub vigilantia Episcoporum, aut etiam versiones illas comprehendat, quae approbatae fuerunt a Romano Pontifice?

Omnibus consideratis, conditionem appositam unas versiones sub vigilantia Episcoporum editas comprehendere, satis patere videtur. Manifestum est enim Legislatorem nostrum iisdem fere verbis rénovasse quae praescripta fuerant in Regula IV Tridentina, in citato Decreto S. C. Indicis 1757, in monito eiusdem S. Congregationis lato die VII Ianuarii 1836. At in antiquo iure conditio de apponendis opportunis adnotationibus unas afficiebat Versiones Vulgares non approbatas a Romano Pontifice, ut patet tum ex cit. decreto anni 1757: *Quod si huiusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab apostolica Sede approbatae, aut editae cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris, conceduntur;* ubi particula, *aut* plane distinguit versiones approbatas a R. Pontifice ab aliis sine eiusmodi approbatione editis; tum ex Monito eiusdem S. Congregationis, in quo legitur: *Vernaculas Bibliorum versiones non esse permittendus, nisi quae fuerint ab Apostolica Sede approbatae aut editae cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris.* Cum igitur novus Legislator legem eamdem sine ullo discrimine renovaverit, certum esse debet, conditionem de adnotationibus apponendis unas afficere versiones edendas sub Episcoporum vigilantia, non alias a Romano Pontifice approbatas.

Neque quis opponat, rationem prohibendi Biblia vulgari idiomate edita fuisse et esse, quia experimento compertum est, quod si passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri; ad quod periculum •eliminandum adnotationes opportunae praescribuntur; certum esse autem, eiusmodi periculum integrum manere etiam pro-Bibliis vulgaribus ab Apostolica Sede approbatis, si absque op-

portunis adnotationibus publicentur; nullum hinc apparere argumentum, quo ab eiusmodi conditione Versiones vulgares Bibliorum a Pontifice confirmatae sint excludendae; et ridiculum est exceptionem sine gravi fundamento inducere.

Nemo, inquam, haec opponat; etenim ratio adducta confunditur cum fine quem sibi praestituit Legislator; finis autem legis non cadit sub lege; atque de cetero versio a Romano Pontifice approbata talibus potest esse numeris absoluta, ut eiusmodi pericula depellat, tum ob fidelitatem, tum ob claritatem; non enim supponendum est Pontifex quaslibet versiones approbare, sed praestantissimas.

Ulterius, si conditio illa de opportunis adnotationibus apponendis, etiam versiones a Romano Pontifice approbatas afficeret, 1. haec approbatio nihil approbatis versionibus conferret; 2. non intelligeretur quanam de causa expressae a Legislatore fuerint, cum eodem censu essent habendae ac versiones quaelibet editae sub vigilantia Episcoporum cum praescriptis adnotationibus; atque satis fuisset dicere: *non permittuntur versiones oernaeulae SS. Bibliorum nisi editae sint cum adnotationibus* etc.

Coniunctio insuper *aut* varia orationis membra plane distinguit, atque res plane diversas innuit: *hoc* aut *illud:* ita ut conditio postremo loco apposita postremum solummodo membrum afficere dicenda sit, nisi expressis verbis aliud caveatur.

Ut ex lectione paragraphi patet, novus Legislator Episcoporum conscientiam onerat circa eiusmodi versiones et adnotationes; in quo iuri antiquo aliquantulum derogat, cum in eo cuilibet licitum esset Sacra Biblia vulgari lingua edere, dummodo opportunis adnotationibus essent communita, de Episcoporum cura nulla adiecta mentione; in novo autem iure edenda sunt sub vigilantia Epscoporum; ita ut iis inconsultis, aut plane nescientibus edi nequeant; etenim *vigilantia* nedum importat *rei notitiam,* sed *curam* ut res agenda rite peragatur, et praescripto legis respondeat. Qua de causa Episcopi vel per seipsos, vel per idoneas personas certi esse debent de versionis fidelitate, de adnotationum idoneitate, veritate, et earum ad loca opportuna appositione; insuper certi esse debent, adnotationes illas desumptas fuisse ex Sanctis Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris.

Quid igitur 1. si plane inconsultis Episcopis, haec Biblia fideliter edantur et etiam idoneis adnotationibus communita?

Profecto eiusmodi editiones proscriptae censendae s ant, nedum ob disposita in praesenti paragrapho, qua praescribitur ut Vulgaria Biblia edantur sub vigilantia Episcoporum: sin minus *omnino prohibentur;* sed etiam ob sancita in paragrapho 48, qua interdicitur Sacrarum Scripturarum libros imprimere sine Ordinarii approbatione.

Quid 2. si adnotationes saltem aliquae, desumptae non fuerint nec e Sanctis Ecclesiae Patribus, nec ex doctis catholicisque viris, sed ex eruditis heterodoxis quibuscumque?

Cui quaestioni haec danda responsio est. Si eiusmodi adnotationes respiciant notiones geographicas, ethnographicas, topographicas, archeologicas, aliasque quae pertinent ad scientias naturales, versiones non videntur prohibitae, dummodo editae fuerint sub vigilantia Episcoporum; etenim non de huius indolis adnotationibus sermo est in lata lege, sed de his quae ad fidem moresque pertinent. Putandus est enim novus Legislator his adnotatoribus illas regulas praescribere, quas Patres Tridentini Sess. IV. Sacrorum librorum interpretibus praescripsere; ne scilicet suae prudentiae innixi interpretari auderent divinas Scripturas in iis quae ad fidem et mores pertinent: «Ad coër« cenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae « innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae « christianae pertinentibus Sacram Scripturam ad suos sensus « contorquens, contra eum sensum quem tenuit et tenet Sancta « Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpre« tatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unani« mem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpre« tari audeat ». Non est autem Leo XIII supponendus eiusmodi Tridentinum decretum etiam ad alia extendere voluisse, quae ad doctrinam fidei et morum non referuntur. De cetero ob nova monumementa in Assyria, Syria, Palaestina, Aegypto, aliisque in locis detecta, plura in Sacris Scripturis declarari nostra possunt aetate, quae antea pene erant inexplicabilia; haec autem monumenta illustrata plerumque ab acatholicis reperiuntur.

Si vero adnotationes adiectae ab acatholicis desumptae, doctrinam fidei et morum respiciant, confectae Bibliorum vulgarium editiones proscriptae habendae sunt, cum Legislator aperte praescribat eas esse ab viris catholicis desumendas.

Inutile non erit postremo loco, circa proscriptionem Sacro-

rum Bibliorum in lingua vernacula, eorum sententias referre, qui Sacras Scripturas docent. Dicunt itaque:

1. Nunquam Ecclesiam lectionem SS. Voluminum absolute prohibuisse. Textus originales, versiones antiquae prae omnium manibus erant tum in Orientali tum in Occidentali Ecclesia.

2. Lectionem etiam Bibliorum Vulgarium numquam absolute interdixisse. Quod ex ipsis Regulae Tridentinae verbis constat : *Si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur.* Ergo prudentia et discrimine adhibito permittuntur.

3. Nonnullas particulares Ecclesias, ob ingruentes circumstantias, eiusmodi proscripsisse lectionem; non tamen pro omnibus, sed pro iis quibus nocumenta fidei inferre intelligebant.

4. De cetero Ecclesiam non teneri divinas Sripturas lingua vulgari legere.

5. Neque eiusmodi lectionem omnibus fidelibus necessariam esse.

6. Quin imo omnibus indiscriminatim non esse concedendam; cum in divinis Scripturis *sint quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles dépravant ad suam ipsorum perditionem.*

7. Competere hinc Ecclesiae pastoribus potestatem lectionem Vulgarium Bibliorum prohibendi; tenentur enim ab ovibus damna et pericula depellere quocumque ex fonte dimanent. Glaire, Ubaldi, Cornely in suis Introductionibus ad Vetus et Novum Testamentum.

46. Absoluta haec prohibitio est pro Bibliis Vulgaribus per acatholicos confectis; atque pro iis praesertim, quae Societates biblicae divulgant.

Protestantes ne in rebus ad fidei morumque doctrinam pertinentibus, ullo duci principio viderentur, Ecclesiae auctoritate posthabita, duplex sibi constituere principium, *subiectivum* in ratione individuali consistens, *obiectivum* in solis Sacris Scripturis; alias, sibi unas divinas Scripturas ratione individuali intellectas explicatasque, veluti principium absolutum praestituere. Hinc logica necessitas Sacrorum Bibliorum legendorum et undique divulgandorum ; hinc constitutae Societates, quarum cura esset Sacra Biblia quibuscumque idiomatibus divulgandi. Praecipuas enumerabimus.

Anno 1698 instituta fuit Societas, cui munus competeret propagandi christianismi.

Anno 1701 originem habuit Societas pro Evangelii apud exteras nationes propagatione.

Anno 1709 Societas Scotica pro divulganda notitia christianae religionis.

Anno 1750 Societas, qua promoveretur progressus cognitionum religiosarum inter pauperes.

Anno 1780 Societas Biblica pro militibus qui in regno Angliae terra marique militiam agerent.

Anno 1785 Societas, cuius erat auxilia praebere atque promovere scholas, quae die Dominico agebantur. *Ex Henrion H. E. Tom XII, pag. 191. Milano IMI.*

Verum hae omnes Societates veluti absortae fuere a magna Societate Biblica Londini instituta die 7 Martii an. 1804, cuius munus praecipuum esset Sacras Scripturas in quaecumque idiomata linguasque convertere et undique diffundere. Ab anno 1804 ad annum 1889 aut integra Biblia, aut per partes transtulerat in biscenta septuaginta quinque idiomata, atque exemplaria confecta assurgunt ad centum vigintiquatuor decies centena millia 124,000,000.

Romani Pontifices pluries eiusmodi Biblicas Societates confectasque ab iis Bibliorum vulgares versiones condemnaverunt. Opportuna documenta Moderatores Periodici *Acta S. Sedis* anno 1877 collegerunt et evulgarunt *{a)* ab Innocentio III ad Gregorium XVI; ea quae prorsus ad Societates Biblicas referuntur huic Commentariolo partialiter inserenda existimo.

Itaque Pius Papa VII. Ignatio Archiepiscopo Gnesnensi, qui S. Sedem certiorem reddiderat de conatibus Societatum Biblicarum in rei catholicae detrimentum, consiliumque expetierat quid sibi esset agendum, die 4 Iunii 1816 inter alia respondit: « Interest quippe summopere communis salutis omni spe et « opera conspirare ad ea propulsanda quae in sanctissimae re- « ligionis nostrae perniciem ab eius hostibus parantur ; et pro- « inde episcopalis muneris est nef arii in primis consilii mali- « tiam ab oculos fidelium ponere, illudque, ex Ecclesiae prae- « scriptionibus pro ea qua polies eruditione et sapientia edicere:

(a) **Documenta Romana Societates Biblicas nuncupatas respicientia. Ex Typographia Polyglotta S. C, de Propaganda Fide 1877.**

« Biblia nimirum opera haereticorum impressa vetitis libris «accenseri iuxta Indicis regulas (§ 1 *n. S)-experimento autem » manifestum esse, e Sacris Scripturis quae vulgari lingua » edantur plus detrimenti quam utilitatis oriri ob hominum te- » mentalem* (Reg. IV); idque eo magis pertimescendum esse » in tanta temporum foeditate, quibus omni undique arte et eo- » natu sancta impetitur religio et teterrima in Ecclesia vulnera » infliguntur. Standum igitur est salutari decreto Congregationis- » Indicis (13 Iunii 1757) Bibliorum versiones vulgari lingua non » esse permittendas, nisi quae fuerint ab Apostolica Sede ap- » probatae, aut cum adnotationibus editae desumptis ex Sanctis » Ecclesiae Patribus ».

Graviores vero eodem anno 1816 dedit epistolas ad Stanislaum Archiepiscopum Mohiloviensem, qui quin Societatibus Biblicis adversaretur, eis potius adiumenta suppeditabat. Ita enim eum redarguiti « Magno et acerbo dolore confecti sumus- » ubi accepimus exitiosum consilium haud ita primum susce- » ptum, quo sacratissimi Bibliorum libri novis ac praeter salu- » berrimas Ecclesiae regulas editis interpretationibus, iisque cal- » lide in pravos sensus contorti s vernacula qualibet lingua pas- » sim pervulgantur. Namque ab aliqua iam ex perlatis ad nos » huiusmodi versionibus animadvertimus eam in purioris do- » ctrinae sanctitatem parari perniciem ut facile fideles ex iis » fontibus lethale ebibant venenum ex quibus haurire debuis- » sent aquas sapientiae salutaris. Ast longe etiam gravior Nos » moeror invasit, cum litteras quasdam Fraternitatis tuae no- » mine inscriptas perlegimus quibus populo tuae curae concre- » dito hortator aderas et auctor ut recentiores hasce Bibliorum » versiones sibi compararet, vel oblatas animo reciperet Iubenti, » easque assiduo intentoque studio pervolutaret. Nihil certo No- » bis ad dolorem acerbius accidere poterat, quam te conspicere » lapidem factum offensionis, qui positus eras ut iustitiae se- » mitas coeteris commonstrares ».

« Obversari enim tibi debuisset ante oculos quod constanter » et praedecessores Nostri monuerunt, nimirum, *si sacra Bi- » blia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus » inde detrimenti quam utilitatis oriri.* Porro Romana Ecclesia » solam vulgatam editionem ex notissimo Concilii Tridentini » praescripto suscipiens, aliarum linguarum versiones respuit,, » easque tantum permittit quae cum adnotationibus ex Patrum

» et catholicorum doctorum scriptis opportune depromptis edun-
» tur, ne tantus thesaurus pateat novitatum corruptelis, atque
» ut Ecclesia toto Orbe diffusa sit labii unius et sermonum eo-
» rumdem (Add. ad. Reg. IV Ind.).

« Sane cum in vernáculo sermone creberrimas animadver-
» tamus vicissitudines, varietates commutationesque, profecto
» ex immoderata biblicarum versionum licentia immutabilitas
» illa convelleretur, quae divina decet testimonia, et fides ipsa
» nutaret, cum praesertim ex unius syllabae ratione quandoque
» de dogmatis veritate dignoscatur. In id proinde pravas te-
» terrimasque machinationes suas conferre in more habuerunt
>> haeretici, ut editis vernaculis Bibliis (de quorum tamen mira
» varietate ac discrepantia ipsi se invicem accusant et carpunt)
» suos quisque errores sanction divini eloquii apparatu obvolutos
» per insidias obtruderent. *Non enim natae sunt haereses,* inquie-
» S. Augustinus, *nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non*
» *bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et au-*
» *dacter asseritur.* (Tract. XVIII in Ioan.). Quod si viros pie-
» tate et sapientia spectatissimos in Sripturarum interpretatione
» haud raro defecisse dolemus, quid non timendum, si imperito
» vulgo, qui ut plurimum non delectu aliquo, sed temeritate
» quadam iudicat, translatae in vulgarem quamcumque linguam
» Scripturae libere pervolvendae traderentur? *Ita ne vero?* ap-
» posite clamat S. Augustinus, *nulla imbutus poetica disciplina*
» *Terentium sine magistro attingere non auderes.... Tu vero in*
» *sanctos libros sine duce irruis, et de his sine praeeeptore au-*
» *des ferre sententiam?* (Lib. de Utilit. credendi ad Honorât.
» Cap. 2.).

« Quare in celebri illa sua ad fideles Ecclesiae Metensis epi-
» stola sapienter omnino haec praecipit decessor noster Innocen-
« tius III. *Arcana vero fidei sacramenta non sunt passim omni-*
« *bus exponenda, eum non passim ab omnibus possint intelligi,*
« *sed ab eis tantum qui ea fideli possunt concipere intellectu.*
« *Propter quod simplicioribus,* inquit apostolus, quasi parvulis
•« in Christo lac potum dedi vobis non escam. *Maiorum enim est*
« *solidus cibus, sicut aliis ipse dicebat:* Sapientiam loquimur in-
« ter perfectos; inter vos autem nihil iudicavi me scire, nisi
« Iesum Christum et hunc crucifixum. *Tanta est enim divinae*
« *Scripturae profunditas, ut non solum simplices et illiterati,*
«*sed etiam prudentes et docti non plene sufficiant ad illius in-*

« *telligentiam indagandam. Propter quod dicit Scriptura:* Quia « multi defecerunt scrutantes scrutinio (Ps. LXIII. 6). *Unde re- « cte fuit olim in lege divina statutum, ut bestia quae mon- « tem tetigisset lapidaretur, ne videlicet simplex aliquis et in- « doetus praesumat ad sublimitatem Sacrae Scripturae pertin- « gere, vel aliis praedicare. Scriptum est enim:* Altiora tene « quaesieris. *Propter quod dicit Apostolus:* non plus sapere « quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.

« At notissimae sunt non mox ladudati Innocetii III solum,. « sed et Pii IV, Clementis VIII et Benedicti XIV Constitutiones, « quibus praecavebatur ne si ad liquidum cunctis pateret Seri- « ptura forte vilesceret et pateret despectui, aut prave intellecta « a mediocribus, in errorem induceret.

« Sed quae sit Ecclesiae mens de Scripurae lectione atque « interpretatione noscat luculentissime Fraternitas tua ex prae- « clara alterius praedecessoris Nostri Clementis XI Constitutione « *Unigenitus,* qua illae doctrinae diserte improbantur, quibus « *utile ac necessarium asserebatur omni tempore, omni loco, «et omni personarum generi cognoscere mysteria Sacrae Seri- « pturae, cuius lectio esse pro omnibus adstruebatur, damno- « sumque esse christianum populum ab eadem retrahere, imo « Christi os fidelibus obturari, cum ex ipsorum manibus no- « vum Testamentum abripriatur.* Prop. Quesnelli 79.80. 81. 82. « 83. 84.85.

« Hinc intensissime Fraternitatem tuam hortamur, atque « per viscera D. N. I. C. obsecramus, ut ea omnia quae perperam « circa novas Bibliorum versiones docuisti aut egisti, debita ce- « lerique contendas emendatione reparare ».

Haec sed vero ex Epistola Encyclica Leonis XII quae incipit *Ubi primum,* data die 5 Maii 1824 huic Commentario inserenda putamus.

« Quid plura ? Hostium nostrorum iniquitas eo usque pro- « greditur, ut praeter colluviem perniciosorum librorum reli- « gioni per se infestam, in religionis detrimentum vertere nitan- « tur etiam Sacras Litteras ad religionis ipsius aedificationem « divinitus nobis datas. Non vos latet, Venerabiles Fratres, « Societatem quamdam, dictam vulgo *biblicam,* per totum « orbem audacter vagari, quae spretis Sanctorum Patrum tra- « ditionibus, et contra notissimum *Tridentini Concilii* decretum, « in id collatis viribus ac modis omnibus intendit, ut in vulgares

« linguas nationum omnium sacra vertantur vel potius perver-
« tantur Biblia. Ex quo valde pertimescendum est, ne sicut in
« aliquibus iam notis ita et in caeteris *interpretatione perversa*
« de Evangelio Christi hominis fiat Evangelium, aut quod peius
« est, diaboli (Hyeronym. in Cap. 1. Ep. ad Galat). Ad quam pe-
« stem avertendam Praedecessores nostri plures ediderunt con-
« stitutiones.

« Nos quoque pro apostolico nostro munere hortamur vos,
« VV. FF., ut gregem vestrum a lethiferis hisce pascuis amovere
« omnimode satagatis. Arguite, obsécrate, instate opportune im-
« portune in omni patientia et doctrina ut fideles vestri regulis
« nostrae Indicis Congregationis adamussim inhaerentes sibi per-
« suadeant *si Saera Biblia passim sine discrimine permittantur,*
« plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis
« oriri. Quam veritatem et experientia commonstrat, et praeter
« caeteros patres declaravit S. Augustinus his verbis : *Non*
« enim natae sunt haereses et quaedam dogmata perversitatis
« dlaqueantia animas et in profundum praecipitantia, nisi dum
« Scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non
« bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur (Tract. 18
« in Cap. V).

« En VV. FF. quo haec spectat Societas, quae insuper ut
« impii voti compos fiat nil intentatum relinquit. Non enim tan-
« tummodo versiones suas typis edere, verum etiam per omnes
« urbes cursitando in vulgus per se spargere sibi plaudit; quin
« imo ut alliciat simplicium animos, qua venditare curat, qua
« dono dare insidiosa liberalitate gestit ».

Verum qui multa, ne omnia dicam, a praedecessoribus suis exposita complexus est, aliaque addidit quae suo tempore contigere, fuit Gregorius XVI in epistola encyclica, quam anno 1844 dedit ad universos orbis catholici Episcopos, quam propterea integram vel fere, ad lectorum eruditionem, utilitatemque referre existimamus, ut etiam percipiant quanta veritate, et rationum pondere ducti Romani Pontifices Biblicas Societates proscripserint

« Inter praecipuas machinationes, quibus nostra hac ae-
« tate, acatholici diversorum nominum insidiari cultoribus ca-
« tholicae veritatis, eorumque animos a sanctitate fidei avertere
« connituntur, haud ultimum tenent, locum societates biblicae,
«quas in Anglia primum institutas, ac longe hinc lateque dif-

«fusas, facto veluti agmine, in id conspirare conspicimus, ut « divinarum Scripturarum libros vulgaribus quibusque linguis « interpretatos permagno edant exemplarium numero, eosque « inter christianos iuxta atque infideles nullo delectu dissemi- « nent, et horum quemlibet ad illos nullo duce legendos alli- « ciant. Ita igitur, quod suo iam tempore lamentabatur Hiero- « nymus et *garrulae anui, et deliro seni, et sophistcte verboso, « et universis {a),* si modo legere norint, cuiusque conditionis « hominibus communem faciant artem Scripturarum sine ma- « gistro intelligendarum : imo quod longe absurdissimum, pe- « neque inauditum est, ne ipsas quidem infidelium plebes ab « eiusmodi intelligentiae communione excludunt.

2. « Sed vos quidem minime latet, venerabiles fratres, « quorsum haec Societatum earumdem molimina pertineant. « Probe enim nostis consignatum in sacris uteris monitum Petri « Apostolorum principis qui post laúdalas Pauli epistolas, esse « ait in illis *quaedam difficilia intellectu, quae indocti et insta- « biles dépravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam. ipso- «rum perditionem;* statimque adiicit: *vos igitur, fratres, prae- « scienter custodite, ne insipientium errore traducti exeidatis a, « propria firmitate* (2 Petri III, 16-17). Hinc et perspectum « vobis est, vel a prima christiani nominis aetate hanc fuisse « propriam haereticorum artem, ut repudiato verbo Dei tradito, « et Ecclesiae catholicae auctoritate reiecta, Scripturas aut *manu* « interpolarent, aut *sensus* expositionem interverterent (Tertul- « lianus *De Praescriptionibus* 38. P. L. II. 62). Nec denique « ignoratis, quanta vel diligentia vel sapientia opus sit ad trans- « ferenda fideliter in aliam linguam eloquia Domini; ut nihil pro- « inde facilius contingat quam ut in eorumdem versionibus per « Societates biblicas multiplicatis gravissimi ex tot interpretum « vel imprudentia vel fraude inserantur errores; quos ipsa porro « illarum multitudo et varietas diu occultat in perniciem multo- « rum. Ipsarum tamen societatum parum aut nihil omnino in- « terest, si homines Biblia illa vulgaribus sermonibus interpre- « tata lecturi in alios potius quam alios errores dilabantur ; « dummodo assuescant paullatim ad liberum de Sripturarum « sensu iudicium sibimetipsis vindicandum, atque ad conte- « mnendas traditiones divinas ex Patrum doctrina in Ecclesia

(a) **Ep. ad Paulinum ! 7, P. L. XXII, S4L**

« catholica custoditas, ipsumque Ecclesiae magisterium repu-
« diandum.

3. « Hunc in finem biblici iidem socii Ecclesiam sanctamque « hanc Petri Sedem calumniari non cessant, quasi a pluribus « iam saeculis fidelem populum a Sacrarum Scripturarum co- « gnitione arcere conetur; quum tamen plurima extent eadem- « que luculentissima documenta singularis studii, quo recentio- « ribus ipsis temporibus summi Pontifices ceterique illorum « ductu catholici Antistites usi sunt, ut catholicorum gentes ad « Dei eloquia scripta et tradita impensius erudirentur. Quo in « primis pertinent decreta Tridentinae Synodi, quibus nedum « Episcopis mandatum est, ut *Sacras Scripturas divinamque « legem* frequentius per Dioecesim annuntiandam curarent (Sess. « 24. Cap. 4. de Reform.) ; sed ampliata insuper Lateranensis « Concilii *{a)* institutione provisum, ut in singulis Ecclesiis seu « cathedralibus seu collegiatis urbium insigniorumque oppido- « rum non deesset theologalis praebenda, eademque conferre- « tur omnino personis idoneis Sacrae Scripturae exponendae et « interpretandae *(b).* De ipsa postmodum theologali praebenda « ad Tridentinae illius sanctionis normam constituenda, et de « lectionibus a canonico theologo ad Clerum, atque etiam ad « populum publice habendis actum est in plurimis Synodis pro- « vincialibus *(c),* nec non in Romano Concilio anni 1725 *(d),* in « quod Benedictus XIII fel. rec. praedecessor Noster, nedum « sacros Antistites Romanae Provinciae, sed plures etiam ex « Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque locorum Ordinariis san- « ctae huic Sedi nullo modo subditis convocaverat *(e).* Idem « praeterea summus Pontifex eumdem in finem nonnulla con- « stituit in Apostolicis litteris, quas pro Italia nominatim insu- « Iisque adiacentibus dedit (/). Vobis denique, venerabiles fra- « tres, qui de conditione Sacrarum rerum in cuiusque dioecesi « ad Sedem Apostolicam statis temporibus referre *{g)* consue-

ti) Concil. Later. anni 1215 sub Innocentio III, cap. XI, quod in corpus iuris relatum est cap. 4 *de Magistris.*

(b) **Trid. Sess. V, cap. 1 de Reform.**

(c) In Conc. Mediol. an. 1595 part. 1, tit. *de Praebend. theol.* **Mediol. V, an. 1579.**

(d) **Tit. 1, cap. 6 seqq.**

(e) **In litteris Indictionis Concilii 24 Decembris 1724.**

(f) Const. *Pastoralis officii* **XIII Kal. Iunii 1725.**

(g) **Ex Const. Xisti V** *Romanus Pontifex* **XIII Kal. Ian. 1595, et Const. Bene-**

« vistis, ex responsis per nostram Congregationem Concilii ad « decessores vestros, aut ad vos ipsos iterum iterumque datis, « perspectum est, quemadmodum eadem Sedes et gratulari Epi- « scopis soleat si praebendatos theologos habeant in publicis «sacrarum litterarum lectionibus munere suo bene fungentes, « et numquam intermittat excitare atque adiuvare pastorales « illorum curas, si alicubi res adhuc ex sententia non succes- « serit.

4. « Ceterum ad translata in vulgares linguas Biblia quod « attinet, multis ab hinc saeculis contigerat, ut diversis in « locis sacri Antistites maiori interdum vigilantia uti debuerint « ubi versiones huiusmodi aut in occultis lectitari conventiculis, « aut per haereticos impensius diffundi animad ver terent. Atque « huc spectant monita, et cautiones adhibitae ab Innocentio III « glor. mem. decessore nostro circa laicorum mulierumque « coetus sub pietatis obtentu, et legendàrum scripturarum « causa secreto habitos in Metensi Dioecesi *{a)*, nec non et pe- « culiares vulgarium bibliorum interdictiones, quas sive in « Gallus paullo post *{b)*, sive in Hispania ante saeculum XVI « latas invenimus *(e)*. Sed ampliori postmodum providentia « opus fuit, cum Lutherani Calvinianique acatholici incommuta- « bilem fidei doctrinam incredibili prope errorum varietate « oppugnare ausi, nihil intentatum relinquebant ut fidelium « mentes deciperent perversis explicationibus sacrarum littera- « rum, eclitisque per suos asseclas novis illarum in popularem « sermonem interpretationibus, quarum quidem exemplis mul- « tiplicandis, et citissime divulgandis inventae nuper typogra- « phicae artis praesidio iuvabantur. Itaque iis in regulis, quae « a Patribus a Tridentina Synodo delectis conscriptae, et a « Pio IV fel. mem. praedecessore nostro approbatae *(d)*, indi- « eique librorum prohibitorum praemissae sunt, generali san-

dicti XTV *Quod, Sancta Sardicensis Synodus* **IX Kal. Decembris 1740 tom. 1 Bullar. eiusd. Pont., et ex instructione quae extat in Appendice ad dictum Tom. 1.**

(a) **In tribus litteris datis ad Metenses, atque ad illorum Episcopum et capitulum, nec non ad Abbates Gisterciensem, Morimundensem, ei de Cripta, quae sunt Epistolae 141, 142, lib. 2.**

{b) **In Concilio Tolosano an. 1229, can. 14. Mansi XXIII, 197.**

(c) Ex testimonio Card. Pacecco in Concilio Trident. Apud Pallavicinum *Storia del Concilio di Trento, lib, VI, cap. 12, n 5,* **et albi.**

{d) **Tn Const.** *Dominici gregis* **24 Martii lo64.**

« ctione statutum legitur, ut biblia vulgari sermone edita non « aliis permitteretur nisi quibus illorum lectio *ad fidei atque «pietatis augmentum* profutura iudicaretur *(a).* Huic eidem « regulae nova subinde propter perseverantes haereticorum « fraudes cautione constrictae, ea demum auctoritate Bene- « dicti XIV adiecta declaratio est, ut permissa porro habeatur « lectio vulgarium versionum, quae *ab apostoli ea Sede appro- « batate,* aut *eum adnotationibus desumptis ex sanctis Eccle- « siae Patribus vel ex doctis catholicisque viris* editae fue- « rint *{b).*

5. « Non defuere interim novi ex Iansenii schola sectarii, « qui hanc Ecclesiae Sedisque Apostolicae prudentissimam oeco- « nomiam, mutuato a Lutheranis Calvinianisque stylo, repre- « henderé non sunt veriti, quasi scripturarum lectio unicuique « fidelium generi omni tempore, atque ubique locorum utilis « et necessaria esset, atque ideo nemini posset auctoritate ulla « interdici. Hanc vero Jansenianorum audaciam graviori cen- « sarà reprehensam habemus in solemnibus iudiciis, quae toto « plaudente catholico orbe, contra illorum doctrinas tulerunt « bini rec. mem. summi Pontifices, nimirum Clemens XI in « Const. *Unigenitus* anni 1713 *(c),* et Pius VI in const. *Auctorem «fidei* anni 1794 *(d).*

6. « Ita igitur antequam instituerentur societates biblicae, « iamdudum in commemoratis Ecclesiae decretis fidèles prae- « muniti fuerant adversus haereticorum fraudem in specioso « illo divinas litteras ad communem usum diffundendi studio « latentem. Pius antem VII glor. rec. praecessor noster, qui « societates ipsas suo tempore ortas magnis invalescere aucti- « bus comperit, haud sane abstinuit opponere se illarum cona- « tibus tum per apostolicos suos nuntios, tum per epistolas et « per decreta a diversis cardin. S. R. Congregationibus edita *(e),*

{a) **In Regulis Indicis 3ª et 4.ª.**

(6) In addition, ad dictam Reg. IV ex decreto Congregat. Indicis 17 Iun. 1757.

(c) In proscriptione propositionum Quesnelli a n. 39 ad 45.

{d) **In damnatione Pseudo-Synodi Pistoriensis n. 67.**

{e) **Imprimis per epistolam Congregationis Propagandae Fidei ad Vicarios Apostolicos Persiae, Armeniae, aliarumque Orientis regionum datam 3 Augusti 1816, et per decretum de omnibus huiusmodi versionibus editum a Congregatione Indicis 23 Iunii 1817. Hoc decreto generali prohibitum fuit opus cui titulus: Historia succinta delle operazioni della Compagnia Biblica Britannica e straniera, coli'Indice**

« tum suis duabus pontificiis litteris, quas ad Gnesnensem,
« atque ad Mohiloviensem Archiepiscopos dedit *{a)*. Subinde
« Leo XII fel. mem. decessor noster ipsa illa biblicorum so-
« ciorum molimina persecutus est in encyclicis litteris ad omnes
« catholici orbis Antistites datis die 5 Maii 1824; idque ipsum
« denuo fecit novissimus fel. item recordationis praecessor
« noster Pius VIII in encyclica Epistola edita die 24 Maii 1829.
« Nos tandem, qui meritis longe imparibus in huius locum
« successimus, haud sane praetermisimus eumdem in finem
« Apostolicam sollicitudinem nostram impendere, atque inter
« alia curavimus, ut sancitae olim de vulgaribus scripturarum
« translationibus regulae in memoriam fidelium revocaren-
« tur *(b)*.

7. « Est autem cur vobis summopere gratulemur, venera-
« biles fratres, quod excitati pietate prudentiaque vestra et su-
« pradictis decessorum nostrorum uteris confirmati haudqua-
« quam neglexistis commonere ubi opus fuit catholicas oves ut
« ab insidiis caverent, quae sibi a biblicis sociis struebantur.
« Ex hisce autem Episcoporum studiis cum supremae huius
« Petri Sedis sollicitudine conspirantibus, benedicente Domino
« factum est, ut incauti quidam catholici homines qui biblicis
« societatibus imprudenter favebant, perspecta subinde fraude,

delle materie concernenti la medesima *Chi è da Dio le parole di Dio ascolta-* **Gio. VIII, 12. Napoli presso Agnello Nobile Libraio-Stampatore strada Santabrigida n. 27, 1817.** *Decreto eodem* **(23 Iun. 1817) et versiones omnes Bibliorum quavis vulgari lingua, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae cum annotationibus desumptis ex SS Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris iuxta decretum S. G. Indicis 13 Iunii 1757. Datum Romae die 12 Iulii 1817.**

(a) Superius relatae fuere.

{b) **Quae Regulae prostant in monito adiecto ad decretum Congregationis Indicis 7 Ianuarii 1856, quod hic tradimus: Cum ad Sacram Congregationem certo relatum fuerit sacratissimos Bibliorum libros vulgari sermone nonnuliis in locis typis edi quin saluberrimae de ea re leges serventur; cumque inde pertimescendum sit ne (quae hominum nequam hisce praesertim temporibus conspiratio est), errores sanction divini eloquii apparatu obvoluti perperam insinuentur, censuit eadem S. Congregatio revocanda iterum esse in omnium memoriam quae alias decreta sunt: vernaculas nimirum Bibliorum versiones non esse permiltendas, nisi** *quae fuerint ab Apostolica Sede approbatae aut editae cum adnotationibus desumptis* ***ex*** *SS.* ***Ecclesiae*** *Patribus, vel ex doctis catholicisque viris* **(ex decreto S. Congreg. Ind. 15 aut 13 Iunii 1757 in addit, ad reg. Ind.); iis praeterea omnino insistendum quae per Regulam IV Indicis, et deinceps ex mandato s. m. Clementis VIII in eam causam praestituta fuerunt„**

« ab eisdem recesserint, et reliquus fidelium populus immunis « ferme a contagione permanserit, quae inde illi imminebat.

8. « Ea interim spe tenebantur sectarii biblici, ut magnam « se consequuturos laudem non ambigerent ex infidelibus ad « christiani nominis professionem utcumque inducendis per « lectionem sacrorum codicum vulgari ipsorum lingua edito- « rum, quos ingenti plane exemplarium copia missionariis, seu « excursoribus a se destinatis per illorum regiones distribui, « ac vel nolentibus obtrudi curabant. Sed hominibus christia- « num nomen praeter regulas a Christo ipso institutas propa- « gare conantibus nihil pene ex sententia contigit, nisi quod « potuere interdum nova creare impedimenta catholicis Sacer- « dotibus, qui ad gentes ipsas ex sanctae huius Sedis missione « pergentes nullis parcebant laboribus, ut praedicatione verbi « Dei sacrarnentorumque administratione novos Ecclesiae filios « parèrent, parati etiam pro illorum salute atque in testimonium « fidei sanguinem suum inter exquisita quaeque tormenta pro- « fundere.

9. « Iam vero inter sectarios illos sua ita expectatione fru- « stratos et perdolenti recogitantes animo ingentem pecuniae « vim hactenus erogatam suis bibliis edendis nulloque fructu « divulgandis, inventi nuper aliqui sunt, qui machinationes suas « novo quodam ordine disposuerunt ad Italorum potissimum, «nostraeque ipsius Urbis civium animos prima veluti aggres- « sione appetendos. Scilicet ex acceptis modo nuntiis documen- « tisque compertum habemus plures homines diversarum se- « ctarum Neo Eboraci in America proximo anno convenisse, « pridieque Idus Iunias inivisse novam societatem *Foederis « ehristiani* nomine nuncupatam, et aliis porro atque aliis ex « omni gente sodalibus, seu constitutis in eiusdem auxilium soda- « litus amplificandam; quorum commune cum ipsis consilium « sit, ut religiosam libertatem, seu potius vesanum indifferentiae « super religione studium Romanis Italisque ceteris infundant. « Fatentur enim vero a pluribus retro saeculis tantum ubique pon- « deris habuisse Romanae Italaeque gentis instituta, ut nil ma- « gnum in orbe processerit quin factum fuerit ab alma hac urbe « principium; quod quidem non ex constituta heic, disponente « Domino, suprema Petri Sede, sed ex quibusdam antiquae do- « minationis reliquiis, in usurpata, ut dictitant, a decessoribus « nostris potestate permanentibus, derivai um volunt. Quare

« cum statutum illis sit, populos universos conscientiae seu «potius erroris libertate donare, ex qua, veluti ex suo fonte, « politica etiam libertas cum publicae ad ipsorum sensum « prosperitatis incremento dimanet; nihil tamen sibi posse vi- « dentur, nisi primum apud Italos Romanosque cives aliquid « profecerint, eorum deinceps auctoritate atque studiis penes « reliquas gentes magnopere usuri. Atque id facile se assecu- « tu ros confidunt, cum tot ubique terrarum Itali sint diversis « in locis degentes, indeque in patriam haud levi numero re- « meantes, quorum non paucos vel novarum rerum studio «sua iam sponte incensos, vel corruptos moribus, aut inopia « afflictos nullo fere negotio ad nomen societati dandum, vel « saltem ad suam operam pretio illi vendendam alliciant. Eo «igitur curas suas converterunt, ut horum manibus undique « conquisitis vulgaria corruptaque biblia huc advehantur, et in «manus fidelium clanculum ingerantur; itemque ut distribuan- « tur una simul pessimi alii libri, libellique, ad mentem legen- « tium ab Ecclesiae sanctaeque huius Sedis obsequio abalie- « nandam, Italorum eorumdem ope compositi, aut in patrium « sermonem translati ex aliis auctoribus; inter quos *Historiam «Reformationis* a Merle d'Aubigny conscriptam, et *Memor a- « bilia super Reformatione apud Italos* Ioannis Cric praecipue « designant. Ceterum de toto hoc librorum genere, quale futu- « rum sit vel ex eo intelligi potest, quod societatis statuto « praescriptum fertur circa peculiares quorumdam coetus li- « brorum delectui destinatos, videlicet ut numquam in hos ne « duo quidem unius eiusdem religiosae sectae viri conveniant.

10. « Haec ut primum relata ad nos sunt, non potuimus « equidem non contristan graviter in consideratione periculi, « quod nedum per remota ab Urbe loca, sed prope ipsum ca- « tholicae unitatis centrum, incolumitati religionis sanctissimae « a sectariis parari cognovimus. Quamvis enim timendum mi- « nime sit ne deficiat umquam Petri Sedes, in qua inexpugna- « bile Ecclesiae suae fundamentum a Christo Domino positum « est, non ideo tamen cessare nos licet ab illius auctoritate « tuenda; et quo insuper supremi Apostolatus officio admone- « mur severissimae rationis, quam reposcet a nobis divinus « Pastorum princeps ob succrescentis in Dominico agro zizania, « si quae ab inimico homine nobis dormientibus superseminata « fuerint, atque ob creditarum ovium sanguinem quae nostra « hinc culpa perierint.

11. « Itaque nonnullis S. R. E. Cardinalibus in consilium ad-
« hibitis, ac tota rei causa graviter matureque perpensa, ex eo-
« rum quoque sententia deliberavimus hanc ad vos omnes dare
« epistolam, venerabiles fratres, qua et cunctas supradictas so-
« cietates biblicas, dudum a nostris decessoribus reprobatas,
« Apostolica rursus auctoritate condemnamus, et nostri pariter
« supremi Apostolatus nominatim *(sie)* et condemnamus memora-
« tam novam societatem *Christiani Foederis* superiore anno Neo-
« Eboraci constitutam et alia eiusdem generis sodalitia, si quae
« iam ei accesserint aut in posterum accèdent. Hinc notum omni-
« bus sit, gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore illos
« omnes qui alicui earumdem societatum nomen dare aut ope-
« ram suam commodare seu quomodocumque favere praesum-
« pserint. Confirmamus insuper et innovamus auctoritate apo-
« stolica super memoratas praescriptiones iamdiu editas super
« editione, divulgatione, lectione et retentione librorum sacrae
« Scripturae in vulgares linguas translatorum : de aliis vero cu-
« hisque scriptoris operibus in communem notitiam revocatum
« volumus, standum esse generalibus regulis et decessorum
« nostrorum decretis, quae Indici prohibitorum librorum prae-
« posita habentur; atque adeo non ab his tantum libris caven-
« dum esse qui nominatim in eumdem Indicem relati sunt, sed
« ab aliis etiam, de quibus in commemoratis generalibus prae-
« scriptionibus agitur.

12. « Vobis autem, venerabiles fratres, utpote in nostrae sol-
« licitudinis partem vocatis, commendamus in Domino vehemen-
« ter, ut apostolicum iudicium et mandata haec nostra concre-
« ditis pastorali procurationi vestrae populis annuntietis et ex"
« plicetis pro loco et tempore, fidelesque oves a praedicta so"
« cietate *Foederis Christiani,* ceterisque eidem auxiliantibus, nec
« non ab aliis bliblicis societatibus, atque ab omni cum illis com_
« municatione avertere connitamini. Iuxta haec vestrum quo.
« que erit, tum biblia in vulgarem linguam conversa quae contra
» supradictas Romanorum Pontificum sanctiones edita fuerint,
« tum alios quoscumque proscriptos damnatosque libros e fi-
« delium manibus evehere, atque adeo providere, ut fideles
« ipsi monitis et auctoritate vestra *edoceantur quod pabuli ge-*
« nus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere de-
« beant {a). Interim instate quotidie magis, venerabiles fratres,

(a) **Ex mandato Leonis XII edito a Congregatione Indicis 26 Martii 1825.**

«praedicationi verbi Dei tum per vos ipsos, tum per singulos « in cuiusque dioecesi animarum curatores, aliosque viros ec- « clesiasticos ei muneri idoneos; atque advigila te impensius su- « per illos praesertim, qui destinati sunt lectionibus Sacrae « Scripturae publice habendis, ut officio suo ad audientium «captum diligenter fungantur, et sub nullo umquam obtentu « divinas ipsas litteras contra Patrum traditionem, aut prae- « ter Ecclesiae catholicae sensum interpretari et explicare au- « deant. Denique sicut boni pastoris proprium est non modo « tueri ac enutrire adhaerentes sibi oves, sed eas etiam quae « in longinqua recesserint, quaerere ac revocare ad ovile; ita « et vestri nostrique muneris erit omnes pastoralis studii ñervos « eo item intendere, ut quicumque ab huiusmodi sectariis, no- « xiorumque librorum propagatoribus seduci se passi sint, gra- « vitatem peccati sui per Dei gratiam agnoscant, et salutaris « poenitentiae remediis expiare satagant ; nec vero abiiciendi « sunt ab eodem sacerdotalis sollicitudinis studio seductores il- « lorum, praecipuique ipsi impietatis magistri, quorum etsi maior « iniquitas sit, non tamen abstinere debemus ab eorum salute, « quibus poterimus viis et modis, impensius procuranda.

13. «Ceterum, venerabiles fratres, contra insidias et moli- « mina sociorum *Foederis Christiani* peculiarem et acriorem in « primis vigilantiam exposcimus ab iis ex vestro ordine qui Ec- « clesias regunt in Italia sitas, aut aliis in locis ubi Itali saepius « versantur, maxime autem in Italiae confinibus, aut ubicumque « emporia portusque extant, unde frequenter in Italiam com- « meatus est. Cum enim sectariis ipsis propositum sit inibi ad « effectum adducere consilia sua, hinc et Episcopos potissimum « eorumdem locorum alacri constantique studio nobiscum alla- « borare oportet illorum machinationibus, adiuvante Domino « dissipandis.

14. « Has autem nostras vestrasque curas adiutum iri non « dubitamus praesidio civilium potestatum, imprimis potentissi- « morum Italiae principum, tum pro singulari suo stadio reli- « gionis catholicae conservandae, tum quod ipsorum pruden- « tiam minime fugit publicae etiam rei interesse plurimum, ut « supradicta sectariorum molimina in irritum cadant. Constat « enim, diuturnoque superiorum temporum experimento compro- « batum est, populis a fidelitate atque obedientia erga suos prin- « cipes retrahendis non aliam esse planiorem viam, quam in-

« differentiam in religionis negotio a sectariis sub religiosae li-
« bertatis nomine propagatam. Atque id ne dissimulant quidem
« novi illi sodales *Foederis Christiani,* qui licet sese alienos pro-
« flteantur a civilibus seditionibus concitandis, ex vindicatio ta-
« men unicuique de plebe Bibliorum interpretandorum arbitrio,
« diffusaque ita in italorum gentem omnimoda, quam vocant,
« libertate conscientiae, politicam pariter Italiae libertatem sua
« veluti sponte consequuturam fatentur etc.

GREGORIUS PP. XVI.

Cum itaque Societates Biblicae in diffundendis eiusmodi versionibus vulgaribus sensum Sacrarum Scripturarum dépravent atque pervertant, veteres haereticos imitentur, iudicium sibi vindicare de Scripturarum sensu praesumant, ut inde magisterium Ecclesiae répudient, statuantque e contra in rebus fidei conscientiae libertatem, et nedum religiosam sed etiam politicam potestatem ita evertere satagant, nemo non videt quanta veritate atque iustitia Romani Pontifices illas damnaverint.

Nonne deinceps in eiusmodi versionibus publicandis falsum illud principium obtrudere conantur, solas scilicet Scripturas esse fidei regulam, universos illas legere debere, easque humano ingenio commentino Spiritus Sancti lumine illustrato esse exponendas, consequenter singulos fideles iudices esse controversiarum fidei, nec ullius auctoritati aut magisterio subiici? Hinc inobedientes et prorsus -perduelles constitui mediante illo spiritu privato, quem merito Grotius *spiritum Eeelesiae divisorem* appellavit; nedum autem catholicam, sed aliam quamlibet christianam societatem pessumdari, cum innumeris, iisque contrariis sensibus admittendis retinendisque via aperiatur latissima ut ex ipsa religione protestantica constat; exploratum sit insuper societates biblicas verbum divinum mutilasse, cum anno 1826 ex scripturarum censu libros V. T. deuterocanonicos expunxerint. Iure ergo optimo Legislator noster affirmavit, in eiusmodi versionibus funditus Ecclesiae leges de divinis libris edendis posthaberi, idcirco proscriptas esse retinendas.

Nemini ergo licet has versiones legere; atque ii tantum excipiuntur qui studiis theologicis vel biblicis dant operam; attamen ea conditione, ut nec in prolegomenis nec in annotationibus catholicae fidei dogmata impugnentur ; quod si horum ali-

quid desit, versiones vulgares eiusmodi etiam pro iis qui studiis theologicis et biblicis animum applicant prohibitae manent; quod quo sensu sit intelligendum supra ad § 5 explicatum est.

Quaestio tamen hoc in loco oritur. Tum ex relata Gregorii XVI Constitutione, tum ex iis quae observat clar. Ubaldi Tom. III. pag. 491 seqq., tum etiam alii observant, constat, eiusmodi vulgares versiones per societates biblicas confectas in plurimis esse plane infideles, mutilas insuper, cum ex divinorum librorum canone libri Deuterocanonici V. Testamenti expuncti reperiantur; hinc Verbum Dei integrum non praebere. Una autem ex conditionibus in cit. § 5 appositis est, *ut editiones fideles et integre editae appareant.* Cum ergo vulgares versiones a societatibus biblicis confectae nec fideles, nec integrae sint, quomodo permissae dici possunt iis qui studiis theologicis vel biblicis dant operam?

Verum eiusmodi difficultas evanescit si consideretur diversa loquendi ratio qua in utraque paragrapho legislator usus est; etenim in § 5 omnino exigit ut editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum integrae sint atque fideles, ideoque etiam sub hac conditione iis qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, eas permittit. In paragrapho octava autem, de qua agitur, disertis verbis Legislator fatetur, in vulgaribus versionibus per societates biblicas confectis funditus posthaberi saluberrimas Ecclesiae leges de divinis libris edendis ; hinc etiam fatetur eas infideles et mutilas esse. Non potuit insuper legislatorem latere, in his versionibus vulgaribus praetermitti prolegomena et adnotationes quaslibet, atque unum textum divinarum scripturarum lectoribus exhiberi, insuper praetermitti libros Veteris Testamenti Deuterocanonicos. Attamen has versiones his qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, plane concedit. Conditio ergo § 5 hoc in loco id tantum importare intelligitur, ut si quae per societates biblicas vulgares versiones edantur, in quarum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata impugnentur, hae pro iis etiam qui theologicis aut studiis biblicis dant operam, prohibitae manent. Quae explicatio absolute admittenda videtur; sin minus allata difficultas nullo pacto eliditur, cum eodem tempore has versiones quas legislator infideles et mutilas novit, et in quibus funditus Ecclesiae leges posthabentur, iis qui studiis theologicis vel biblicis dant operam permittit; simul autem his

ipsis interdicit, si conditio de textu fideli et integro etiam hac in § esset includenda. Quae contradictoria dignoscantur.

47. In eiusmodi paragrapho fere ad verbum concluditur Regula VII Concilii Tridentini. Et summopere commendandus est Ecclesiae pastorum zelus, dum ab universis fidelibus, adolescentibus praecipue, exitialem eiusmodi pestem arcere satagunt nullus enim morbus, aut cancer tantam infert corporibus perniciem, quantam et animabus et corporibus infert libidinis et lasciviae consuetudo; huius autem fons et origo turpiloquium est. Hinc clamat Apostolus : *Corrumpunt bonos mores eolloquia prava* (1. Cor. XV. 33). *Ad imprudentiam via,* scribit Clemens Alexandrinus, *est turpis sermo, et utriusque finis est tur pium rerum perpetratio.* (Lib. 2. Strom, c. XXIII. - P. G. VIIT. 1095).

Neque verum est hos turpium sermonum ostentatores aliqua ornari ingenii venustate, sed homines esse plane ridiculos atque omnino contemnendos. *Qui tur pia loquitur,* scribit Chrysostomus, *ridiculus est, et seipsum primum afficit contumelia; perinde ac si quis coenum aliquod emittat ex ore, ita, seipsum pollu.it. Quod si hic fluxus tam impunis est, cogita qualis sit huius coeni fons.*

Neque sanctorum tantum virorum haec sententia fuit, sed illorum etiam qui a Christiana religione extorres fuere. *Turpes sunt illi,* scribit Philo Iudaeus, *qui in rebus turpibus ingenii industria specimen edunt; et cum ad res praeclaras discendas tardi sint, contra ad turpia percipienda celerrimi atque acutissimi.* (Ap. Ioan. Damaso. Sacra Parallela lib. 1. Tit. 46. P. G. Tom. 95. col. 1254). Praestantissimi hinc philosophi censuere hos homines exterminandos de civitate esse, ne universae plebis mores corrumperentur. *Omnino obscenitas verborum exterminando est de civitate;* scribit Aristoteles; *ex turpiter enim loquendi licentia, sequitur et turpiter facere.* (Lib. VII. Politic. cap. 17). Si autem tanta turpes sermones mala générant, quid de libris turpitudine scatentibus dicendum, in quibus nefanda quaelibet veluti sub oculis ponuntur, atque ad ea perpetranda lectores incauti alliciuntur?

Porro *tractare de obscenis ex professo* est de iis scribere ex *instituto, specialiter et concepta intentione,* non obiter.

Lasciva vero et obscena narrant libri qui turpia facta ab hominibus commissa, sive vera, sive ficta describunt et in aliorum notitiam deferunt cum suis circumstantiis, modis adhibi-

tis etc. In quo praesertim excellunt scriptores Tabularium historiarum (vulgo novelle) et narrationum fabulosarum heroicorum facinorum (Romanzi), quibus hac nostra aetate universus corrumpitur orbis.

Demum *docent libri* qui tradunt et explicant quomodo quibusve modis turpes actus perficiantur, quibus artibus mulieres, praesertim adolescentula e, corrumpi et ad propria desideria pertrahi possint.

Sapientissime Legislator *omnino* et pro quibuslibet hos libros prohibuit, cum nulla suppetat aut ratio aut utilitas illos legendi.

Sunt ergo illi acriter redarguendo qui, nescio quo conscientiae dictamine ducti, sine gravissima causa non verentur hos libros legendi facultatem postulare.

Attamen excusandi sunt illi qui aut medicas aut chirurgicas disciplinas tradentes, ea quae necessaria sunt circa eiusmodi materias docere tenentur. Neque de his in praesenti paragrapho est sermo, sed de illis qui ad mores honestos corrumpendos, aut alia prava intentione ducti libros turpes et obscenos scribunt divulgantque.

Ratio prohibitionis est quia Romanus Pontifex nedum fidei, sed etiam morum integritati, qui per eiusmodi libros corrumpuntur, advigilare tenetur. At a corruptione morum ad fidei contemptum brevis est via ; constat enim a morum corruptione initium ducere incredulitatem *(a),* nullumque reperiri incredulum qui castis moribus exornetur; neminem autem qui castimoniam observet incredulum esse.

48. Paragraphus ista exceptionem praecedentis continet; dum enim ibi libri de obscenis *ex professo* tractantes quibuslibet interdicuntur, hic permittuntur libri sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, propter sermonis elegantiam et proprietatem ; quae est unica ratio a Legislatore adducta.

At unis permittuntur illis quos *Officii, aut Magisterii ratio excusat.* Atque ratione *officii* excusantur illi omnes qui pravos libros ob disposita in paragrapho 27 denunciare tenentur: sunt autem Nuncii Pontificii, Delegati Apostolici, locorum Ordinarii,

_(a)_ Cf. Valsecela dei Fondamenti della Religione, e dei Fonti dell'empietà? Lib. III pag. 510. Livorno 1847.

Rectores Universitatum; hi speciali titulo excusantur, sicut speciali titulo denunciare pravos libros tenentur. Sed etiam alii ratione officii excusari dicendi sunt: ex. gr. Episcoporum in spiritualibus Vicarii generales, scholarum in Universitatibus Praefecti, Rectores et scholarum Praefecti in Collegiis et Seminariis, in quibus scholae, ut vocant, aequiparatae habentur, aguntur scilicet lectiones ad tramites programmatis a ministerio publicae Instructionis statuti; non autem in Collegiis et Seminariis, in quibus hae scholae aequiparatae non habentur, atque immediatae Episcoporum iurisdictioni et vigilantiae subsunt; in his enim locis nulla ratio intercedit eiusmodi proscriptos classicos auctores legendi, cum pueris et auditoribus aut nullimode, aut solerti cura expurgati tradantur; hinc ratio ab Legislatore adducta prorsus evanescit; at cessante ratione legis cessat ipsa lex.

Et ut rei explicandae exemplum afferamus. Licitum erit Professoribus litterarum humanior um Seminarii Romani, vulgo S. Apollinaris, aut scholarum Praefectis auctores eiusmodi legere , quia scholae ibi peraguntur ad tramites programmatis lati a ministerio publicae instructionis; interdicta sed vero erit eiusmodi lectio Professoribus Collegii Urbani de Propaganda Fide, in quo nullae sunt scholae iuxta programma ministri publicae Instructionis agendae.

Attamen ut hi libri proscriptioni subiaceant, debent esse eadem turpitudinis labe infecti, ac illi de quibus in superiori paragrapho : *debent* scilicet, *aut tractare, aut narrare, aut docere obscena ex professo;* si quae ergo turpia in his obiter scripta contineantur, prohibitione eximuntur. Virgilii hinc Aeneidos libri, aut *la Gerusalemme Liberuta* Torquati Tasso sub eiusmodi prohibitione non comprehenduntur: sed eam non effugiunt Ovidii liber de *Arte amandi,* neque *r Orlando Furioso* Ludovici Ariosto, aut alii libri, in quibus inhonesta et turpia ex instituto traduntur. Hos libros quapropter, quos officii aut magisterii ratio excusat, legere poterunt, facta tamen prohibitione ne pueris tradantur, nisi diligentissime expurgati fuerint ; confectae scilicet editiones, ex quibus dempta turpia illa et obscena quae continebant, atque ne pueris adolescentibusque ea legere audeant quae morum castimoniam offendunt.

Quid ergo, si libri expurgati non fuerint, et decreto ministri publicae Instructionis Professores compellantur illos discipulis tradere?

Cui quaestioni respondendum est, ministerio quidem publicae Instructionis plerumque auctores designari, quibus adolescentes in scholis uti debeant; atque constat aliquando minime fuisse expurgatos, aut non ita ut oportet; sed constat etiam professores et magistros liberos dimitti ut ea tradant, quae ipsi opportuniora et utiliora iudicaverint, non omnia. Hinc ad propositam quaestionem duplex responsio.

Si ministerium publicae Instructionis auctores et editiones designavit, nequeunt Professores auctores alios, aut editiones castigatas adoptare, et excusandi sunt si libros huiusmodi adolescentibus tradant; aliter enim facere nequeunt, atque possent ob inobedientiam magisterio expelli, quod esset damnum gravissimum. Hoc insuper in casu non ipsi Professores, sed ministerium publicae Instructionis dicendum est hos pessimos auctores adolescentibus tradere.

Si autem Ministerium publicae Instructionis auctores quidem praescripserit, non vero editionem, auctorum autem illorum una vel multiplex sit editio castigata, liberum erit Professoribus emendatam editionem assumere et adolescentibus tradere; atque graviter peccarent si editionem non castigatami prohibitain-que prae adolescentium manibus collocarent.

Gravissime similiter peccant, si supposita per ministerium publicae instructionis praescriptione prohibitae editionis, ipsi turpia illa pueris legant quae in auctoribus continentur; etenim ad id agendum nullo imperio et nulla necessitate obstringuntur; atque nonnisi prava voluntate adolescentium animos corrumpendi illa legere dicendi essent: haec autem nedum ecclesiastico, sed etiam divino et naturali iure prohibentur.

Neque quis obiiciat, prae adolescentium manibus libros proscriptos haberi in quibus per seipsos turpia et illicita illa legunt aut legere possunt; adiaphorum ergo esse si ipsi Professores ea pueris legant.

Ne, inquam, haec aliquis obiiciat; etenim ipsorum professorum silentium circa turpia et inhonesta quae libri continent, gravissimum adolescentibus documentum est, ut etiam ipsi illa detestentur, atque oculos mentemque ab illis avertant. *Ab obscaenitate sermonis,* inquit Clemens Alexandrinus, *non ipsi tantum debemus abstinere, sed illos quoque qui ea utuntur, comprimere, tum asperiore obtutu, tum vultus aversione, tum etiam sanniis, tum demum saepius vehementiori ser-*

mone. (Ap. Ioan. Damaso. Sacr. Parali. Tit. 46. P. G. Tom. 95. col. 1254-55).

Qua de causa grave professoribus onus incumbit, dum eiusmodi proscriptos libros et non castigatos auctores adoptare iubentur, adolescentes monendi, ne ea legant quae in illa, vel in illa alia libri pagina continentur, ut a nefandis illis caveant, eaque mente et animo detestentur. Ita ingruenti malo repagulum aliquod apponent, et optime munere suo fungentur. Meminerint demum solere adolescentes existimatione et reverentia professores illos complecti, quos noverint ab iniquitate abhorrere, deque bonis adolescentium moribus sollicitos, unice ea tradere quae divinae legi sunt conformia; solitos esse e contra contemptui habere atque detestan professores illos, quos corruptos et corruptores noverint. Neque hi gaudeant quod ea temporis hora non paucos fortasse adolescentes subridere videant, et professorum improbitatem plausibus excipere; eiusmodi enim plausibus reflexio et consideratio succedit, huic autem perpetua detesta tio.

Hi tamen magistri quamvis graviter peccent, nulla latae sententiae poena tenentur, cum nulla in Leonis XIII Constitutione pro eiusmodi scelere irrogata fuerit. Possunt tamen ob constituta in § 49 graviter ab Episcopis moneri, et poenis etiam canonicis coerceri, si id opportunum iudicaverint.

49. *Detrahere* idem non est ac blasphemare, aut dogmata ab Ecclesia definita negare, quamvis ad blasphemiam et haeresim eiusmodi scelus facillime reducatur; sed est, *dictis alicuius famam et existimationem, denigrare, aut eam obscurare.*

Qua de causa Deo detrahit qui ex. gr. ex malis quae in mundo sunt et contingunt, eius providentiam, sapientiam, omnipotentis m non esse plane perspectam, aut concipi posse Deum sapientiorem, providentiorem, potentiorem scribere non veretur. Aut Redemptionem a Christo peractam Deo non plane dignam traducat, cum adhuc a diabolo vexemur, plurimarum passionum cumultibus obruamur, multasque animas adhuc in aeternum perire, ipsis viris catholicae Ecclesiae fatentibus. Aut Christum dicat ea egisse opera quae hominem sapientem dedeceret; ex. gr. ex quo ementes et véndenles e templo eiecerit, eum veluti mentecaptum traducat; vel ex quo ante passionem suam coeperit taedere, pavere et moestus esse, eum vilioris et timidioris animi fuisse scribat etc.

Detrahit vero Beatae Virgini Mariae, qui vel eius famae integritatem in dubium revocat,.aut ex quorumdam apochryphorum somniis, eius nativitatem, annuntiationem, praesentationem cum S. Iosepho coniugium diiudicat et irridet; aut dicit eam esse ut ceteras mulieres habendam, aut a christianis invectam ad Ethnicorum similitudinem, qui uti Deos, ita Divas colebant, eamque idcirco christianos ita exaltasse, ut gentiles ad fidem conversi etiam in Ecclesia catholica reperirent Cibelem matrem Deorum; et alia huiusmodi.

Sanctis autem detrahit qui vel eorum virtutes extenuare nititur, vel illustria et singularia dona, quibus eos Deus cumulavit, phantasiae et imaginationis aestui affirmât esse tribuenda, ex. gr. visiones, revelationes, prophetias, sacra Stigmata etc., vel Sanctorum aliquot sana mente fuisse destitutus, et ea egisse quae ab hominum gravitate, et gradus quem gerebant dignitate plane abhorrèrent, aut demum sanctorum canonizationes similes esse gentilium apotheosibus, quibus inter divos mortuos homines referebant, etc.

Catholicae Ecclesiae detrahunt, qui, ex. gr. ex quo non pauci in ea homines pessimi reperiantur, multaque committantur scelera, per antiphrasim sanctam vocari dicunt, aut eam veluti Romanorum Pontificum ancillam et captivam traducunt, in qua, scilicet, nulla sit spiritus libertas, in eaque ingenii alacritatem obtundi et plane corrumpi; vel eam corrupisse Christi doctrinam et propriis sensibus accommodasse, aut sententias et dogmata retinere plane ab Evangelio difformes etc.

Antequam de detractoribus cultus Ecclesiae catholicae aliquid statuatur, inquirendum est quo sensu hoc in loco eiusmodi vocabulum sit accipiendum; potest enim sumi pro ea reverentia atque animi submissione quam Ecclesiae catholicae singuli, saltem fideles, debent; vel pro variis actionibus sacris, seu liturgicis, quae in honorem Dei, B. Mariae Virginis, Sanctorum, aliisque de causis, in Ecclesia catholica peraguntur. Primo sensu acceptus *Cultus* definitur : *Honor eum submissione ;* seu: *Testimonium excellentiae alienae et stibmissionis propriae:* quae excellentia tum personis, tum societatibus competere potest: Ecclesia vero catholica quibuslibet societatibus praestat, cum et divinitus sit instituta, atque a Christo Domino illis cumulata praerogativis, quibus humanae societates, atque reliquae sectae religiosae destituuntur. Alio sensu *Cr/ltus* est *completio sacro-*

rum rituum qui in Ecclesia catholica ob varias rationes adhibentur.

Arbitramur post haec *Cultus* vocabulum primo sensu esse accipiendum, atque libros prohiberi qui Ecclesiae catholicae excellentiae et auctoritati detrahunt, non illos qui cultui detrahunt prout constat variis ritibus liturgicis. Atque ad ita iudicandum movemur I° ipsius vocabuli natura quod absolute sumptum significat *testimonium excellentiae alienae et submissionis propriae, 2°* ex quo, si hic dematur, nullus est cultus Ecclesiae catholicae; etenim ei competere non potest cultus liturgicus, 3° quia cultus liturgicus semper adhibetur cum addito: *sacer cultus, cultus divinus, Beatae Mariae Virginis, cultus sanctorum;* 4° ex scribendi ratione ab legislatore adhibita: etenim prohibentur libri, quibus nedum Deo, et Ecclesiae cultui, sed etiam. sacramentis detrahitur; porro si sub cultus vocabulo venirent etiam ritus sacri, quibus varia in Ecclesia instituta ministeria perficiuntur, venirent etiam sacramenta; consequenter haec singillatim non erant exprimenda, ne vitium illud committeretur: *Bes definienda sub respectu quo definitur definitionem minime ingrediatur :* esset enim circulus vitiosus; dicendus est ergo legislator distinctionem utriusque cultus, implicite saltem indicasse; atque de primo, prout importat reverentiam atque animi erga catholicam ecclesiam submissione, non de liturgico loqui voluisse; 5° demum ex comparatione cum veteri iure; etenim haec nova dispositio desumpta est ex Decr. § II n. 13, quo loco prohibentur *Pasquali omnes, etiam manuscripti, omnesque conscriptiones, in qr/ibr/s Deo, aut Sanctis, aut Sacramentis, aut catholicae Ecclesiae, et eius cultui, aut apostolicae sedi quomodocumque detrahitur.* Pasquilli autem, vulgo Pasquinate, sunt *libelli famosi, carmina famosa et probrosa idcirco confecta, rit laedatur fama sive personarum, sive eorporationum aut societatum, nec raro ipsorum Romanorum Pontificum.* Cum igitur novus legislator* nihil innuerit, quo se a veteris legis sensu recessisse suspicemur, de cultu prout importat reverentiam et animi submissionem propter excellentiam Ecclesiae catholicae eum locutum fuisse arbitrari debemus.

Post haec Ecclesiae catholicae cultui detrahunt, qui ei quamlibet supra alias humanas societates praestantiam denegant, leges, decreta, traditiones in ea existentes nulla muniri auctoritate, atque a diabolo profecías esse blaterant: qui Ecclesiam ea-

tholicam per irrisionem Papisticara appellant, aut eam esse dicunt vitiorum omnium et peccatorum sentinam, legum promulgatricem et conculcatricem, et alia huiusmodi, quibus universi ab obedientia ei debita praestanda cohibeantur.

Sacramentis detrahunt qui ea traducunt veluti incantationes quasdam, atque mágicas imitationes quae nihil in se divini contineant, ritusque esse plane ab hominibus invectos atque superstitiosos, vel ea originem duxisse ex septem capitibus bestiae apocalipticae XVII, 3, etc.

Per Apostolicam Sedem hoc in loco non veniunt Romani Pontifices singillatim sumpti, sed ipsa Apostolicae Sedis auctoritas et iura veniunt. Qua de causa dicendi non sunt apostolicae Sedi detrahere qui huius aut illius Pontificis gesta et actiones, quamvis iniuste, carpunt, cum nec individui Petri successores constituant Sedem Apostolicam, nec illorum gesta, siquidem minus recta, aliquo pacto ad Sedem Apostolicam referantur si autem praeclara et in bonum Ecclesiae acta, ex auctoritate quidem et iuribus Apostolicae Sedi inhaerentibus processerint, at minime Sedem Apostolicam constituant. Illi ergo apostolicae Sedi detrahere dicendi sunt qui Romanam Petri cathedram aut ambitione scribunt sibi primatum super alias Ecclesias arrogasse, aut fraudibus potestatem ampliasse suam, ex. gr. falsis decretalibus Isidori mercatoris; aut avaritia et simoniaca la>be contaminari, aut per summam nequitiam potestatem sive directam sive indirectam in temporalia principum exercuisse; aut eam Apostolicam frustra vocari, cum per multos pseudo pontifices successio apostolica fuerit interrupta, aut institutis Christi abhorrere, nullamque sanctimoniam, nisi verbo tenus, praeseferre, aut corrogandae pecuniae causa, aut ambitu exercendae potestatis, tum maiores, tum alias innumeras sibi reservasse causas, et Episcoporum auctoritatem ad nihilum fere redegisse, etc.

Sed quaeritur: an haec detractio ex professo instituenda sit, an sufficiat ut obiter fiat quo libri proscripti habeantur?

Et quidem putandum est, per obiter dicta hos libros interdicto non subiacere. Legislator profecto quilibet sibi cohaerere supponendus est, neque velle diverso criterio in eadem lege promulganda uti. At constat I° eum humanitatem in hisce regulis sanciendis, non rigorem adhibere velle, quo plurimorum conscientiae consulat ; constat 2° eum statuisse § 4 non esse

iure ecclesiastico prohibitos habendos acatholicorum libros qui fidei veritates obiter attingunt, neque paragraphis 9-10 libros qui de inhonestis obiter tractant. 3° Atque in hac ipsa paragrapho libros prohibet qui *data opem* non obiter, ecclesiasticam Hierarchiam etc. probris afficiunt. 4° Addendum vix concipi detractiones contra Deum, Virginem, Sanctos etc. nisi ex instituto fiant; obiter enim dicta potius blasphemiis aequipollent. 5° Ipsa loquendi ratio a Legislatore adhibita id innuere videtur; etenim damnat libros, in quibus Deo, Beatae Virgini, Sanctis etc. detrahitur; porro libri indicantur vel ex obiecto principe vel ex materia quae in libro sit notabilis. 6° Addendum solere legisla, torem in hac ipsa Constitutione mentem explicare suam, cum vult libros indicare ex alio obiecto quod princeps non sit; ex. gr. § 4 : *Libri eorumdem auctorum qui de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt.*

Quod si haec aliquibus solida non videantur, id erit tamen solidissimum, non constare scilicet, an rigoroso vel lato et mitiori sensu huius legis praescriptio sit accipienda; in dubio autem de legis poenalis sensu, quod minimum esse sequendum universi noverunt; consequenter illi standum esse sententiae qua asseritur eiusmodi detractiones contra Deum, Virginem, Sanctos etc. ex instituto fieri debere, non obiter.

Sed 2° eidem improbationis iudicio subiacent *ea opera, in quibus inspirationis S. Scripturae conceptus pervenitur aut eius extensio nimis coarctatur.*

Inspiratio divina est *singularis ea Spiritus Sancti moventis ad scribendum impulsio, directio ac praesentia mentem animumque scriptoris gubernans, quae errare non sinit, efficitque ut scribat quae velit Deus.* (Marchini).

Importat igitur positivum influxum Spiritus Sancti, quo homo excitatus et illustratus veritates ipsas vel sensa scribit quae in mente divina versantur, quasque vult Deus hominibus revelari et proponi, ut eas vel cognoscant si rationis captum excedant, vel firma certitudine, et nullo admixto errore cognoscant, ut Patres Concilii Vaticani definiere sess. III. Cap. II de Revelatione.

Ipsi Patres Vaticani sententias, quibus inspirationis divinae conceptus pervenitur recensuere, dum eodem Cap. II dixerunt: *Qui quidem Veteris et Novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii* (T'ridentini) *decreto*

recensentur, et in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quia sola humaría industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec *ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant: sed propterea quod Spiritu Saneto inspirante conscripti Deum habeant auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.*

Igitur inspirationem divinarum Scripturarum illi pervertunt, qui dicunt libros quidem sacros humana industria fuisse conscriptos, divinam tamen auctoritatem adeptos quod Ecclesia illos deinceps probaverit, et in Canonem librorum sacrorum intulerit; qua in sententia inspiratio divina sacrorum librorum prorsus destruitur, cum Ecclesia efficere non possit ut Dei verbum et eloquium sit quod numquam fuit.

Similiter divinum inspirationis conceptum perverterent illi qui affirmarent, libros humana prorsus industria conscriptos divinos evadere posse, si Spiritus Sanctus testetur nullum in illis errorem contineri; etenim eiusmodi testimonium utique nos certiores efficeret de qualibet ab erroribus immunitate, non autem de divina inspiratione quae plane abfuit.

Pervertunt etiam illi qui divinam inspirationem ad simplicem Dei adsistentiam limitant, qua scriptores sacri ab erroribus immunes fuerunt. Hac enim in hypothesi Spiritus Sanctus ita agiographis adstitisset, sicut aut Patribus in Conciliis oecumenicis congregatis, aut Romanis Pontificibus aliquid de fide definientibus adsistit. In qua pariter sententia inspirationis conceptus pessumdatur, cum haec adsistentia unam inducat ab erroribus immunitatem, non autem indicet Spiritus Sancti suggestionem directionemque ut auctor scribat quae velit Deus. Adsistentia enim illa mere negativa est, cum Deus nihil inspiret aut suggérât, sed unice in iis scribendis quae aliunde cognovit scriptorem ab errore praeservat. Hi quapropter auctores confundunt inspirationis cum infallibilitatis conceptu. Cuius tamen sententiae, praeter alios, fuit etiam doctissimus Calmet. (Cf. Ubaldi Introd. in Script. Vol. II. 26).

Illi quoque pervertunt qui directionem quamdam Spiritus Sancti concomitantem quidem admittunt, attamen si necessitas postulet; quo in conceptu nec universi Sacrae Scripturae libri inspirati dicendi sunt, neque patescit quaenam partes fuerint inspiratae, cum plerumque nesciamus quibus in locis necessaria

fuerit Agiographo Spiritus Sancti directio, et in quibus reapse intercesserit; ita ut hac in sententia hominum arbitrio relinquatur {definire quaenam Sacrae Scripturae partes inspiratae fuerint, quaenam non; quod innumeris quaestionibus viam aperit.

Attamen nedum haec, sed etiam illa proscribuntur opera, in quibus inspirationis *extensio nimis coarctatur.*

Et ut de recentibus tantum loquamur, Parry secta Episcopalis negat ad omnes S. Scripturae partes divinam inspirationem extendi; Horne autem in sua Iotroductione ad studium criticum Sacrarum Scripturarum inspirationem ad hoc tantum limitat, ut in rebus ad fidem et mores pertinentibus S. Scriptura reddita a gravioribus erroribus immunis fuerit; dum alii, ut Paley, illa tantum divinarum Scripturarum loca inspirata esse contendunt, quibus Christus divinam inspirationem manifeste tribuit. Atque anno 1863 Supremum Tribunal Ecclesiae Anglicanae sufficere ad fidem inspirationis pronunciavit, ut quis profiteatur omnes libros canonicos, saltem ex aliqua parte inspirâtes esse. (Ubaldi ibid. pag. 17).

Sed etiam inter catholicos fuere qui divinam inspirationem nimis coarctarunt; dum eam in iis admiserunt quae ad doctrinam referuntur, vel aliquem ad eam respectum habent, non in ceteris quae Scriptoris institutum non attingunt. Atque errorem hunc propugnavit Henricus Holden Doctor Sorbonicus in sua *Divina Fidei Ancdysi, lib. 1. Cap. V.* his verbis : *Auxilium speciale divinitus praestitum auctori cuiuslibet scripti, quod pro verbo Dei recipit Ecclesia, ad ea solummodo se porrigit quae vel sint pure doctrinalia, vel proximum aliquem aut necessarium habent ad doctrinalia respectum. In iis vero quae non sunt de instituto scriptoris, vel ad alia referuntur, eo tantum auxilio Deum. illi adfuisse iudicamus, quod piissimis ceteris auctoribus commune sit.* (Ubaldi loc. cit. pag. 28).

Haec autem minime cohaerent cum iis quae post concilium Tridentinum Vaticani Concilii Patres statuerunt Can. IV de Revelatione. *Si quis Sacrae Scripturae libros integros eum omnibus suis partibus, prout illos S. Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, anathema sit.* Qua definitione statuitur singularis Spiritus Sancti, atque positivus influxus in omnes S. Scripturae libros eorumque partes, ita ut assistentia mere nega-

uva, aut carentia inspirationis quoad aliquos libros, aut librorum partes penitus excludatur *(a).*

Exinde vero nemo inferat, sub eiusmodi paragrapho illos etiam comprehendi, qui negarent omnes prorsus et singulas Sacrarum Scripturarum res atque sententias sub divina inspiratione scriptas fuisse: id enim difficillimae probationi subiaceret; atque exemplo sit computatio Hebraeorum qui in Aegyptum cum Iacob commigrati sunt, quos quidem Stephanus *Actor. VII. ii* septuaginta quinque fuisse dixit: *Mittens autem Ioseph, accersivit Iacob Patrem suum, et omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque ;* Moyses e contra scripserat septuaginta fuisse. *Omnes animae domus Iacob, quae ingressae sunt in Aegyptum, fuere septuaginta.* Quod confirmatum legimus in Deuteronomio. *In septuaginta animabus descenderent Patres tui in Aegyptum.* (X. 22). Impossibile autem est ut Spiritus Sanctus utrumque numerum inspiraverit.

Sed 3° in hac paragrapho prohibentur quoque libri *qui data, opera Ecclesiasticam Hierarchiam aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.*

Qua in legis dispositione advertendum est, sermonem non esse de iis libris, quibus negatur existentia vel Ecclesiasticae Hierarchiae vel aliorum ordinum maiorum et minorum, aut perfectio status religiosi; hi enim haeretici, saltem quoad priora capita essent, et sub Capite I° comprehenderentur; contradicerent enim iis quae sess. XXIII Canonibus II et VI Concilium Tridentinum definivit: *Si quis dixerit: praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines et maiores et minores, per quos veluti per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur; anathema sit. Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, praesbyteris et ministris; anathema sit.*

Illi ergo Scriptores plectuntur qui has institutiones probris,

(a) Profecto inspirare, iuxta vim nominis, idem est ac *spirare in* **aliquem; ideoque dicit realem actionem quae ab uno transit in alium; textus paralleli S. Scripturae hoc evidenter demonstrant, sicut etiam demonstrant Patres et Ecclesiae sententiae cum de inspiratione locuti sunt. Cum ergo tum Tridentini, tum Vaticani Patres definierint, universos Sacrae Scripturae libros cum omnibus suis partibus esse inspiratas, et idcirco sacros esse et canonicos, necessario in omnibus Sacrae Scripturae libris eorumque partibus haec realis Spiritus Sancti actio est admittenda. Et non intelligimus quomodo eiusmodi definitiones emolliri possint atque extenuari.**

contumeliis, irrisionibus appetunt, ad instar illorum qui Deo, Beatae Mariae semper Virgini, Sanctis etc. detrahunt.

Neque obiiciatur, hos homines plane haereticos esse; si enim crederent probris non afflcerent. Etenim I°. nonne plurimi sunt homines qui Deum, Virginem, Sanctos blasphemiis appetunt? Attamen credunt; difficultas ergo nimis probat. 2° Quis posset status praedictos atque ecclesiasticam Hierarchiam alia de causa probris afficere; ex. gr. si diceret, Ecclesiasticam Hierarchiam ambitioni viam aperire, statum religiosum otio, clericatum ambitioni, avaritiae, superbiae etc. (atque de hisce probris putandus est loqui legislator noster), hic dogmata ab Ecclesia definita externe non negaret, quidquid demum animo concipiat; sed ea potius reprehenderé videtur vitia, quibus aliquando status Ecclesiasticus sive saecularis sive regularis turpatus est atque turpatur; et in hoc errant et peccant quod statui et institutioni tribuant id quod singularibus personis tribuendum est, atque nonnullorum, facta ad universos extendant ; quod irrationale est atque iniustum.

Attamen ut hi libri prohibitioni subiaceant, *data opera,* Ecclesiasticam Hierarchiam, statum Clericalem vel religiosum probris impetere debent; qua de causa ex instituto, ex praeconcepta animi malitia, et in non modica libri parte, non *incidenter* aut *obiter,* nullus enim liber vere et proprie dici potest *data opera, ex instituto,* vel *ex professo* aliquid impetere, aut de aliqua re tractare, nisi illud sit aut speciale libri obiectum, aut pars non mediocris.

Advertendum deinde est, non esse confundendam Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem, vel religiosum cum singularibus personis. Qui singulares personas probris impetit, libellum quidem famosum conficit, earum tamen statui non detrahit. Ita si qui paucissimos e Romanis Pontificibus qui Apostolicam Sedem dehonestarunt potius quam rexerunt, aut aliquot Episcopos, presbyteros etc. qui non ambularunt ea vocatione qua vocati erant, contumeliis prosequatur, hi dicendi non sunt ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficere. Nec illi eiusmodi culpa maculari dicendi sunt, qui ex historia saeculorum ex. gr. decimi vel undecimi Ecclesiae affirmarent, Clerum illa aetate non ea vitae sanctimonia praefulsisse quae decebat, quin etiam simoniaca labe fuisse infectum etc.; haec enim historiarum monumentis constant; certum est

enim, post inductas praesertim investiduras utrumque Clerum adeo depravatimi fuisse, ut miraculo fere sit adscribendum, si ex eo vitiorum coeno sese eripuerit; hi de cetero scriptores vitia illarum aetatum lamentantur, non statum clericalem aut religiosum impugnant; qua de causa sub legis praescripto non cadunt. Attamen si arrepta occasione ex medii aevi pravitatibus, ad ipsum statum clericalem aut religiosum, aut ecclesiasticam Hierarchiam ipsam probris, contumeliis, irrisionibus impetendam assurgerent, quod plerisque insolens non est, legis prohibitione tenerentur; etenim contra legis praescriptum peccant, et quidem spreto rationis ipsius dictamine; ex quo enim mali fuerint Sacerdotes, Episcopi non pauci, atque pauci Romani Pontifices recensitis saeculis, non sequitur malum esse statum Hierarchicum, Clericalem, religiosum.

Quid si scriptor aliquis plurimos Romanos Pontifices, atque plurimos Episcopos probris lacessat, atque illos etiam quos in album Sanctorum Ecclesia retulit?

Respondendum legis praescripto non affici; legislator enim ilios plectit qui data opera ecclesiasticam Hierarchiam, statum Clericalem aut religiosum probris afficiunt, non singulares personas, quamvis plurimae et ad ingentem numerum assurgant, ideoque illos plectit qui ipsas institutiones impetunt; et cum lex sit odiosa stricto est semper sensu accipienda, neque de casu in casum extendenda.

Ob eamdem rationem neque ille sub praescripto legis cadit, qui aliquem ordinem religiosum; ex. gr. Ordinem S. Dominici, ant Societatem Iesu probris afficiat; hic enim non ipsum statum religiosum, sed singulares ordines ob particulares rationes contumeliis appétit. Hinc il *Gesuita moderno* Vincentii Gioberti sub eiusmodi legis praescripto non comprehenditur, quamvis iustissimum opus illud condemnationem promeritum sit.

50. *Sortilegium* est divinatio per sortes, inquisitio scilicet futurorum et occultorum ex actione aliqua, v. gr. taxillorum aut alearum iactu, fortuita alicuius libri aperitione, festucarum combinatione aequali vel inaequali etc. idcirco posita, ut inde futura et occulta praevideantur vel arguantur.

Divinatio, quae est genus omnium superstitionum, etiam sortilegii, est tacita vel expressa daemonis invocatio ad cognoscenda contingentia et libere futura, vel aliter occulta atque ho-

minibus impervia; et expressa quidem est, si daemon prolatis verbis invocetur, tacita si mediis ad finem obtinendum ineptis quis utatur. Multiplices divinationum species legantur apud S. Thomam 2. 2. Q. 95. Art. 3, atque apud Theologos morales.

Magio definitur ars mirabilia opera vires humanas prorsus excedentia producendi ex pacto implicito vel explicito cum daemone.

Evocatio Spirituum in eo consistit ut determinatae defunctorum animae, ad nutum praecipientis, videantur coram spectatoribus sistere, et ad eorum interrogata respondere. Attamen nedum vocantur defunctorum animae, sed aliquando etiam spiritus boni, et aliquando etiam daemones.

Antiqua est eiusmodi ars, quae suo nomine recte appellabitur impietas; atque ut exempla et testimonia quae ex veteri testamento peti possent, silentio praetereamus, Tertullianus Apologet, cap. 23 de hisce praestigiis ita loquitur: « Si et magi phan-« tasmata edunt, et iam defunctorum infamant animas (a); si « pueros in eloquium oraculi elidunt, si multa miracula circu-« latoriis praestigiis ludunt, si et somnia immittunt habentes « semel invitatorum angelorum et daemonum adsistentem sibi « potestatem, per quos et caprae et mensae *(b)* divinare con-« sueverunt. » (P. L. I. 470-471).

Adamantius Origenes similiter lib. 1. contra Celsum, n. 68 de quibusdam ludionibus Aegyptiis loquens inter alia scribit quod *heroum animas evocant.* (P. G. XI. 787).

Nostro aevo, eiusmodi nomina, si evocatio spirituum excipiatur, in desuetudinem abierunt, quamvis res nominibus significatae eaedem manserint; nunc enim mirabilia omnia patrantur ope magnetismi, ad quem hypnotismus reducitur *(c),* atque spiritismi. Cum igitur tantopere eiusmodi artes invaluerint, ita

(u) **Id est** *infamare* **animas defunctorum, quando fortium et praestantium virorum umbrae ad libitum ¡mpurissimae veneficae excitantur, vel excitari simulantur.**

(b) **Capras primum oraculum fecisse Delphis scribit Diodorus lib. XVI; mensae etiam ad eamdem divinalionem adscitae sunt a gentilibus et opera daemonum iocutae. Virg. II. Aeneid.:** *Huc undique Troja gaza Incensis erepta adytis, mensaeque Deorum.*

(c) **Vocatur hypnotismus a somno in aegros immisso sive tactu, sive sono, sive vocis imperio, sive oblato speculo, sive oculorum obtutu. Atque in somno triplex status distinguitur:** *lethargicus,* **quo sensus recedit;** *catalecticus,* **quo recedit motus vol iniarius membrorum;** *somnamb oticus,* **quo patiens,** *sui prorsus immemor,* **percipit, sentit, et exequitur quidquid agens praecipit. Cf. la Civiltà Cattolica.**

ut in publicis conventibus, societatibus, ipsisque plateis et viarum angulis exerceantur, quid de iis Ecclesiasticae auctoritates vel scriptores peritissimi sentiant referendum est. Atque relate ad magnetismum praestabit referre epistolas encyclicas datas ad omnes Episcopos a Suprema Romana Inquisitione anno 1856. Ita porro se habent.

« Feria IV. die 30 Iulii 1856. In Congregatione generali S. R. « et universalis Inquisitionis habita in conventu S. Mariae supra « Miner vam, Emi ac Rmi DD. Cardinales in tota republica chri- « stiana adversus haereticam pravitatem generales inquisitores, « mature perpensis iis, quae circa magnetismi experimenta a « viris fide dignis undequaque relata sunt, decreverunt edi prae- « sentes litteras encyclicas ad omnes Episcopos, ad magnetismi « abusus compescendos. Etenim compertum est novum quod- « dam superstitionis genus invehi ex phenomenis magneticis, « quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed « decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, « rati, posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte « vel praestigio, praesertim ope muliercularum, quae unice a « magnetizatoris nutu pendent. Nonnullae iam hac de re a S. Se- « de datae sunt responsiones ad particulares casus, quibus re- « probantur tamquam illicita illa experimenta, quae ad finem « non naturalem, non honestum, non debitis mediis adhibitis « assequendum ordinantur; unde in similibus casibus decretum « est Feria IV, 21 Aprilis 1841 : *Usum magnetismi, prout expo- « nitur, non licere.* Similiter quosdam libros eiusmodi errores « pervicaciter prohibendos censuit S. Congregatio. Verum, quia, « praeter paticulares casus, de usu magnetismi generatim agen- « dum erat, hinc per modum regulae sic statutum fuit Feria IV, «28 Iulii 1847: *Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut « implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus « actus adhibendi media physica aliunde licita, non est mora- « Uter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut « quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum et me- « diorum pure physicorum ad res et effectus vere superna.tu- « rales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino « illicita et haereticalis.* Quamquam generali hoc decreto satis « explicetur licitudo aut illicitudo in usu aut abusu magnetismi, « tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio « scientiae, potius curiosa sedantes magna cum animarum

« iactura, ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi, divi-
« nandique principium quoddam se nactos glorientur. Hinc
« sonnambulismi et clarae intuitionis, uti vocant, praestigiis
« mulierculae illae gesticulationibus non semper verecundia
« abreptae, se invisibilia quaeque conspicere effutiunt, ac de ipsa
« religione sermones instituere, animas mortuorum evocare,
« responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id
« genus supersticiosa exercere ausu temerario praesumunt, ma*
« gnum questum sibi ac dominis suis divinando certo consecu-
ta turae. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel
« illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non na-
« turales, reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis, et
« scandalum contra honestatem morum. Igitur ad tantum nefas,
« et religioni et civili societati infensissimum, efficaciter cohi-
« bendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo,
« vigilantia et zelus Episcoporum omnium. Quapropter quantum
« divina adiutrice gratia poterunt locorum Ordinarii, qua pater-
« nae charitatis monitis, qua severis obiurgationibus, qua demum
« iuris remediis adhibitis, prout, attentis locorum, personarum
« temporumque adiunctis, expedire in Domino iudicaverint,
« omnem impendant operam ad huiusmodi magnetismi abusus
« reprimendos et evellendos, ut dominicus grex defendatur ab
« inimico homine, depositum fidei sartum tectumque custodia-
« tur, et fideles sibi crediti a morum corruptione praeserventur.
« Datum Romae in Cancellaria S. Officii, apud Vaticanum, die
« 4 Augusti 1856. - V. Card. Macchi ».

Suprema igitur Inquisitio minime Magnetismum damnavit quatenus est, vel consideratur causa physica effectuum physicorum, remoto quolibet superstitionis periculo et morum honestate servata; sed quatenus ex eo haberi praesumuntur effectus qui vires humanas excedant, ut est spirituum evocatio et apparitio etc. Nemo tamen exinde inferat effectus physicos ex legitima causa procedere; cum enim utrique effectus ex iisdem magnetizati statibus procedant, gravis adest suspicio, ne universum systema daemonum fraudibus et astutiae sit attribuendum.

Post haec, ut latum decretum nostrae quaestioni applicemus, cum suprema Inquisitio affirmaverit *usum magnetismi, nempe meram actum adhibendi media physica aliunde licita, non esse moraliter vetitum, dummodo non tended ad finem illicitum aut*

quomodolibet pravum; hinc examinandum est, an libri qui de magnetismo vel eius effectibus tractant, doceant vel commendent simpliciter haec media physica, et effectus ex iis naturaliter procedentes; aut etiam commendent et doceant magnetismum veluti causam aut medium obtinendorum aliorum effectuum qui ex causa physica nullimode obtineri possunt; in primo casu libri sub praesenti paragrapho non cadunt, in alio uti proscripti habendi sunt, quia usus magnetismi ad donationem et magiam pertinet.

Quantum ad spiritismum attinet, haec ab auctoribus exscribimus.

Spiritismus est plena evolutio magnetismi animalis. Ortum habuit hoc saeculo in America Septentrionali. Spirituum manifestatio duplici modo contingit, I° *per mensas rotantes;* manibus scilicet adstantium se invicem et mensam aliave instrumenta mobilia tangentibus, aut etiam solo iussu, mensa incipit circumire, nonnullis ictibus conventionalibus responsa interrogantibus praebere, scribere ope graphii ipsi suppeditata, ac in loco abscondito repositi, harmónicos concentus edere, et alia multa.

Respondent porro ut plurimum de rebus plane occultis, absentibus, futuris, praecipue de religione, de statu alterius vitae etc. 2° Per *media,* seu *mediatores;* tales vocantur viri ac mulieres, quorum iussu spiritus directe evocantur, in mensis aliisque mediis se praesentes sistunt eorumque ac adstantium quaestionibus satisfaciunt. Porro fingunt se modo esse angelos, et archangelos, quandoque sanctos, ipsamque Virginem Mariam, imo et Christum ipsum, interdum animas defunctorum; demum aliquando se aperte daemones fatentur.

Phaenomena autem eiusmodi daemonibus esse tribuenda ita doctores demonstrant. Phenomena illa vires superare naturae evidens est; sed illorum causa I° non possunt esse angeli boni, cum indignum et probrosum sit illis mensas invadere, ludicris vacare spectaculis, homines iniqua docere, mentiri, decipere; quae omnia in spiritismi phoenomenibus contingunt. 2° Neque possunt esse animae defunctorum; cum hae neque e coelo, neque ex inferno, neque e Purgatorio egredi possint sine speciali Dei facultate; non est autem supponendus Deus hanc facultatem defunctorum animabus concedere, ut ea vel agant quae in spiriticis conventibus aguntur, vel se praestent *Mediorum* voluntati et imperio; animae ergo quae apparent, verae

defunctorum animae dici nequeunt/ 3° Quid ergo superest nisi ut dicamus animas illos esse daemones? quod de cetero ostendunt inanitas phoenomenorum, mendacia spirituum, eorum horror a rebus sacris, doctrinae falsae, contradictoriae, impiae et immorales, quas tradunt; non existere, scilicet, infernum, aut eum non esse aeternum, scelestissimos quoslibet salvos fieri post purgationem, religiones omnes esse inutiles, et alia huiusmodi.

Atqui eiusmodi facta, quae negari non possunt, evidentissime ostendunt spiritismum neque Deo, neque naturalibus viribus tribui posse; consequenter systema esse omnino impium, quod honesti quilibet abhorrere debent; facta de cetero quae ex eo exurgunt eadem esse quae a paganis, iisdem, vel similibus mediis, obtinebantur; eidem ergo causae tribuenda, divinationi scilicet, magiae, praestigiis. Quamvis ergo Ecclesia nondum circa spiritismi naturam, causasque decretum aliquod promulga verit; tamen cum effectus qui ex eo dimanant christianae religioni, et ipsius rationis naturalis principiis contradicant, iidem vero sint, ut diximus, ac illi qui a paganis pithonibusque obtinebantur, atque a Deo ipso in divinis scripturis interdicuntur, nullimode dubitandum est quin libri de spirituum evocationibus tractantes sub praescripto praesentis paragraphi comprehendantur.

Attamen ut comprehendantur, oportet ut *doceant* vel *commendent* eiusmodi superstitiones. *Docere* autem idem est ac regulas tradere, notiones porrigere opportunas, et modum aperire quibus evocatio spirituum, magia, divinatio, sortilegia exerceantur; *commendare* sed vero idem est ac eiusmodi operationes et impia systemata laudare.

Qua de causa, indicta prohibitione non obstriguntur libri illi qui facta simpliciter narrant ex magnetismo, spiritismo, aut aliis recensitis superstitionibus obtenta, si quamlibet instructionem aut commendationem praetermittant; sed neque illi qui eiusmodi systematum exercendorum modos quidem et viam aperiunt, aut etiam docent, attamen ut ea falsa et impia demonstrent. Hi enim ad instar eorum se habent, qui aliorum vel falsa systemata, vel ¡argumenta referunt, ut ea funditus convenant.

Neminem vero latere potest, per verba *aliaeque huius generis superstitiones,* designari alias superstitionum species, quae

affines sunt, et ab expresse nominatis dimanant, quaeque numeratae in Regula IX Tridentina reperiuntur.

51. Hac in paragrapho non proscribuntur libri aut scripta ea de causa quod novae apparitiones, revelationes, visiones, miracula etc. quae continent, falsae sint aut supposititiae, sed quamvis verae, tamen prohibentur, si publicentur absque competentis auctoritatis licentia. Unica igitur proscriptionis ratio est defectus necessariae facultatis pro eiusmodi librorum aut scriptorum publicatione.

Duplici vero parte paragraphus constat; quarum prima agit de novis apparitionibus, revelationibus, visionibus, prophetiis, miraculis, alia de novis devotionibus; idcirco distincte est de iis nobis agendum.

I. Atque quantum ad primam partem attinet, illico quaerendum est: an Leo XIII per hanc paragraphum vetus ius ab Urbano VIII sancitum circa publicationem visionum, apparitionum aliorumque supernaturalium charismatum quae pertinent ad causas Servorum Dei qui in odore sanctitatis defuncti sunt aliquo pacto, sive ampliando, sive immutando tetigerit; an veteri iure intacto dimisso, de aliis visionibus, apparitionibus, charismatibus etc. loquatur, quae ad causas Servorum Dei non pertineant, nullamque cum iis relationem habeant.

Et quidem hoc alterum nobis verum certumque videtur.

I°. Quidem, quia Legislator noster nullam de veteri iure, neque in genere, neque in specie mentionem iniecit; quod facere debuisset, si in aliqua re illud immutare voluisset. Pius Papa IX profecto dum circa censuras latae sententiae ius vetus immutare decrevit, disertissime edixit quomodo et quantum illud immutare desiderabat. At in Constitutione *Officiorum oc mtinerum* ne verbum quidem de immutanda, seu tangenda legislatione circa ea quae ad causas Servorum Dei pertinent, reperire licet.

2°. Quin imo, novus legislator simpliciter edixit, se abrogatum unice velle ius vetus circa censuram et prohibitionem librorum, excepta Constitutione *Sollicita et provida* a Benedicto XIV lata, nullumque aliud praeterea ius, quod ad eam rem non pertinebat: *Ea* (decreta in Constitutione a se lata contenta) *vim legis habere sola volumus, abrogatis regulis Sacrosanctae Tridentinae Synodi iussu editis. Observationibus, Instructione, Decretis, monitis, et qrcovis alio decessorum Nostrorum de re*

statuto iussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV Sollicita et provida, *quam sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus.*

Nequit ergo legislatoris voluntas ad alia extendi statuta et iussa, quae *ad hanc rem* non pertinent:

3° Paragrapho 32 novus Legislator clarissime voluntatem suam manifestat, dum sancit, ea quae ad Causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis sacris ritibus tuendis praepositae publicari non debere. Huius ergo Congregationis iura, et ea quae pertinent ad causas Servorum Dei sarta tectaque servari voluit.

4° Quid! quod de novis revelationibus, visionibus, prophetiis, miraculis unice loquatur; ea vero quae ad Servorum Dei causas pertinent, vel antiqua sint, vel esse possint? Neque aliquo probari potest argumento, Leonem XIII loqui de novis apparitionibus, aliisque charismatibus quae Servi illi Dei, quorum causa penes S. Rituum Congregationem agitur, ediderint.

5° Demum, eodem sensu hoc in paragraphi membro vox *novas* sumenda est ac in sequenti membro *novas devotiones;* sed nemo negaturus erit novas devotiones illas esse, quae antea in usu non fuerunt; ergo eodem sensu erit vox eadem applicanda iis omnibus de quibus in membro praecedenti.

Qua de causa dicendus est summus Pontifex per eiusmodi statutum compescere voluisse effraenem illam supernaturalia quaelibet, sive vera, sive quae vera creduntur, publicandi vesaniam; ex quo contingit ut catholicae religionis hostes risum et contemptum in supernaturalia etiam exploratissima congerant; ecclesiastica autem auctoritas saepe compellatur ad eiusmodi vel compescenda vel aperte condemnanda, ut patet ex iis quae Suprema Inquisitio egit contra Secretum, quod Melania e Calvat traditum a B. V. Maria perhibebatur in monte de la Salette die 19 Septembris 1846, cuius exemplaria suppressit, tum ex iis quae egit contra visiones, revelationes, et prophetias quas contingere undique divulgabatur apud Paroeciam de Loigny in Dioecesi Carnutensi, quas Supremi Inquisitores in decreto lato die 15 Aprilis 1895 vocant *incredibilia deliromenta {a),* et quarum auctores et complices excommunicatione

(«) Acta S. Sedis, XXYTII, 658.

perculerant in decreto lato die 4 Iulii 1894 *(a)*, ut praeter alias, silentio praetereamus apparitionem Sacrae Familiae prope oppidulum vulgo Petrignani Dioecesis assisiensis ante duos annos divulgatane, et apparitionem Virginis dolorosae apud Castrum Petrosum (Castel Petroso), de quarum veritate nullum adhuc prodiit ecclesiasticum iudicium.

Exploratum itaque videtur in praesenti paragrapho non agi de eorum charismatum publicatione quae ad Servos Dei pertinent, quorum causa agitur penes, S. Rituum Congregationem, sed ex iis visionibus, revelationibus etc. quae ex aliis fontibus dimanant, et sine ulla legitimae potestatis licentia publicantur. Qua de causa rem acu non tangeret, qui censeret Leonem XIII in hac paragrapho ampliasse veteris iuris dispositionem, qua cavebatur ne mirabilia Servorum Dei, quorum causa nondum apud S. Rituum Congregationem definita fuit, publicarentur absque approbatione Episcopi, et absque illa duplici protestatione in principio et in fine libri aut scripti inserenda ; prout Urbanus VIII praescripserat tum in Constitutione *Sanctissimus {b)* quam dedit die 13 martii 1625, tum in duobus decretis, mediante Congregatione S. Officii promulgatis; quae omnia legi possunt penes Benedictum XIV *De Servorum Dei Beatificatione* etc. *Lib. II. Cap. XI. nn. 6-9.* Etenim Leonis XIII dispositio nullam ad haec relationem habet.

Quinam ergo erunt legitimi Superiores Ecclesiae, a quibus facultas pro eiusmodi libris scriptisque publicandis petenda erit ?

Non alii profecto quam Episcopi, ceterique locorum Ordinarii in quorum Dioecesi hi libri aut scripta publicantur. His enim a Patribus Concilii Tridentini facultas conceditur nova miracula cognoscendi; *nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoseente et approbante Episcopo {c).* Eiusmodi autem facultate numquam Episcopos fuisse privatos patet ex eadem constitutione *sanctissimus* Urbani VIII, qua Episcopis indulget ut etiam circa Servorum Dei charismata nihil imprimatur, eorum licentia posthabita. *Ac pariter imprimi de cetero inhibuit libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis, sive martyrii fama, vel opinione, td praefertur, celebres e vita, migraverint, gesta, miracula, vel*

(a) **Acta S. Sedis, XXVII, 516.**
(b) **Bullar. Rom XIII, 309.**
(c) Sess. XXV. De Invocat venerat. Sanctorum etc.

revelationes, seu quaecumque beneficia tamquam eorum intercessionem a Deo accepta continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis theologos aliosque pios ac doctos viros in consilium adhibeat; et ne deinceps fraus aut error, aut aliquid novum o.c incardinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem apostolicam transmitted, eiusque responsum expectet. Revelationes vero et miracula, aliaque beneficia supradicta, quae in libris horum hominum vitam et gesta continentibus hactenus sine recognitione atque approbatione huiusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

Hoc ipsum autem praescribitur in protestatione huiusmodi libris publicandis praemittenda.

Demum patet ex paragrapho 35 huius Constitutionis, in qua praescribitur, librorum approbationem, quorum censura nec Apostolicae Sedi, nec alicui e Romanis Congregationibus reservatur, *pertinere ad Ordinarium loci, in quo publici iuris fiunt.* Nemo autem probaturus erit, librorum scriptorumve approbationem, de quibus agitur in praesenti paragrapho, aut ad Sedem Apostolicam, aut ad aliquam Congregationem Romanam privative pertinere.

Ut autem huiusmodi libri vel scripta proscriptioni subiaceant, debent, non obiter, sed ex professo novas apparitiones, visiones etc. narrare; id enim ipse Legislator innuit, dum loquitur de libris aut scriptis quae narrant novas apparitiones, etc. libros scilicet et scripta nominat ex obiecto principe; qua de causa sub lege non comprehenduntur illi qui aliud in libro vel scripto agentes, incidenter etiam has novas apparitiones, visiones, miracula etc. tangunt; neque illi qui libros impressos vel scripta non publica nt quidem, sed uni vel alteri legen d os tradunt, ut eorum sententiam exquirant; publicatio enim importat deferre rei vetitae notitiam ad aures plurimorum ; et in re nostra libros et scripta ita exponere, ut alii libri quilibet exponuntur ; verbum enim *publicentur* hac in paragrapho eodem sensu sumitur ac in aliis capitibus.

Quid ergo ? Censeri ne possunt sub legis praescripto cadere ephemerides, vel diaria publica, si factum aliquod novum, quod naturae transcendat ordinem ad publicam notitiam deferant?

Ad negativam sententiam amplectendam sequentibus ducimur argumentis.

CONSTITUTIO APOSTOLICA Sanctissimi Domini Nostri Leonis Divina Providentia Papae XIII de unitate Ordinis Fratrum Minorum instauranda.

Felicitate quadam nec sane fortuito factum putamus, ut Nobis olim, in episcopatu gerendo, ex omnibus Italiae provinciis una Francisci Assisiensis parens atque altrix Umbria contingeret. Assuevimus enim acrius et attentius de Patre seraphico locorum admonitu cogitare: cumque indicia eius permulta, ac velut impressa vestigia passim intueremur, quae non memoriam eius solum Nobis afferebant, sed ipsum videbantur in conspectu Nostro ponere: cum Alverniae iuga semel atque iterum ascensu superavimus: cum ob oculos ea loca versarentur, ubi editus ac susceptus in lucem, ubi corporis exsolutus vinclis, unde ipso auctore tanta vis bonorum, tanta salus in omnes orientis atque obeuntis solis partes influxit, licuit profecto plenius ac melius cognoscere quanto viro quantum munus assignatum a Deo. Mire cepit Nos franciscana species atque forma: quoniamque intimam franciscanum institutorum virtutem magnopere ad christianam vitae rationem videbamus conduxisse, neque eam esse huiusmodi ut consenescere vetustate possit, propterea in ipso episcopatu Perusino, ad christianam pietatem augendam, tuendosque in multitudine mores probos Ordinem Tertium, quem Nosmetipsi viginti quinque iam annos profitemur, dedita opera restituere ac propagare studuimus. Eumdem animum in hoc apostolici muneris fastigium eamdemque voluntatem ex eo tempore susceptam attulimus. Ob eamque caussam cum non circumscripto, sed ubique gentium eum ipsum Ordinem florere in spem beneficiorum veterum cuperemus, praescripta legum quibus regeretur, quatenus opus esse visum est, temperavimus, ut quemvis e populo christiano invitaret atque alliceret effecta mollior et accommodatior temporibus disciplina. Expectationem desiderii ac spei Nostrae sat implevit exitus.

Verumtamen Noster erga magnum Franciscum et erga res ab eo institutas singularis amor omnino quiddam adhuc postulabat: idque efficere Deo aspirante decrevimus. Animum videlicet studiumque Nostrum nunc convertit ad sese franciscanus Ordo princeps: nec sane facile reperiatur in quo evigilare enixius atque amantius curas cogitationesque Nostras oporteat.

Insignis est enim et benevolentia studioque Sedis Apostolicae dignissima ea, quae Fratrum Minorum familia nominatur, beati Francisci frequens ac mansura sobóles. Ei quidem parens suus, quas leges, quae praecepta vivendi ipse dedisset, ea omnia imperavit ut religiosissime custodiret in perpetuitate consequentem temporum: nec frustra imperavit. Vix enim societas hominum est ulla, quae tot virtuti rigidos custodes eduxerit, vel tot nomini christiano praecones, Christo martyres, caelo cives ediderit: aut in qua tantus virorum proventus, qui iis artibus, quibus qui excellunt praestare ceteris iudicantur, rem christianam remque ipsam civilem illustrarmi, adiuverint.

Horum quidem bonorum non est dubitandum maiorem et constantiorem futuram ubertatem fuisse, si arctissimum coniunctionis concordiaeque vinculum, quale in prima Ordinis aetate viguit, perpetuo mansisset: quia *virtus quanto est magis unita, tanto est fortior, et per separationem minuitur* (1). Quod optime videra t et caverai mens provida Francisci, quippe qui suorum societatem praeclare finxit fundavitque ut corpus unum non solubili compage aptum et connexum. Quid revera voluit, quid egit aliud cum unicam proposuit vivendi regulam, quam omnes sine ulla nec temporum nec locorum exceptione servarent, vel cum unius rectoris maximi potestati subesse atque obtemperare iussit universos? Eiusmodi tuendae concordiae praecipuum et constans in eo studium fuisse, perspicue discipulus eius confirmat Thomas a Celano, qui *assiduum,* inquit, *votum vigilque studium in eo fuit custodire inter fratres vinculum* ***paucis,*** *ut quos idem spiritus traxerat, idemque genuerat pater, unius matris gremio pacifiée foverentur* (2).

Verum satis in comperto sunt posteriores casus. Nimirum sive quod flexibiles hominum sunt voluntates et varia solent esse ingenia in congregatione plurimorum, sive quod communium temporum cursus sensim ac pedetentim alio flexisset, hoc certe usu venit franciscanis ut de instituenda vita communi aliud placeret aliis. Concordissimam illam communionem quam Franciscus spectarat et secutus erat, quamque sanctam esse apud suos voluerat, duae res potissimum continebant: studium voluntariae paupertatis, atque ipsius imitatio exemplorum in

(1) S. Thom. 2. 2. quaest, xxxvii a. 2 ad 3
(2) *Vita secunda,* **P.** III, C CXXI.

reliquarum exercitatione virtutum. Haec franciscani instituti insignia, haec eius fundamenta incolumitatis. At vero summam rerum inopiam, quam vir sanctissimus in omni vita adamavit unice, ex alumnis eius opta vere nonnulli simillimam, nonnulli, quibus ea visa gravior, modice temperatam maluerunt. Quare aliorum ab aliis secessione facta, hinc *Observantes* orti, illinc *Conventuales.* Similiter rigidam innocentiam, altas magniflcasque virtutes, quibus ille ad miraculum eluxerat, alii quidem imitari animose ac severe, alii lenius ac remissius velle. Ex prioribus iis fratrum *Capulatorum* familia coalita, divisio tripartita consecuta est. Non idcirco tamen exaruit Ordo: nemo est enim quin sciat, sodales singularum, quas memoravimus, disciplinarum praeclaris in Ecclesiam meritis praestitisse et fama virtutum.

De Ordine Conventualium, item de Capulatorum nihil omnino decernimus novi. Legitimum disciplinae suae ius, uti possident, ita possideant utrique in posterum. Eos tantummodo hae litterae Nostrae spectant, qui concessu Sedis Apostolicae antecedunt loco et honore ceteros, quique *Fratrum Minorum* merum nomen, a Leone X acceptum (1), retinent. Horum quoque in aliqua parte non est omnium vita consentiens. Quandoquidem communium iussa legum universi observare studuerunt, sed aliis alii severius. Quae res quatuor genera, ut cognitum est, effecit: *Observantes, Reformatos, Eœealceatos* seu *Alcantarinos, Reeollectos:* et tamen non sustulit funditus societatem. Quamvis enim privilegiis, statutis, varioque more altera familia ab altera differret, et cum provincias, tum domos tironum unaquaeque proprias obtineret, constanter tamen omnes, ne principium prioris coagmentationis interiret, obtemperationem uni atque eidem antistiti retinuerunt, quem *Ministrum generalem totius Ordinis Minorum,* uti ius est, vocant (2). Utcumque sit, quadripartita istaec distributio, si maiorum spem bonorum, quam perfecta communitas attulisset, intercepit, non fregit vitae disciplinam. Quin etiam cum singulae auctores adiutoresque habuerint studiosos alienae salutis et praestanti virtute sapientiaque viros, dignae sunt habitae, quas romanorum Pontificum benevolentia complecteretur et gratia. Hoc ex capite vi et fe-

il) **Const.** *Ile et vos* **iv kal. Iun. 1517.**

(2) Leon. X Const. cit. *Ite et vos*

cunditate hausta, ad fructus efferendos salutares et ad prisca franciscanum exempla renovanda valuerunt. Sed ullumne ex humanis institutis est, cui non obrepat aliquando senectus?

Certe quidem usus docet, studium virtutis perfectae, quod in ortu adolescentiaque Ordinum religiosorum tam solet esse severum, paullatim relaxari, atque animi ardorem pristinum plerumque succumbere vetustati. Ad hanc senescendi collabendique caussam, quam afferre consuevit aetas, quaeque omnibus est coetibus hominum natura insita, altera nunc ab inimica vi accessit extrinsecus. Scilicet atrox procella temporum, quae centum amplius annis rem catholicam exagitat, in ipsas Ecclesiae auxiliares copias, Ordines virorum religiosorum dicimus, naturali itinere redundavit. Despoliatos, pulsos, extorres, hostiliter habitos quae regio, quae ora Europae non vidit? Permagnum ac divino tribuendum muneri, quod non excisos penitus vidimus. Iamvero duabus istis coniunctis caussis plagam accepere nec sane levem: fieri enim non potuit quin duplicato fessa incommodo compago fatisceret, quin vis disciplinae vetus, tamquam in affecto corpore vita, debilitaretur.

Hinc instaurationis orta necessitas. Nec sane defuere in Ordinibus religiosis qui ea velut vulnera, quae diximus, sanare, et in pristinum statum restituere se sua sponte ac laudabili alacritate conati sint. Id Minores, etsi magnopere vellent, assequi tamen aut aegre aut nullo modo possunt, quia desideratur in eis conspirantium virium cumulata possessio. Revera praefecturam Ordinis gerenti non est in omnes familias perfecta atque absoluta potestas: certa quaedam eius acta et iussa repudiari privatae nonnullarum leges sinunt: ex quo perspicuum est, perpetuo patere aditum repugnantium dimicationi voluntatum. Praeterea variae sodalitates, quamquam in unum Ordinem confluunt et unum quiddam aliqua ratione efficiunt ex pluribus, tamen quia propriis provinciis differunt, domibusque ad tirocinia invicem distinguuntur, nimis est proclive factu, ut suis unaquaeque rebus moveatur, seque magis ipsa quam universitatem diligat, ita ut, singulis pro se contendentibus, facile impediantur magnae utilitates communes. Denique vix attinet controversias concertationesque memorare, quas sodalitiorum varietas, dissimilitudo statutorum, disparia studia, tam saepe genuerunt, quasque caussae manentes eaedem renovare easdem in singulos propemodum dies queant. Quid autem perniciosis discor-

dia? quae quidem ubi semel in vetera vit, praecipuos vitae ñervos elidit, ac res etiam florentissimas ad occasum impellit.

Igitur confirmari et corroborari Ordinem Minorum necesse est, virium dissipatione sublata: eo vel magis quod populari ingenio popularibusque moribus volvitur aetas; propterea que expectationem sui non vulgarem sodalitium facit virorum religiosorum ortu, victu, institutis populare. Qui populares enim habentur, multo commodius et aspirare et applicare se ad multitudinem, agendo, navando pro salute communi, possunt. Hac sibi oblata bene merendi facultate Minores quidem studiose atque utiliter usuros certo scimus, si validos, si ordine dispositos, si instructos, uti par est, tempus offenderit.

Quae omnia cum apud Nos multum agitaremus animo, decessorum Nostrorum veniebat in mentem, qui incolumitati prosperitatique communi alumnorum franciscanum succurrere convenienter tempori, quoties oportuit, consuevere. Idem Nos ut simili studio ac pari benevolentia vellemus, non solum conscientia officii, sed illae quoque caussae, quas initio diximus, impulere. Atqui omnino postulare tempus intelleximus, ut ad coniunctionem communionemque vitae priscam Ordo revocetur. Ita, amotis dissidiorum et contentionum caussis, voluntates omnes unius nutu ductuque invicem colligatae tenebuntur, et, quod consequens est, erit ipsa illa, quam parens legifer intuebatur, constitutionis forma restituta.

Duas ad res cogitationem adiecimus, dignas illas quidem consideratione, quas tamen non tanti esse vidimus ut consili Nostri retardare cursum ulla ratione possent, nimirum privilegia singulorum coetuum aboleri, et omnes quotquot ubique essent Minores, de quibus agimus, unius disciplinae legibus aeque adstringi oportere. Nam privilegia tunc certe opportuna ac frugifera cum quaesita sunt, nunc, commutatis temporibus, tantum abest ut quicquam prosint religiosae legum observantiae, ut obesse videantur. Simili modo leges imponere unas universis incommodum atque intempestivum tamdiu futurum fuit, quoad varia Minorum sodalitia multum distarent interioris dissimilitudine disciplinae: contra nunc, cum non nisi pertenui discrimine invicem differant.

Nihilominus instituti et moris decessorum Nostrorum memores, quia res vertebatur gravioris momenti, lumen consilii et prudentiam iudicii ab iis maxime, qui eadem de re iudicare

recte possent, exquisivimus. Primum quidem cum totius Ordinis Minorum legati an. MDCCCLXXXXV Assisium in consilium convenissent, cui praeerat auctoritate Nostra b. m. Aegidius Mauri S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Ferrariensis, perrogari in consilio sententias iussimus, de proposita familiarum omnium coniunctione quid singuli censerent. Faciendam frequentissimi censuerunt. Imo etiam lectis ab se ex ipso illo coetu viris hoc negotium dedere ut Constitutionum codicem perscriberent, utique communem omnibus, si communionem Sedes Apostolica sanxisset, futurum. Praeterea S. R. E. Cardinales e sacro Consilio Episcoporum atque Ordinum religiosorum negotiis praeposito, qui pariter cum S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio christiano nomini propagando Nobis de toto hoc^negotio vehementer assenserant, acta Conventus Assisiensis et omnia rationum momenta ponderanda diligentissime curaverunt, exploratisque et emendatis, sicubi visum est, Constitutionibus novissimis, testati sunt, petere se ut Ordo, sublato familiarum discrimine, unus rite constituatur. Id igitur omnino expedire atque utile esse, idemque cum proposito conditoris sanctissimi cumque ipsa Numinis voluntate congruere sine ulla dubitatione perspeximus.

Quae cum ita sint, auctoritate Nostra apostolica, harum virtute litterarum, Ordinem Minorum, variis ad hanc diem sodalitiis distinctum, ad unitatem communitatemque vitae plene cumulateque perfectam, ita ut unum atque unicum corpus efficiat, familiarum distinctione omni deleta, revocamus, revocatumque esse declaramus.

I. Is, extinctis nominibus *Observantiam, Reformatorum, Eœealceatorum* seu *Alcantarinorum, Reeolleetorum,* ORDO FRATRUM MINORUM sine ullo apposito, ex instituto Francisci patris appelletur: ab uno regatur: eisdem legibus pareat: eadem administratione utatur, ad normam Constitutionum novissimarum, quas summa fide constantiaque ab omnibus ubique servari iubemus.

II. Statuta singularia, item privilegia iuraque singularia, quibus familiae singulae privatim utebantur fruebantur, ac prorsus omnia quae differentiam aut distinctionem quoquo modo sapiant, nulla sunto: exceptis iuribus ac privilegiis adversus *tertias personas:* quae privilegia, quaeque iura firma, ut iustitia et aequitas postulaverit, rataque sunto.

III. Vestitum cultumque eadem omnes forma induunto.

IV. In gubernatione Ordinis universi, quemadmodum unus Minister generalis, ita Procurator unus esto: ita Scriba ab actis unus: honorum caelestibus habendorum Curator unus.

V. Quicumque ex hac die minoriticas vestes rite sumpserint: quicumque maiore minoreve ritu vota nuncupaverint, eos omnes sub Constitutionibus novas esse subiectos, officiisque universis, quae inde consequuntur, adstringi ius esto. Si qui Constitutionibus novis abnuat subesse, ei habitu religioso, nuncupatione votorum, professione interdictum esto.

VI. Si qua Provincia his praeceptis legibusque Nostris non paruerit, in ea nec tirocinia ponere quemquam nec profiteri rite Ordinem liceat.

VII. Altioris perfectionis vitaeque, ut loquuntur, contemplativae cupidioribus praesto esse in provinciis singulis domum unam vel alteram in id addictam, fas esto. Eiusmodi domus iure Constitutionum novarum regantur.

VIII. Si qui e sodalibus solemni ritu professis addicere se constitutae per has litteras disciplinae iustis de caussis recusarint, eos in domos Ordinis sui certas secedere auctoritate nutuque Antistitum liceat.

IX. Provinciarum cum mutare fines, tum minuere numerum, si necessitas coegerit, Ministro generali coniuncte cum Definitoribus generalibus liceat, perrogata tamen DefinHorum Provinciarum, de quibus agatur, sententia.

X. Cum Minister generalis ceterique viri Ordini universo regundo ad hanc diem praepositi magistratu se quisque suo abdicarint, Ministrum generalem dicere auctoritatis Nostrae in caussa praesenti esse volumus. Definitores generales, ceterosque munera maiora gesturos, qui scilicet in conventu Ordinis maximo designari solent, designet in praesenti caussa sacrum Consilium Episcoporum atque Ordinum religiosorum negotiis praepositum, exquisita prius ab iis ipsis sententia, qui potestatem Definitorum generalium hodie gerunt. Interea loci Minister generalis Definitoresque generales in munere quisque versari suo pergant.

Gestit animus, quod Nostram in beatum Franciscum pietatem religionemque veterem consecrare mansuro providentiae monumento licuit: agimusque benignitati divinae gratias singulares, quod Nobis in summa senectute id solatii, percupientibus, reservavit. Quotquot autem ex Ordine Minorum sodales

numerantur, pieni bonae spei hortamur obsecramusque, ut exemplorum magni parentis sui memores, ex his rebus ipsis, quas ad commune eorum bonum decrevimus, sumant alacritatem animi atque incitamenta virtutum, ut digne ambulent *vocatione, qua vocati sunt, cum omni humilitate, et mansuetudine, eum patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (1).

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus: irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes: contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus ex plenitudine potestatis, certa scientia et motu proprio quoad praemissa expresse derogamus, et derogatum esse declaramus.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi, his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitututionis, ordinationis, unionis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. — Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum quarto nonas Octobris, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagésimo septimo, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

C. CARD. ALOISI-MASELLA PRO-DATARIUS.

A. CARD. MACCHI.

VISA

DB CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.

Loco ✠ Plumbi.

Reg. in Secret. Brevium.

I. CUGNONIUS.

(i) Ephes, iv i i, 5.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CARCASSONEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die S Aprilis 1897.

Sess 21 cap. 5 De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Coniugale foedus, rite servata Tridentina lege, in ecclesia s. Vincentio dicata Urbis Carcassonensis inierunt die 15 Maii 1895 Maria Antonia et Iustinus. Sponsi honesto genere nati et iuvenili aetate praestantes, uxor enim 22 annorum, vir erat 33 annorum, statim brevi suscepto voluptuario itinere, ad 10 dies producto, vitam coniugalem instaurarunt atque eodem toro quatuor menses usi sunt, at copulam carnalem haud fuisse perfectam uterque asserit ; sed diversa adducitur causa. Antonia affirmat virum noluisse sibi carnaliter commiscere, quia cum amasia illicitos fovebat amores et protestabatur se prolem suscipere nolle. Vir e contra refert, a prima coniugii nocte saepe coitus tentamina fuisse repetita, sed incassum.

Exinde sponsorum animi qui, uti testes asserunt, numquam admodum consentierunt adeo dissociati sunt ut post 7 cohabitationis menses vita coniugalis penitus disrupta fuerit.

Quamobrem infelix Antonia ad Sacratissimum Principem recursum habuit ut dignaretur dispensare a matrimonio rato et non consummato.

Interea etiam apud civile tribunal promota fuit instantia pro coniugio, quod civile vocant, dissociando, sed hactenus non prodiit sententia.

Curia Carcassonen, legitime delegata, processum instituit super asserta matrimonii non consummatione ; et Episcopus acta processus transmittens Oratricem quammaxime commendavit eius attestationem magni faciendam esse asseverans.

Disceptatio Synoptica

MULIERIS DEFENSIO. Praemittens Orator, constare ex attestationibus, virum a matrimonio consummanda) abhorrere ob illicitos eius amores, haec refert suae clientis verba : « La vie commune sous le même toit a duré environs sept mois. Pendant ce temps nous n'avons régulièrement partagé la chambre et le lit que quatre mois environ. Jamais une demande d'accomplir le devoir conjugal ne m'a été adressée, pas même pendant le court voyage de noces, ni les premiers jours qui ont suivi le mariage. Je m'y serais entièrement prêtée ». Inferius eadem actrix prosequitur, dicens : « mais des conditions draconiennes posées par mon mari qui continuait de me considérer comme étrangère... m'ont amenée à découvrir authentiquement des relations coupables de mon mari avec une fille de moeurs légères qui avaient été nouées avant le mariage et qui durent depuis ».

Consona est, notat orator, Iustini depositio, qui a iudice interrogatus 5° loco deposuit : « La vie commune a duré sept mois et pendant ce temps nous avons partagé la même chambre et le même lit seulement quatre mois. Il y a eu dans les premiers jours surtout des tentatives pour accomplir le devoir coniugai : mais sans succès, et ces tentatives ont eu lieu dès la première nuit qui a suivi le mariage.

« C'est à mon père et à ma mère que j'en ai fait l'ouverture, environ un mois après le mariage, et j'en ai attribué la cause à la conformation défectueuse de ma femme ».

Quia sponsi discordant in assignanda non secutae consummationis causa, refert orator hanc Episcopi attestationem: « Si de hac varietate testimoniorum mentem meam aperire liceat non dubius asseram quod veracitati mulieris omnino fidendum sit, dum testimonio viri corruptis moribus, et examen corporis mulieris metuere non dissimulantis plena fides non est adhibenda : sub velo mendacii quod propagare ausus est, reluctationem systematicam contra debitum coniugale audaci ter abscondere tentavit ».

Imo, advertit patronus, coniugum, hoc tantum in puncto, discrepantiam causae non praeiudicare imo non parum conducere in eius favorem, propterea quod magis magisque ex illo dissidio elucet, praefatos coniuges ad decipiendos iudices inter se non colludere dum pari consensione apud S. Sedem instant pro dispensatione matrimonii assequenda.

Igitur huiusmodi partium confessiones ad factum non secutae consummationis quod spectat magno in pretio sunt habendae, iuxta advocatum et maximam sibi vindicant auctoritatem. Praeterea omnes testes uno veluti ore confirmant coniugum depositiones super non consummato matrimonio, eosque verum dixisse hac super re firmissime credunt. Ita sponsae mater testatur post separationem iterum audivisse a filia, virum nunquam tentasse matrimonium consummare. « D'ailleurs je puis confirmer ce que m'a dit ma fille que jamais il n'a tenté d'accomplir le devoir conjugal ». Dein mater ita prosequitur : « Pour moi la cause du fait de la non consommation a été l'obstination et le parti pris du mari. Me sera-t-il permis d'ajouter que je pense que ce refus systématique du mari peut venir d'un engagement préalable pris avec sa concubine ? »

Concinit, instat procurator, testimonium R. Sacerdotis Guilhem, canonici Cathedralis ecclesiae, utriusque coniugis consobrini, qui post peractam separationem ex profusis actricis lacrimis, eiusque matris declaratione novit infectam matrimonii consummationem quam tribuit fidei a marito ante nuptias scorto iuratae. D. Vergue t canonicus senior Capituli Cathedralis, matris oratricis avunculus, qui matrimonium de parochi licentia solemniter benedixerat, sex post menses audivit a sponsae socru matrimonium mansisse inconsummatum ; et rerum adiuncta hoc illi persuaserant.

Quum vero omnes testes diserte haec testentur et confirment, advertit orator quod hi citati testes pro septima manu ex parte mulieris sunt intemerata probitate ac fide dignissimi, ex quibus alii sacerdotali decore et Ecclesiastica dignitate gravissimi. Quare amice conspirantes in suis de-

positionibus, referentes facta particularia, revelationes, et conquestus tempore insuspecto ab actrice auditos, et veram huius coniugii inconsummationis causam reddentes, satis superque revelant mulieris depositionem super inconsummato matrimonio eiusque causa, fuisse sinceram et fide dignam.

E contra, urget patronus, testes a viro adducti admittunt matrimonii inconsummationem, sed ei non credunt asserenti de uxoris ad coitum impotentia.

Omnem vero dubitationem, pergit patronus, aufert corporis mulieris exploratio, quo in experimento cum adamussim servata sit sapientissima methodus a S. C. Canno 1840 pro confectione processus in huiusmodi causis praescripta, irrefutabilis emergit physica certitudo integritatis mulieris et inconsummati matrimonii. Re sane vera inspectio peracta est a tribus inter peritiores ac probiores Oarcassi obstetrices, ex officio deputatis ; quae de integritate oratricis testimonium emittunt.

Relata autem hac inspectione ab unaquaque obstetrice separatim cum alio iuramento cuique doctorum nempe Theodoro Jalabert chirurgo et obstétrico, et Felici Cordes medico, scientia et religione praestantibus, qui praeter acceptas relationes ab obstetricibus ipsi quoque ad maiorem securitatem corpus Antoniae seorsim inspexerunt, sententiamque emiserunt pro integritate mulieris.

Demum orator descendens ad causas dispensandi, notat has in dubium non posse revocari, quandoquidem in themate habetur discordia animorum, pacis nescia, et ex parte mulieris, corpore et inventa praestantis, periculum incontinentiae, et legitima animi aversio in illum virum, qui eam turpiter decepit et nunquam amore prosequuta est eam postponens concubinae.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS VINCULI. Ex adverso notat Vinculi Defensor, nihil praecipitanter gestum fuisse, neque suspicionem esse potuisse quin ambo nupturientes matrimonium inirent, onera, quae coniugibus iura divina humanaque

imponunt, sustinere parati. Nemo etenim eos compulit invitos, sed volens ac Iubens consensit uterque.

Quoad vitam coniugalem, ad 7 menses productam, advertit Defensor, nil prodiit quod abnormem coniugum conditionem revelaret.

In factum vero haud brevis vitae coniugalis, orator inducit Pignatelli *consult, canonie, to. 1, consult. 148, n. 21i* haec advertentem : « Ex qua (cohabitatione) et condormitione quinque mensium, resultat praesumptio iuris et de iure pro consummatione, iuxta Bald, in *I. Beo nobis n. 7 De Episc, et cleric.,* et advertunt doctores, et communiter in *cap. Laudabilem de frig. et malefic.* »

Probationes autem, quae ad evincendum Iustinum et Antoniam minime coivisse, in medium afferuntur, haud omnem suspicionem removere videntur Defensori. Suspecta etenim in primis est coniugum confessio, quia matrimonium dissolvi cupit uterque. Et proin res est de confessione vergente in confitentis commodum ; quae neque in aliis, neque matrimonialibus in causis probat. Audi Sánchez *De matrim, lib. 2> disput. 45, u. 33* (ibi) : « Confessio ea cum sit in confitentium favorem nihil probat ».

Huc accedit, urget orator, quod Iustinus et Antonia suae potius quisque utilitatis, quam veritatis sollicitum se manifeste exhibeat. Etenim matrimonii dum uno velut ore profitetur uterque inconsummationem, quae percommoda est ambobus, versa vice e diametro pugnant, dum praetensae inconsummationis narrant causam, quippe quae si uni prodest, nocet alteri.

Dum enim uxor affirmat non adfuisse consummationis fentamina; Iustinus e contra, asseveranter autumat.

Demum Defensor observat, non posse dici obstetricum et medicorum examen omnibus numeris absolutum, cum non constet, unumquemque medicum et obstetricem suum edidisse testimonium antequam testimonium cognosceret ab aliis exploratoribus emissum.

Item orator advertit multum desiderari in causis a par-

tibus allatis pro dispensatione obtinenda a vinculo magni sacramenti.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Conc. re disceptata sub die 3 Aprilis 1897 censuit respondere: *Affirmative.*

OXOMEN.

FUNDATIONIS CAPELLANIARUM

Die 26 Iunii 1897.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Pientissimi coniuges Gaspar de Mata et Marianna Ruiz de Almanta anno 1813 publico instrumento duas fundarunt capellanías in Ecclesia Cathedrali, alteram sub invocatione S. Sebastiani, et B. M. Virginis a Rosario alteram, iure patronatus sibi reservato et pluribus adiectis oneribus, praecipue Missarum.

Ut capellani congruam haberent sustentationem et ad *removendum periculum reductionis onerum* fundatores ad certam summam determinarunt reditus pro unaquaque capellanía, donantes summam capitalem 8884 Ducatorum cuius reditus, scilicet 444 Ducatorum ita distribuerentur ut quisque capellanus 200 Due. haberet in congruam sustentationem, addito tamen onere *Missae quotidianam* — Supererant 44 Ducat, quae impendi debebant praecipue sequenti modo *a)* 26 ducata solvenda erant Monasterio B. M. V. a monte Carmelo loci Burgo partim pro usu utensilium, ob nonnullas Missas in dicta Ecclesia celebrandas, partim pro emendis cereis et panibus huic Ecclesiae offerendis, *b)* Item 10 du-

cata solvenda erant Ecclesiae Cathedrali, c) 50 nummi (Reali) solvendi erant patronis in signum grati animi ; et alia id genus onera legata fuerant in tabulis fundationis.

Verum malo fundatorum fato, qua causa, quo tempore, nescitur, fundationis tabulae naufragium passae sunt atque pro deperditis huc usque habitae fuerunt adeo ut capellanía sub invocatione B. M. V. a Rosario anno 1865 collata sit hodierno capellano Raymundo Hernando cum onere tantum, unoquoque anno, celebrandi *viginti* Missas et duas cum dimidio libellas erogandi fabricae eiusdem ecclesiae.

At anno 1895 tabulae fundationis e latebris, nescio cuiusnam archivii, in lucem vindicatae fuerunt ; quamobrem curia sollicita fuit, has denunciare capellano ut de oneribus suo beneficio adnexis certior fieret. — At hic, rei novitatem non parum demiratus, animo reputans, hisce oneribus satisfaciendis reditus capellaniae impares esse, recursum habuit ad Sacratissimum Patrem, quo sospite fruimur, ut dignaretur onera capellaniae reducere, ea rata habendo quae hactenus in more fuerunt. — At contra huiusmodi reductionem PP. Carmelitani protestati sunt, expostulantes legati praestationem. — Episcopus de more percontatus fuit, qui haec retulit:

« Certum quidem est Capellaniam, sub advocatione B.M.V, a Rosario in hac Cathedrali Ecclesia fundatam, rite et canonice Oratori collatam ab Ordinario fuisse anno 1865 cum onere tantum unoquoque anno celebrandi viginti Missas et duas cum dimidia libellas erogandi fabricae eiusdem Ecclesiae , ceteris omissis in primaeva Capellaniae institutione stabilitis, deperditum enim tunc temporis videbatur institutionis instrumentum. Hoc vero nunc demum comperto, apparet celebrandam esse ex institutorum voluntate Missam singulis anni diebus, insimulque adimplenda alia onera in precibus adamussim relata ».

« Attamen cum Capellaniae redditus decursu temporis iacturam passi fuerint, et eorum commutatione nonnullis abhinc annis peracta ad normam Conventionis anni 1867

Sanctam Sedem inter et Catholicam Maiestatem, eiusque imminutio processerit ut syngrapha Debiti publici in dioecesano *Acerbo,* ut vocant, asservata redditum 315 libellarum annuatim non excedant, impossibile omnino est illiusmodi oneribus fieri satis ».

« Quid ergo ? Superior carmelitani conventus contendit praeprimis exequi debere, aliisque oneribus praeferri, quae ad eumdem expectant, ex eo quod in fundationis instrumento exprimitur, nempe illa onera numquam imminutionem passura etiamsi redditus Capellaniae aliquam iacturam fuerint experti ».

« E contra Capellaniae Patroni, quibus ex animo assentior, autumant onera Missarum ceteris esse anteponenda iuxta fundatorum mentem, hocque vel magis quia non aliquam sed maximam iacturam Capellaniae redditus passos fuisse manifestum est. Etenim ex 315 libellis supra relatis, assignandae libere veniunt pro congrua Capellani sustentatione iuxta synodalem huius dioecesis taxam, proindeque 40 tantum supersunt, unde nonnisi exiguus Missarum numerus celebrari valet ».

« Itaque, ut humilem meum sensum Sacro huic Coetui iam patefaciam, omnibus bene perpensis, arbitror onera laudatae Capellaniae reduci oportere ad Missas 25 quolibet anno pro fundatorum intentione a Capellano litandas in altari B. M. V. Rosarii in Cathedrali Ecclesia dicato, erogando insuper libellas duas cum dimidia Fabricae eiusdem Cathedralis Ecclesiae ratione usus ornamentorum *vestuario,* ut aiunt, facta sanatione quoad praeteritum ».

Procurator Generalis PP. Carmelitarum interrogatus, reposuit :

« Porro, ni fallor, quaestio heic recidit, ut nempe definiatur : an, in casu reductionis onerum alicuius Beneficii, ne, quoad fieri potest, Missarum numerus imminuatur, sint potius praetermittenda cetera onera eidem Beneficio adnexa ».

« Cui genericae quaestioni respondendum existimo : *af-*

firmutive, ceteris paribus; et ratio patet; quia nihil utilius in Ecclesia tam pro vivis, quam pro defunctis Missae sacrificio. *Negative* autem si constet aperte aliam fuisse testatorum voluntatem; hanc enim voluntatem sancte esse servandam, utrumque ius clamat ».

« Age vero, ad casum nostrum quod attinet, aliam fuisse Testatorum voluntatem apertissime constat. Quasi enim praevideant futurum esse, ut aliquando eorum devotioni erga Ecclesiam Carmelitarum, ubi eorum corpora iacent, non fieret satis, in Instrumento Fundationis Capellaniae, de qua in precibus, iterum atque iterum instant pro conservatione Canonis Ecclesiae nostrae solvendi, adeo ut neque in casu, ab ipsis iam contemplato, diminutionis reddituum praedictae Capellaniae , liceat Capellano pro tempore ab hac obligatione se eximere. Quid clarius? aut quomodo enixius instare potuissent pro perpetua conservatione statutae oblationis Ecclesiae nostrae quot annis faciendae? quae clausulae cum non legantur in determinatione numeri Missarum eiusdem Capellaniae, Fundatorum voluntati conformius censerem quod in reductione Missarum, si facienda veniat, ratio habeatur praedicti Canonis Ecclesiae nostrae, pro cuius solutione, saltem in maiori parte, pro debito officii mei instandum existimo. Si tamen ita videbitur EE. Vestris, quarum aequissimo iudicio omnia humiliter obsequenterque submittens, sacram purpuram deosculor ».

Disceptatio Synoptica

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Iamvero, uti in aperto est, in themate, quaeritur an legitime *praescripta* haberi debeant onera primitus capellaniis imposita, ob contrariam longissime temporis observantiam. In hanc rem pugnant ex utraque parte plures et graves doctores, quos numerat Ferraris, *ßiblioth. can. verb.* Usucapió, *art. 1, n. 6 et seq.* — Negativae sententiae generatim adhaesisse S. C. Congr. habetur in *Romana Capellaniarum 30 Iulii 1768, § Quaestio, in Comaclen. 8 Iulii 1818 ac in Civitatis Plebis 11 Maii 1793,*

ad 1 dubium. Si enim onera missarum ac piae fundationes ab inductis abusibus et a quavis contraria consuetudine non vendicarentur, praescriptio a legibus constituta in poenam negligentium ius suum, *leg.* Ut perfectius *2 Cod. de annali praescripta* in damnum vergeret defunctorum, qui se defendere non poterant; quare iuris naturalis est regula nempe *contra non valentem agere, non currit praescriptio.* Hoc aperte constituit S. C. Congr. iuxta decisionem, quam refert Monacelli *part. 4 Supp. ad tom. 2* num. 55,* ibi : *Quidam testator mandavit suis executoribus, ut erigerentur pro amore Dei et remedio animae suae unam capellaniam cum destinatione capellani qui Missam singulo mane celebrare curaret. Fuit erecta capellanía cum assignatione congruae dotis; et quia capellani pro tempore semel in hebdomada, vacare consueverant et sacrificium pro testatore applicare omiserunt, delata causa ad S. C. Cong.„ haec in Lucana 18 Feb. 1702 declaravit, capellanum teneri applicare Missam pro fundatore licet ipse id non expresserit et condemnavit capellanos seu rectores pro tempore, quo celebrare et applicare sacrificium omiserunt, non obstante descriptione contraria facta in tabella occasione Visitationis Apostolicae a centum annis circa.* — Aliquando vero, ob peculiaria rerum adiuncta aliter sentire visa est S. C. C. ceu in *Perusina Capellaniae 24 Nov. 1827 ;* in qua laicalem capellaniam a Flaminia Gigliotti Grotti cum onere Missae quotidianae institutam, immutatam fuisse existimarunt EE. PP. quia eiusdem bona tamquam propria possessa perpetuo fuerant a patroni descendentibus, qui tria dumtaxat sacra singulis hebdomadibus ab anno 1711 celebranda curaverant; ac ideo EE. PP. Missas annuas 156 tantum in posterum celebrandas rescripserunt. — Unde licet eruere, mentem esse S. C. C. nullo temporis decursu obligationem praescribi Missas celebrandi ex pia fundatione impositas, at aliquando si huiusmodi onus *reale* sit seu afficiat quasi servitus aliquem fundum, hunc fieri liberum si bona fide et ceteris ad praescribendum requisitis concurrentibus fundus ab alio possessus

sit uti immunis, omnino vel partim ab huiusmodi onere *reali.* — Reapse in *Imolen.* Legati pii, *7 Iulii 1859* quaerebatur an certus fundus amplius onere Missarum gravaretur quum iam a 60 annis possessus fuerit bona fide, quasi vacuus et solutus a quocumque legato. Iamvero cum causa proponeretur per *summaria precum,* antea prodiit responsum, *Ponatur in folio,* et dein propositis his dubitandi formulis : I. *An constet de libertate fundi Cenocchiare nuncupati ab onere Missarum in casu.* II. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione et condonatione quoad praeteritas omissiones in casu;* S. Congr. respondit *die 27 Februarii 1858 :* Ad I. *Affirmative, salvo iure favore causae piae, contra heredes fundatoris pii legati pro indemnitate.* Ad IL *Provisum in primo.* Haec actio reservata favore causae piae videtur aperte docere, extincto *onere reali,* superesse obligationem *personalem* satisfaciendi oneri, quantum fieri potest.

Sed in themate, EE. PP., imminuti capellaniae reditus iubent aliquam concedi *reductionem* onerum, quam EE. PP. pro sua prudentia statuent. Innuere vero praestat hanc esse S. C. C. praxim in reductionibus concedendis, nempe antea reducenda esse alia pia legata quam onera Missarum. Rem ita illustrat Bened. XIV *De Syn. dioec. l. 13, c. 25, n. 23:* « Quod si aliqua proponeretur dispositio, quae simul et Missarum onera et eleemosynarum distributiones, aliave pia onera comprehenderet et quidem, ob redituum tenuitatem, necessarium dignosceretur ad aliquam impositorum onerum reductionem devenire, reducenda potius sunt reliqua opera non autem Missarum numerus ; iuxta praxim apud Congr. Concil, receptam de qua Fagnanus *in cit. cap.* Ex parte, *num. 34 De constit,* pluribus resolutionibus comprobatam, et praesertim in quadam resolutione, sive rescripto, quod redditum fuit litteris Episcopi Cremonensis mense Iunio an. 1586 et legitur *lib. 4 Decret, pag. 161 aterg. et 162. « Quatenus ab habente potestatem reductio facienda est, reducendas potius eleemosynas quam Missas etc.* »

Ex fasciculo vero memorialis non patet, an alia capel-

lania sub invocatione S. Sebastiani adhuc vigeat et quibusnam oneribus satisfaciat.

Hisce animadversis, quaesitum fuit quodnam responsum esset dandum.

RESOLUTIO. Sacra C C . re disceptata sub die 26 Iun. 1897 censuit respondere: *Praevia sanatione quoad praeteritum; pro gratia reductionis ad annuas missas quinquaginta, facto verbo cum SSmo.*

LUCANA

DISPENSATIONIS MATRIMOXNII

Die 26 Iunii 1897.

Sess. 24. cap. 5. de ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Comes Hieronymus 29 annum aetatis agens et eiusdem consobrina, Ludovica ex principibus.... sexdecim annos nata, die 2 Aprilis 1894, in oppido Lucanae dioecesis, rite matrimonium contraxerunt. Hoc vero maritale coniugium, quod fausto omine initum videbatur, felicem haud habuit exitum ; cum, prout oratrix asserit, irrito conatu vas eius penetrare, spatio duorum circiter annorum, frustra vir conatus sit. Quod et vir affirmat ; at is ex frigiditate quadam ac formidine erga mulieres accidisse asserit, dum uxor absolute impotentiae viri hoc adscribit. Exinde inter sponsos animorum dissociatio facta est.

Matris suae uxorisque interim consilium sequutus, Comes cum sponsa Romam venit, ut archiatrum de sua miserrima conditione consuleret ; et revera medicus, inspecto corpore viri, non absolute impotentem eum cognovit. Quapropter ei praescripsit, ut quibusdam mensibus cohabitationem cum uxore abrumperet, vagando alio usquedum frigiditas et formido cessaret.

Interea Ludovica, spe derelicta rem cum marito habere posse, ad domesticos lares confugit, et ad virum numquam reversa est, sed dispensationem petiit super matrimonio tantum rato a Romano Pontifice.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Ludovicae patronus primum per amborum coniugum iudiciales atque extraiudiciales affirmationes probare conatur, matrimonium in themate non fuisse consummatum .

Ludovica enim sub iuramenti fide narrat : duobus primis diebus nullum conatum factum fuisse ad consummandum matrimonium, tertio vero sese, non verbis, sed signis aequipollentibus petente, comitem libenter una et altera vice operam dedisse consummationi, sed perperam. De inutilitate autem conatuum neque comitem dubitare, ait mulier.

Quanta sinceritas sit in verbis Ludovicae, iuxta patronum, probatur ex septimae manus testibus. Comes Caesar Sardi haec testatur : sese cognovisse Ludovicam omni in aevo praeditam integris moribus, indole et educatione religiosa; numquam levem aut inconstantem sese praebuisse, sed ingenuam puellam fide dignam. Eadem, sacramento dicto, testati sunt Rev. D. Franciscus Massagli, oppidi i *Vicopelago* parochus, Rev. D. Carolus Frediani, parochus oppidi *Gattaiola*, comitissa Clementina Sardi, comes doctor Ioannes Navasques : eadem actricis parentes. Ex ipsis testibus ab adversario in ius appellatis, eadem autumantur.

At et ipse Comes item testatus est de inconsummatione, quam numquam perficere valuit. Eadem extra iudiciales formas affirmaverat die 31 martii anni 1896 vicario capitulari Utinensi.

Testes ex parte actricis hoc ipsum confirmant. Illi vero qui a comite praesentati sunt, deponunt, separationis causam fuisse matrimonii inconsummationem. Comitissa Emma Ducco ait, cognovisse se matrimonium non fuisse consummatum ex quadam epistola sponsae, tum a sponso et a matre eius, atque affirmat : pro certo habere, matrimonium haud fuisse consummatum.

Iam ante processus confectionem, cum Ludovica in ea esset opinione, ad matrimonium dissolvendum sufficere ex-

traiudiciale testimonium incorruptae virginitatis proferre, corpus suum praebuit inspiciendum doctori corniti Ioanni Navasques qui testimonium protulit de integritate eius corporis.

Inspectio alia insuper iuxta normas a legibus praescriptas facta fuit in corpore Ludovicae; et ex hac, iuxta advocatum, plane colligitur Ludovicam virginem esse, ac proinde matrimonium cum comite numquam consummatum fuisse.

Doctores confirmant sententiam duarum obstetricum super integritate Ludovicae.

Hisce positis, de dispensationis causis breviter agit advocatus.

Iuxta eumdem patronum prima causa dispensationis habetur in impotentia viri. Quam comes quidem vehementer abnuit dicens : matrimonii non consummationem partam esse a frigiditate, minime vero ab impotentia, quam omnino non admittit. Quid enim est frigidum esse, exclamat hic patronus, nisi esse impotentem?

Similiter viri impotentiam colligit etiam patronus ex depositionibus testium tam ex parte viri quam ex parte mulieris, cum quibus concinit actricis testimonium.

Post hoc, haud in dubium advocatus ponit viri impotentiam. At si res adhuc dubia esset, ad rem nihilominus facere docet illud « quando impotentia adstruitur pro motivo et causa gratiosa dispensationis, non illam exigit certam et conciudentem probationem. Sed satis est quod dicta impotentia sit adeo probabilis, ut Summus Pontifex illam veram existimare possit et ad gratiam moveri ». Cosci *De sep. tori lib. III, c. 2> n. 386.*

Alteram dispensationis causam advocatus invenit in periculo incontinentiae, in quo actrix in ipso ineuntis iuventutis fervore versatur.

Tandem aliis dispensationis causis addenda quoque est, iuxta oratorem, inexpiabilis animorum dissentio, atque voluntas sponsae, ad contubernium cum sponso suo instaurandum, prorsus aversa ceu abscisse Ludovica innuit, et eius mater et pater confirmant.

Verum si comes vehementer conatus est sponsam discedere, quam cupiebat apud se retinere, hac tantum de causa, retinet advocatus, hoc fecisse, ut totis viribus impotentis nomen, non aliter ac infamiae notam a se depelleret. Aliunde et ipse comes modo ab uxore sua abhorret.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. EX adverso vinculi matrimonialis ex officio tutor, contra sponsos iurantes se separatim condormientes non potuisse insimul coire, retinet eos ad matrimonii consummationem vere incubuisse. Nam Ludovica fatetur : duodecies matrimonium consummare conatum fuisse maritum. Hieronymus autem: ter cum animo vere deliberato conatus sum. Imo omnia suadent defensorem coniuges iuventute ferventes ac mutuo ad invicem aestuantes amore non tribus nec duodecim tantum, sed longe pluribus vicibus coniugale opus aggressos esse.

Nec fidem idem coniugibus praestat, dum incassum se laborasse affirmant. Ludovica enim tota in eo est, ut matrimonium dissolvat. Nihil autem magis praedicatum in iure est, quam quod confessio in praeiudicium, non vero in favorem confitentis attendatur, */. 10 ff. de testib.:* « Nullus idoneus testis in re.sua intelligitur ». Quapropter Sánchez *De matrim, lib. 2, disput. 45, num. 33,* confessionis coniugum in causis matrimonialibus pondus expendens monet : « Confessio ea cum sit in confitendum favorem nihil probat ».

Huc accedit quod ex septimae manus testibus haud desint, iuxta defensorem, qui Ludovicam et Hieronymum veritatis studiosos non habeant.

Praeterea verídicos sive Ludovicam, sive Hieronymum haud esse existimat Defensor, ex quo alter abscisse negat, quod unus pro certo affirmat.

Haec omnia satis superque esse censet defensor, ut argumentum moralem inconsummationis reiiciatur ; sed ut rem fusius impleat ad alterum caput accedit, ubi de testimonio obstetricum sermonem habet. Atque heic primum notat quod obstetrices Pascha Poggeschi, Teresia Mei et Catharina Tornei, quae corpus Ludovicae recognoverunt, non circumspe-

ctiones omnes usu invectae ut obstetrices ac medici in gravissimo atque perarduo huiusmodi negotio nec decipere nec decipi facile queant servatae examussim sunt.

instructio enim a S. C. C. die 22 augusti 1840 edita praescribit ut mulier in balneo tepentis aquae per spatium saltem trium quadrantium horae permaneat. Iam vero Ludovica in balneo mansit 35 tantum temporis momenta.

Rursum, obstetrices corpus mulieris dum explorare habent, mulierem solent collocare in lecto. At lucanae obstetrices contentae fuerunt ut Ludovica in sella « poltrona » quiesceret. Quae mulieris explorandae positio non aeque commoda est explorantibus ac collocatio in lecto.

Post haec tandem defensor ad ultimum caput suae orationis devenit, ubi de dispensandi causis agit, quas tamsn in themate deficere autumat. In probatis enim, iuxta defensorem, haud est decantata Hieronymi impotentia. Imo compertum est, eum alias compressisse mulieres.

Hinc non defuit inter testes adductos qui crederet, Ludovicam petiisse matrimonii resolutionem ex deceptione habita super oeconomico statu mariti, qui solet exaggerare proprias divitias quae nunc pessumdatae sunt.

Quibus praehabitis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 26 Iunii 1897, censuit respondere: *Affirmative.*

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

Instructio quod sedulam curam adhibendam in causis sollicitationis. (1)

Die O Augutii 1897.

I. Instructione S. Romanae et Universalis Inquisitionis circa observantiam Apostolicae Constitutionis « Sacramentum Poenitentiae » N. 10 praecipitur ut, *antequum contra denunciatimi procedatur, perspectum exploratumque iudici esse debeat, quod mulieres vel viri denunciantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducti fuerint.*

II. Praeceptum huiusmodi, uti omnia quae ad huius Supremi Tribunalis procedendi rationem spectant, strictissimi iuris censendum est, ita ut, eo neglecto, ad ulteriora procedi nequeat.

III. Nec sufficit ut id utcumque, sed omnino necesse est ut certa iudiciali forma iudici innotescat; quod propria dictione: x *diligentias circa denunciatum eiusque denunciantes peragere»* significari in foro S. Officii usus obtinuit.

IV. Iamvero cum non semper nec ab omnibus vel tantum post longum tempus, cum nempe testimoniorum receptio difficilis et quandoque impossibilis est, Supremum hoc Tribunal id servari perspexerit, hanc ad rem Instructionem, pro Rrhorum Ordinariorum norma, edendam mandavit.

V. Ordinarius igitur toties quoties aliquam de infando sollicitationis crimine denunciationem acceperit, illico ad diligentias procedet. Ad quem finem vel per se vel per Sacerdotem a se *specialiter* delegatum advocabit (separatim scilicet et qua decet circumspectione) duos testes, quantum fieri poterit, ex coetu ecclesiastico, utcumque vero omni exceptione maiores, qui bene noverint tum denunciatum, tum omnes et singulos denunciantes, eosque, sub sanctitate iuramenti de veritate dicenda et de secreto S. Officii servando, iudicialiter interrogabit, testimonium scripto referens, iuxta insequentem formulam; utriusque vero testimonii atque una simul respectivae denunciationis authenticum exemplum directe tutaque via ad hanc Supremam Congregationem quamprimum transmittet.

(i) Recole Vol. XXV. 4SI.

VI. Dictum est: vel per se vel per Sacerdotem a se *speda Uter* delegatum; «nihil enim prohibet quominus, rationabili ex causa, pio alicui docto ac prudenti Sacerdoti id muneris Ordinarius demandare valeat; *speciali* tamen ei in singulis casibus delegatione impertita, eique antea delato iureiurando de munere fideliter obeundo et de secreto S. Officii servando».

VII. Quod si inveniri nequeant duo tantum testes qui noverint una simul denunciatum et omnes et singulos denunciantes, plures vocari debent. Tot nempe hoc in casu testes, ut supra vocandi erunt, quot oportebit ut duplex quoad denunciatum et unumquemque denunciantem habeatur testimonium.

VIII. Quoties autem iuramentum de secreto servando et, pro diversis casibus, de veritate dicenda vel de munere fideliter obeundo deferendum sit, iuramentum ipsum semper et ab omnibus, etiam Sacerdotibus, *tactis SS. Dei Evangeliis et non aliter,* praestandum erit. In Ordinarii vero potestate erit, siquidem pro rerum, locorum aut personarum adiunctis necessarium vel expediens iudicaverit, excommunicationem ipso facto incurrendam et Rom. Pont. speciali modo reservatam violatoribus comminari.

IX. Sequitur interrogationis formula. Die.... mense.... anno....

Vocatus personaliter comparuit coram me infrascripto Episcopo. . . . *(notetur nomen dioecesis. Delegatus autem dicat:* coram me infrascripto a r. p. d. Episcopo. ... ad hunc actum tantum specialiter delegato) sistente in . . . . *(notetur locus ubi negotium geritur).*

N. . . . N. . . . *(nomen cognomen et qualitates testis conventi)* qui, delato ei iuramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis SS. Dei Evangeliis, fuit per me

1. Interrogatus: Utrum noverit Sacerdotem N. ... N. ... ? *(nomen cognomen et qualitates denunciati).*

Respondit: . . . *(exseriba.tur lingua qua, utitur testis, eius responsio).*

2. Interrogatus: Quaenam sit huiusce Sacerdotis vitae ratio, quinam mores, quaenam penes populum existimatio?

Respondit: . . .

3. Interrogatus: Utrum noverit viros vel, ut plurimum, mulieres NN. . . . NN. ... ? *(nomen, cognomen et qualitates uniuscuiusque denunci antis).*

Respondit: ...

4. Interrogatus: Quaenam sit uniuscuiusque eorum vitae ratio, quinam mores, quaenam penes populum existimatio?

Respondit: ...

5. Interrogatus: Utrum eos censeat fide dignos, vel contra mentiendi, calumniandi in iudicio et etiam peierandi capaces eos existimet?

Respondit

6. Interrogatus: Utrum sciat, num forte inter eos et praefatum Sacerdotem ulla unquam extiterit odii vel inimicitiarum causa?

Respondit: . . . Tunc, delato ei iuramento de secreto S. Officii servando, quod praestitit ut supra, dimissus fuit, et antequam discederet, in confirmationem praemissorum se subscripsit.

Subscriptio autographo, testis vel eius signum >& crucis.

Acta sunt haec per me N.. . . N. . . . *(nomen, cognomen et qualitates Episcopi vel eius Delegati qui testimonium recepit).*

Datum Romae die 6 Augusti 1897.

L. M. Card. PAROCCHI.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

PRAGEN. Confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Hroznatae, Ordinis Canonicorum Regularium Praemonstratensium, Beato et Martyr i nuncupato

Die o Angusti 1897.

Christiana religio Iudaicae longe praestans, nec gente nec tempore nec spatio circumscripta, sed ex omni tribu et lingua et populo et natione constituta, per omne aevum et in omni loco offert Deo rationabile obsequium suorum filiorum integritate fidei et multiformi vitae sanctimonia coruscantium. Saeculo decimo secundo exeunte, inter viros nobilitate et virtute claros Bohemia recenset Hroznatam ab origine ultima regiae stirpis Guttestensium circa an. 1160 progenitum, cuius parentes Zezemanus et Dobreslavia piissimi principes cum S. Ludmilla avia S. Wenceslai erant propinquitate coniuncti. Quem mater in lu-

cem ediderat mortuum, eum Beata Virgo implorata ad vitam restituit, ac deinceps adhuc infantem e curru deiectum atque adolescentem in profluentem Istulam delapsum ab utroque periculo incolumem eripuit. Inde a primaeva aetate divina mandata observasse et singulari pietatis studio Deiparam Virginem honorasse perhibetur. Iuventute fiorente, Hroznata nobilem optimamque uxorem duxit, et ex ea filiolum suscepit; quod familiare gaudium statim in luctum conversum fuit per immaturam obitum et matris et prolis. Verum quum scriptum sit: *Timentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* Servus Dei e duplici hoc vinculo, etsi legitimo, solutus, et evangelicis atque apostolicis monitis recreatus arctius Deo adhaerere sibi bonum esse novit. Atque illud imprimis memorandum est, quod inter équités cruce signatos ad Christi Domini sepulchrum in libertatem vindicandum se adscribi statuit, ac voto firmavit. Iamque armis cum cruce indutus iter per Apuliam, Palestinam versus, fuerat aggressus; verum, improviso imminentium procellarum metu perculsus, non sine aliquo afflatu divino, Romam divertit, peregrini more, sacra Principum Apostolorum pignora et Summum Pontificem Caelestinum II visitaturus. Hroznatam de suae vitae ratione loquentem audivit Pontifex, qui, omnibus perpensis, divini consilii interpres, Apostolica dispensatione votum eidem commutavit, iniuncto onere ut Bohemiam reversus, templum et coenobium in honorem Deiparae Virginis conderet et perpetuo censu ditaret. Hoc votivum templum cum coenobio Dei Famulus apud Teplam illico extruxit ac dota vit, accitis Canonicis Regularibus Ordinis Praemonstratensis qui ibidem non modo sacra peragere et divinas laudes persolvere, sed etiam alumnos in bonum atque incrementum ipsius Ordinis optimis disciplinis instituere coeperunt. Quod opus quam gratum Deo extiterit, in consecratione templi, stella per altum diem supra ipsum emicante, declaratum fuisse fertur, simulque caeleste signum Apostolicae Sedi maiorem fidelium reverentiam conciliasse, et ipsi Hroznatae animos addidisse ad duo altera coenobia apud Chotessovicense oppidum erigenda. His commode aedificans congruoque censu auctis, unum Religiosis Premonstratensibus traditum fuit, alterum monialibus eiusdem Ordinis, in quo etiam domina Woyzlava, soror Hroznatae germana, viro suo Cracoviensis urbis praefecto orbata, pie vixit atque decessit. Interim Dei Famulus religiosae perfectionis studio ductus ite-

rum Romani venit, sua coenobia tutelae ac praesidio Summi Pontificis demisse subiecit; et voti compos factus, obtentis etiam pro iisdem coenobiis ab Apostolica Sede nonnullis privilegiis, ipse ab eodem Pontifice religiosum habitum Praemonstratensem, sacro ritu servato, recepit. In patriam rediens, salutato Bohemiae Rege fratre suo, cuius etiam patrocinio se suosque sodales ac fundata coenobia commendavit, in Teplense Monasterium a religiosis confratribus omnia fausta fundatori et socio adprecantibus communi laetitia exceptus est. Religiosi Instituti leges fideliter servans, rei familiari coenobii administrandae praepositus fuit: quo in munere, flagitiosis hominibus fortuna ac bona monasterii rapere conantibus, impavide pro iustitia resistere debuit. Verum hi implacabili odio excitati Dei Famulum, ipsius monasterii praedia perlustrantem, improviso capiunt, victumque in Theutoniam trahunt et in carcerem conficiunt. Numerata pecunia poterat ipse a sodalibus redimi, sed noluit et libertati praetulit pro Christo passionem, probe sciens beatos fore qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, atque ita plura acerba perpessus, die 14 Iulii anno 1217 e corporeo terrenoque carcere in caelestem regiarn migravit. Memoriae proditum est Hroznatam eadem die suum famulum et in vinculis socium suavi apparitione recreasse eumque mox libertati redditum misisse nuncium de suo obitu deque corpore sepeliendo ad sodales Teplenses. Exinde factum est ut qui vivus redimi noluit, mortuus sit redemptus, eiusque exuviae ad Ecclesiam Teplensem delatae, et, solemni funere peracto, ibidem honorifice conditae, ad haec usque tempora religiose colantur. Huius vero publici et ecclesiastici cultus indesinenter praestiti Servo Dei plura extabant indicia, uti lampades accensae ad eius sepulcrum, annua commemoratio festiva die 14 Iulii cum sacro votivo de S. Maria vel de SS. Trinitate, tabula cum effigie et elogio Beati et Martyris super altari fidelium venerationi proposita, aliaque huiusmodi, quibus accedebant documenta eundem cultum cum fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum respicientia. Quum tamen idem cultus nondum ab Apostolica Sede authentico decreto recognitus ac approbatus fuisset, Eirius et Revrhus Dominus Cardinalis Franciscus Schönborn, Archiepiscopus Pragensis, per Iudicem delegatum Processum hac de re instituit et favorabilem sententiam protulit. Quapropter Revmus P. Vitalis Van den Bruel, Procurator Ge-

neralis Canonicorum Regularium Praemonstratensium et huius Causae Postulator, vota universi sui Ordinis depromens, nomine etiam praelaudati Archiepiscopi necnon Revrhi Capituli ceterique cleri Archidioeceseos Pragensis, eiusdem sententiae conflr" mationem a Sancta Sede humillime expetivit. Hinc ab Emo et Revmo Domino Cardinali Vincentio Vannutelli, ipsius Causae Relatore, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum propositum fuit: « *An sententia Iudicis ab Emo et Revino Archiepiscopo Pragensi delegati super cultu ab immemorabili tempore praestito praefato Servo Dei, seu super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?»* Atque Emi et Revmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, omnibus accurate perpensis et audito R. P. D. Ioanne Baptista Lugari, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* Die 14 Septembris 1897.

Facta postmodum de iis Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, per subscriptum Sacrae Rituum Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit, die decimasexta iisdem mense et anno.

C. CARD. MAZZELLA 5. *B. C. Praef.*

L. * S.

DIOMEDBS PANICI, *Secretarius.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

Beatissime Pater,

Guilelmus Pifferi, Episcopus Porphyrensis, ad S. V. pedes provolutus humillime exponit quod RR. PP. Plenariam Indulgentiam benigne concesserunt lucrandam prima quinta feria cuiusque mensis ab omnibus Christifidelibus qui Confraternitati SSmi Cordis Iesu nomen dederunt. Ut magis magisque haec devotio augeatur S. V. humiliter exorat ut eamdem Indulgentiam omnibus utriusque sexus Christifidelibus concedere dignetur, qui di-

ctae Confraternitati adscripti non sint, tamen die supra dicta vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti infinitam SSmi Cordis Iesu charitatem pia meditatione recoluerint et aliquamdiu ad mentem S. V. oraverint, insuper ut eisdem Christifidelibus qui praefata praestiterint quacumque sexta anni feria indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum benigne elargiri dignetur. — Et Deus.

Ex audientia SSmi die 7 Septembris 1897.

SS. D. N. Leo Pp. XIII benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secreteria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 7 Septembris 1897.

Fr. HIERONYMUS M. CARD. GOTTI *Praefectus.*

L. 8 S.

Pro Rmo P. D. A. ARCHIEP. ANTINOEEN. *Secr.*

IOSEPHUS M. Can. COSELLI *Substitutus.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM quoad prohibitionem librorum.

Huic S. Congregationi propositum fuit sequens dubium: « Utrum in decreto n. 17 Decretorum Generalium de prohibitione et censura librorum nuper a SSmo D. N. Leone Papa XIII editorum, verba haec — *non publicentur absque competentis Auctoritatis licentia,* ita sint intelligenda, ut in posterum *indulgentiarum libri, libelli, folia etc. omnes* ad solos locorum Ordinarios pro impetranda licentia sint referendi? — An vero subiiciendi sint censurae aut S. Congregationis Indulgentiarum, aut Ordinarii loci secundum normas ante novam Constitutionem - *Officiorum ac munerum* - stabilitas ?

Eadem Sacra Indicis Congregatio respondit:

Ad primam partem : *Negative.*

Ad secundam : *Affirmative.*

Datum Romae ex' Secretaria eiusdem Sacr. Congregationis die 7 Augusti 1897.

A. Card. STEINHUBER *Praef*

L. S.

F. M. CICOGNANI O. P. *a Secretis.*

EX S. CONG. DE PROPAGANDA FIDE

Litterae Delegati apostolici Statuum Foederatorum quoad dubia parochialitatis apud quasi paroecias erectas pro populo diversae linguae.

Die 20 Aprilis 1897.

Mme ac Rme Domine,

Cum in Statibus Foederatis plures in eodem territorio quasi-paroeciae pro populo diversae linguae erectae sint, quaedam ortae sunt quaestiones earum iura respicientes in personas quae aut ex parentibus ad has ecclesias pertinentibus natae sunt, aut quae ex exteris nationibus advenerunt, linguam tamen Anglicam callentes. Haec Apostolica Delegatio in re tam gravis momenti satius duxit superiori S. Cong. de Propaganda Fide iudicio praefata dubia submittere, eo vel magis quod connexa videbantur cum resolutionibus ab eodem S. Ordine die 11 Aprilis 1887 latis. Porro ad tramitem harum resolutionum, Emus eiusdem Sacrae Cong. Praefectus, uteris sub die 26 Aprilis, anni currentis, nobis datis declaravit:

I. Filios ex parentibus non-americanis linguam ab Anglica diversam loquentibus, in America natos, non teneri cum emancipati sint ad sese iungendos quasi-paroeciae, ad quam pertinent parentes, sed iure frui sese uniendi quasi-paroeciae in qua regionis lingua, seu Anglica, adhibetur.

II. Catholicos qui in America nati non sunt, qui tamen linguam Anglicam noscunt, ius habere membra fieri illius ecclesiae in qua Anglica lingua in usu est, nec obligari posse ad sese subiiciendos iurisdictioni Rectoris ecclesiae erectae pro populo linguam propriae nationis loquente.

Haec a me significanda erant A. Tuae, dum omni qua par est reverentia et existimatione permaneo.

Amplitudinis Tuae

Addictissimus in Christo,
SEBASTIANUS ARCHIEP. EPHES., *Deleg. Apost.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ADIACEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 26 Iunii 1897.

Sess. 24, Cap. 5. De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Aloysius et Aurelia uterque fiorente in aetate constituti, dioecesis Adiacensis, die 3 Octob. 1893, rite ac solemniter matrimonium celebrarunt. Quod vero extemplo miserrimum evasit. Ex actis enim eruitur, Aloysium, facile indulgentem libidini, meretricum amplexibus, iam ab adolescentia divitias ita dissipasse, ut aere alieno gravatus, animum induxerit sibi ducere uxorem ditissimam, suam e patruele sororem, Aureliam.

Mulier narrat insuper Aloysium, vel in voluptario itinere, statim post nuptias incepto, quo neoconiuges Massiliam et Lutetiam Parisiorum peragrarunt, multas diei noctisque horas eam deserere consuevisse ; vel integrum per mensem, deserta Parisiis uxore, cum amasia, alio in loco se délectasse.

Dein mense Novembri sponsi simul Massiliam perrexerunt ; at cum illic Aloysius adhuc cum meretricibus versari non erubesceret, sponsorum animi ita dissociati sunt, ut vix tribus post mensibus a contracto coniugio vita coniugalis penitus disrupta fuerit.

Quapropter Aurelia tribunal civile adiit, et mense Iunio 1894 facile divortium obtinuit. Deinde ad Curiam adiacensem recursum habuit, ut processus conficeretur circa matrimonii inconsummationem. Aurelia enim existimat, et de facto ante Tribunal adiacen., ex mandato S. C. C. processum conficiens, sub fide iuramenti affirmat matrimonium inconsummatum mansisse ; dum e contra vir, in ius vocatus, pariter iuratus hoc negat, affirmans versa vice matrimonium cum Aurelia vere consummasse.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Aureliae patronus volens sibi pandere viam, ut facilius demonstrare queat, actricis matrimonium inconsummatum mansisse, in primis ostendere satagit quod si Aloysius consilium patris elegit ducendi uxorem, ex hoc solo facto motus fuit, scilicet, quia aere alieno ipse gravatus, ullo modo solvere poterat creditoribus nisi nuberet Aureliae. Haec enim non modo Aurelia eiusque parentes iurati enarrant, sed asseverat Aloysii pater, et confirmant testes fere omnes.

Praeterea, prosequitur advocatus, exploratum est, tam indigne a coniugii primordiis erga uxorem Aloysium se gessisse, ut eam fastidire velle, et illam haud complecti benevolentia, sed aspernari et reiicere videretur. Etenim postridie nuptias, e domo ante lucem egressus, non sine omnium admiratione Aloysius in plateam deambulabat « car ne pouvant pas dormir il avait préféré se promener ». Lutetiae Parisiorum, quo incepto nuptiali itinere, brevi postea cum uxore perrexit, hanc solam per diem et noctem assidue deserere consuevit; immo etiam mensem fere integrum sine uxore in Galliae meridianis fuisse versatum fertur.

Advocatus credit insuper, Aloysium Massiliam reversum eo audaciae processisse, ut non modo Aureliae cubiculum in diversorio defugeret, sed hanc in publico relictum, procaci depravatorum hominum licentiae obiicere non dubitaret.

Denique, urget, exploratum est Aloysium, qui summum in voluptate bonum, summas in turpitudine delicias posuisse videbatur, neque ad frugem, celebrato coniugio, animum applicasse: neque saltem aliqua pudoris specie vinculi, quo se obstrinxerat, sanctitatem fuisse reveritum; sed nullum horae momentum transegisse, quin se ingurgitaret in fiagitia et foedissima adulterii labe dedecoraret. Testes enim demonstrant, illum, noctem quae nuptias antecessit, obscoenis in lupanari voluptatibus consumpsisse ; triduo post nuptias, prostibularum tantum contubernio Massiliae fuisse usum ; mox uxore Parisiis relicta, concubinam, quacum iter facie-

bat, uxoris nomine in diversorio donasse; et tanta denique impudentia meretriciis tum hic, tum illic, amoribus fuisse delectatum, ut homines in adolescentiam indulgentissimos horrore perfunderet. Hisce positis, concludit advocatus, haud veri similius esse potest quod Aloysius, trimestri illo coniugalis vitae, cum Aurelia copulatus sit.

Sed ad urgentiora nunc pergit orator. Et in primis docet hic non cadere regulam de praesumptione iuris et de iure, quae favore matrimonii exurgit ex cohabitatione et condormitione viri iuvenis cum uxore iuvene. Nam ipse ait, sive tempus spectetur, quo coniuges sub eodem tecto manserunt, sive nulla tori communio, sive cetera, quae occurrunt, adiuncta, infausti coniugii inconsummationem, certissimo veluti argumento, esse sumendam.

Aurelia enim sub iuramenti fide dicit: « Sous la foi du serment j'affirme qu'il n'y a pas eu consommation de mariage. Je déclare comprendre très-bien que la consommation du mariage consiste dans l'introduction du membre viril dans le vagin de la femme - suivie par un épanchement d'humeur spermatique dans l'intérieur de cet organ. Après cela je persiste affirmer sous la foi du serment que mon mariage avec M. Louis n'a pas été consommé ».

Hic orator multos testes et assertiones refert, quibus demonstrare conatur quod, posito iuramento, sub quo Aurelia suum matrimonium inconsummatum mansisse dicit, eiusdem verbis plenam fidem praestandam esse: « Mad. Aurélie est douée de rares et précieuses qualités.... Et j'ai toute raison de croire comme sincère et véridique son affirmation (Napoleo Pietri). Je tiens pour sincère et véritable, et comme absolument certaine l'affirmation de Mad. Aurélie » (Joseph Orsini).

Episcopus adiacen. declarat : « Certifions devant qu'il appartiendra que Mad. Aurélie de notre diocèse est comme tous ses parents, digne de foi et foncièrement religieuse ». Illius Parochus: « Je soussigné déclare que Mad. Aurélie, qui demande l'invalidation de son mariage avec Mr. Louis

est digne de tout intérêt, que ses déclarations méritent toute-confiance en égard à son éducation véritablement chrétienne et à la piété, qu'elle professe ».

Retinet insuper advocatus, Aureliam in tempore non suspecto affirmasse quod ea haud matrimonium consummavit. Testis est Iulia Girard, quam, Aurelia paulo post nuptias Massiliam cum viro reversa, vitae quam degebat, infelicissimae arcanis admisit. Haec, quum Aureliam interrogasset,. num aliqua prolis progenerandae spe niteretur, responsum habuit id absque prodigio accidere non posse.

Aliud argumentum occurrit advocato ex testium testimoniis deprompturn ; qui non modo veritatis laudem Aureliae tribuerunt, sed innixi concurrentibus indiciis « quae si non sufficiunt ad generandam scientiam, sufficiunt ad generandam fidem seu credulitatem » (Card. Turrecremata ad c. *Requisivisti)* matrimonii inconsummationem testati sunt.

Postremum et potissimum suae orationis argumentum advocatus attingit ex medicorum iudicio, qui post auditam obstetricum relationem sic deponunt : « Le jugement que je forme est celui-ci que.... la consommation du mariage faite par un membre viril de grosseur ordinaire n'a pas eu lieu » (medicus Iacobus Massa). « Ma certitude est que l'acte du mariage n'a pas été accompli » (medicus Carolus Legrand).

Frustra vero obiicitur in hymene laciniam, obstetrices deprehendisse. Illud enim non ambigitur, orator dicit, haud modo veretrum genitalia ingressum, sed digitos vel chirurgica instrumenta hymenem dirumpere posse : quin etiam aliquando fieri, ut lacinia natura insit, vel cassis coeundi conatibus importetur « vient un à trouver une déchirure de l'hymen, il ne faudra pas immédiatement la rapporter à un coit accompli, mais avoir présentes à l'esprit toutes les autres circonstances qui peuvent donner lieu à une lésion de l'hymen » Hofmann *méd. leg. p.* 7, *sect. 2., art. I, n. 1. Paris 1881 pag. 66.*

Ad finem iam veniens orationis suae, advocatus notat quod si sponsus iurisiurandi arctissima vincula perrumpens^

matrimonium se consummasse contendit, hoc minime credendum est ; nam meminisse iuvabit, Aloysium esse corruptissimum, vitaque eius omnibus inquinata vitiis nimis fortasse patet. Revera iam inde a teneris annis Aloysius libidini indulgere visus est : ibique iuventutem exercuit, saepissime, sed frustra, pollicitus in bonam frugem se tandem fore recepturum. Testis Aemilius Geerbrant haec enarrat: « Son père s'était adressé à moi à fin de le ramener à de meilleurs sentiments, mes démarches n'eurent aucun succès ». Et quoniam tritum sermone proverbium illud est: « vulpes pilos mutat non mentem, neque mores » ; ratio, quam vir inierat, in vitam coniugalem irrepsit.

Ceterum, prosequitur orator, Aloysius sibi contradicit, oum iam tempore non suspecto alia sensit, alia voluit circa consummationem.

Testes referunt: « Je suis certam d'autre part, qu'avec des amis, Mr. Louis s'est vanté de n'avoir jamais eu de rapports avec sa femme », testis Napoleo Pietri. « L'affirmation de l'épouse est au contraire confirmée par différents aveux de celui-ci, qui à plusieurs* reprises, se vantait de n'avoir jamais eu aucun rapport avec sa femme ». « Le mari se serait vanté de n'avoir pas voulu consommer le mariage - un de mes amis l'en a entendu parler dans un café ». « Je sais que Mr. Louis tenait des propos très-inconvénants au sujet de sa femme, qui - disait-il - le dégoûtait - les propos m'ont été rapportés par des jeunes-gens, qui les avaient entendus par la bouche même de Mr. Louis » (Carolus Geerbrant). — Si ergo, exclamat advocatus, id tempore suspecto Aloysium negantem audimus ; de quo tempore minime suspecto intolerantissime gloriatus est: nemo dicet adiacensem Curiam opinionem fefellisse, quum Aloysio consummationem affirmanti neutiquam credendum esse putavit : « L'affirmation de Mr. Louis que le mariage à été consommé ne parait-elle de nature à infirmer la déclaration contraire de Mad. Aurélie. — Tout parait établir le bien fondé de la supplique de Mad. Aurélie ».

Neque desunt, iuxta oratorem, causae cur matrimonium se consummasse Aloysius tanta pervicacia contendat. Ante matrimonium immodicos in obscoena sumptus fecerat; interdictio igitur bonorum illi imminebat : quam ut effugeret, matrimonium elegit. Postquam matrimonium per civilem potestatem diremptum est, revera illi negotiis gerendis interdictum fuit, testis Iulia Griraud.

Iudicio vero advocati, si Aloysius affirmat suum matrimonium consummatum fuisse, hoc ea tantum mente dixit ut detegeret impotentiam coeundi, quae necessarium effectum est eiusdem adolescentiae vitiorum.

Demum orator descendens ad causas dispensandi, notat has in themate clarissimas inveniri. Aloysius enim aere alieno obrutus et a creditoribus compulsus, non ex arbitrio suo, matrimonii vinculo sese obstrinxit.

Accedit quod benevolentia inter coniuges reconciliari nullo pacto potest ; eoque magis quod civile vinculum per divortium solutum est. Curia adiacensis testatur « aucun espoir de rapprochemeut entre les époux ne peut pas exister ».

Infelix uxor denique optimis licet moribus imbuta, innumeris incontinentiae periculis, nisi rursus denubat, obiectatur.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Vicissim vero Vinculi defensor ex officio, praemissa factorum narratione, docet methapnysice esse impossibile sive quod Aloysius Aureliam duxit nactus tantum opportunitatem ut, alimonio vitiorum eius novam pecuniae summam a patre obtineret ; sive quod in themate matrimonium inconsummatum mansit. Et in primis ad probandam liberam Aloysii voluntatem contrahendi, multa testimonia refert, quae, iuxta oratorem, vel obiter vel ullo modo innuunt ad praetensam coactionem.

Sed melius quam alii testes, iuxta Defensorem, verum deponit praefatus Henricus De Giovanni, qui exploratis Aloysii, Aureliae eorumque parentum animis, nuptias conciliavit. Iam vero quaestionem : « Assistiez-vous au mariage ? Avez-vous remarqué soit à la mairie, soit à l'église, quelque chose

qui ait pu faire penser que Fun ou l'autre des époux ne donnait pas un libre consentement? » ita dimittit Henricus: « J'assistai au mariage et n'ai point remarqué soit à la mairie, soit à l'église, rien qui ait pu me faire penser que l'un, ou l'autre des époux ne donnait pas un libre consentement. D'ailleurs, je ne m'occupais pas de surveiller, ni même d'examiner les époux, que je croyais tous deux trop heureux de s'appartenir ».

Ipse Aloysii pater plus semel de testimonio rogatus respondet: « Je répète donc qu'en 1893, mon intention bien arrêtée était de ne m'occuper de l'établissement de mon fils que, lorsqu'il aurait atteint l'âge de 25 ans, âge qu'il n'a pas encore au moment ou je dépose devant vous. Pour compléter ma pensée, je dois dire qu'une jeune personne du continent, dont la famille m'était attachée par les liens de la plus étroite amitié, me semblait devoir convenir, sous tous les rapports à mon enfant ».

Ipsemet sponsus percontatus a iudice, reponit: «Je l'avais vue (Aureliam) au Caire deux ans avant notre mariage dans un voyage que je fis avec mon beau-frère, M. Roccaserra. Je l'avais revue l'année suivant à Marseille, à l'hôtel des Colonies. Ces deux entrevues ont été courtes et de simple politesse. Je la revis à Sartène deux ou trois jours avant de demander sa main, et toujours incidemment. Quand j'ai obtenu sa main, il s'est écoulé trois semaines avant la célébration du mariage. J'avais de la sympathie pour elle; je la trouvais très-gentille et le bien qu'on m'avait dit d'elle me la rendait plus aimable encore. Mon père ne m'a pas engagé à faire ce mariage, mais en principe il tenait à me voir unir par les liens du mariage pour m'enlever aux occasions dangereuses. Je savais faire plaisir à mon père en me mariant, mais ce n'était pas là le but unique. J'ai donné un libre et plein consentement ».

Ex Officio Defensoris rogatus: « Connaissiez-vous la loi du divorce ? » Aloysius respondet : « Je la connaissais, mais je n'y pensais pas du tout, et j'avais les meilleurs inten-

tions en me mariant ». Urgente iudice: « N'aviez-vous pas eu des regrets de vous être uni à Mlle Aurélie?_____Etiez-vous heureux de votre nouvelle condition ? » Ille retulit : « Je n'ai pas eu des regrets de m'être uni à Mlle Aurélie ». Prosequitur Aloysius: « Avant la rupture, j'étais heureux de ma condition, je trouvais ma femme charmante à tous les points de vue et n'avais aucun reproche à lui faire ».

Hisce positis quoad primam partem, Defensor descendens ad impugnandam assertam inconsummationem, ante omnia refert testimonium Aloysii, qui a iudice percontatus: « Pourriez-vous affirmer sous la foi du serment que pendant le temps qu'a duré la vie commune votre mariage avec M.me Aurélie a été réellement consommé? » absque ambagibus reponit: « Oui, j'affirme sous la foi du serment, que le mariage a été consommé. Il n'y a pas eu de simples rapports, mais véritable consommation ». Quoad causam vero, cur adulterii turpitudine rem Aloysius infìceret, hoc haud novum esse docet defensor ; imo familiare esse existimat iuvenibus libidini deditis. Hoc item Aureliam adumbrasse credit dum refert, Aloysium interrupte cum ea vel extra domum maritalem laetam voluptatibus vitam agere.

Insuper urget, si verum esset quod Aloysius deseruisset sponsam venustate ac iuventute florentem, quam per mensem integrum ipse cognoscere carnaliter noluit aut non valuit, turpiter se deceptam proclamasset potius quam scriberet amicae ista verba: « Il n'a plus d'affection pour moi_____Si au moins je ne l'aimais plus, je n'en souffrirais pas. Mais je dois avouer que l'aime encore trop pour survivre au coup qu'il me prépare ». Neque, cum ille minitatur fugam, sponsa clamat : « Oe n'est pas sans crainte que je vois ce dernier moment s'approcher ». Quinimo amica adiicit : « J'ai encore reçu d'autres lettres plus tristes et plus angoissiées », quas inter : « Un billet dans lequel elle me déclarait (ait arnica) qu'étant désespérée, elle allait se suicider ».

Si Aloysius uxorem aspernatus est, si ad latus eius sedit quasi inutile lignum, non facile intelligit Defensor istam

Aureliae agendi rationem. Laetari enim potius, cum Aloysius fugam arriperet, quam conari mortem sibi consciscere debebat Aurelia. Idque eo magis quia probe noscit Aurelia quid vir praestare habeat, si felicem uxorem reddere velit et valeat : « Je déclare (ita illa) comprendre très-bien que la consommation du mariage consiste dans l'introduction du membre viril dans le vagin de la femme, suivie par un épanchement d'humeur spermatique dans l'intérieur de cet organe ».

Post haec tandem ad physicum argumentum deductum ex inspectione corporis Aureliae Defensor devenit, et notat quod tres obstetrices, quae Aureliae corpus iussu iudicis recognoverunt, uno velut ore profligatum conclamant hymenem. Re enim vera prima obstetrix, Rosa Eymar testatur : « L'hymen n'est pas intièrement déchiré, il existe deux caroncules myrtiformes ». Altera obstetrix, Catharina Antony renuntiat: « L'amene di forma circolare presenta due caruncule dovute alle piccole lacerazioni, che si osservano sul bordo marginale di essa ». Tertia obstetrix, Petronilla refert : « Ho trovato due caruncule una sotto l'uretra e l'altra sopra ».

Unanimi pariter consensu obstetrices excludunt illas a natura causam nancisci vel ab aliquo morbo, sed data opera eas patratas censent. Porro Catharina Antony inquit: « Dette lacerazioni sono di certo dovute a tentativi d'introduzione di un corpo qualsiasi in vagina ». Rosa Eyman : « Peut être (inquit) le resultat d'un jeu d'enfance ou de Fintroduction d'un corps étranger de petite dimension ». Petronilla Piccoli ait: « L'hymen est lacéré ».

Hoc posito, sic arguit Defensor : aut laceratio hymenis adscribenda est Aloysio; et hoc paullisper admisso certa est matrimonii consummatio, quia nec Aloysius is erat, qui opus semel incoeptum perficere nollet: nec Aurelia amoris in Aloysium argumenta exhibuisset, si iste opus perficere minime valuisset. Aut decipiunt vel decipiuntur testes, qui honestatem ac religionem Aureliae ad sidera tollunt.

Neque ad probandam inconsummationem in themate satis existimat Defensor verba medicorum, quae probabilem illam retinent, non tamen absolute probatam. Medicus Legrand contentus est affirmare : « Il est possible que les petites déchirures de l'hymen, qui ont été constatées aient existé même avant le mariage », et alter medicus Massa concludit: « La consommation du mariage faite par un membre viril de grosseur ordinaire n'a pas eu lieu ». Iam vero, concludit Defensor, matrimoniale vinculum relaxare impermissum omnino est, nisi inconsummatio plene constet.

Nec iustam causam dispensandi Defensor in themate invenit. Aloysius enim ab Aurelia se divertisse poenitens, iam desiderium ad uxoris amplexus redeundi ostendit: « Monsieur Louis, ait Henricus De Giovanni, a reconnu ses torts, et a demandé à les réparer ».

Quod si vita coniugalis restaurata haud est, non per Aureliam stetit, sed per eius parentes, quod aequum profecto non est. Ad rem Aloysius : « Je crois devoir dire cependant que j'ai fait une tentative de réconciliation, il y a deux mois. Je suis même venu à Sartène dans ce but. La tentative à échoué, et j'attribue cet échec plutôt aux parents de ma femme qu'à elle-même, de même que le divorce à été demandé et obtenu à l'instigation de son parrain Mr. Girard , substitut à Marseille : J'avoue avoir abandonné ma femme,,et à Marseille presque continuellement. Néanmoins, si ses parents ne pesaient sur elle, je crois que ma femme consentirait à se réconcilier avec moi ».

Hisce adductis propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SS tío pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 26 Iun. 1897, censuit respondere : *Ex hactenus deductis non constare de matrimonii non consummatione.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

DERTHUSEN.

NULLITATIS SENTENTIARUM SEU RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

Die 26 Martii 1897.

COMPENDIUM FACTI. Pluries haec quaestio quae prius inter Moniales Carmelitas Discalceatas et sacerdotem Henricum de Osso fundatorem Congregationis Sororum S. Teresiae de Iesu, et novissime inter sorores ipsas ob fundatoris mortem agitata est, tum apud tribunalia hispanica, tum apud S. Sedem proposita fuit. Controversiae punctum hoc est, nempe quaeritur 1. utrum Domus-Nuvitiatus praefatarum sororum quae exurgit in suburbio de Iesu Civitatis Derthusensis sit constructa in area de proprietate Monialium Carmelitarum et hinc sit demolienda et quatenus affirmative: utrum 2. extante bona fide ex parte aedificatoris admittendum sit legis beneficium nempe praevia indemnizatio demolitioni.

Itaque sacerdos Henricus, de Osso post plures habitas adversas sententias in Hispania, quarum ultima sententia secundi turni Rotalis Matritensis, totam rem detulit S. Sedis iudicio. Disceptata fuit causa coram S. Congñe Episc, et Reg. die 11 Martii 1892 (1) et ad subiecta dubia: I. *Utrum sententiae editae a tribunalibus hispanicis revocandae sint in casu* et quatenus negative: II. *An et quomodo admitti possit transactio implorata a sacerdote Henrico de Osso in casui* responsum prodiit : *Ad I. Negative et executioni demandandum esse sententiam rotalem diei 28 Februarii 1891. Ad II. Negative in omnibus et amplius.*

Victus, sed non fractus sacerdos de Osso die 12 Maii 1893 iterum instetit apud S. Congregationem pro causae revisione, allegans ex domus Novitiatus demolitione scandalum oritu-

(1) Confer Vol. XXIV, 550.

rum, et petens ut, in casu demolitionis, attenta sua bona fide, praevia indemnizatio sibi concedatur.

Interim vacata sede Episcopali Derthusensi sacerdos de Osso petiit ut sententiae executio suspenderetur quoad usque novi Episcopi adventum. At serius idem sacerdos cum detegisset in Archivio S. Congregationis documenta a suo Procuratore exhibita in prima propositione causae non adinveniri, coepit instare pro beneficio restitutionis in integrum eo quod praefata documenta Eminentissimis Patribus non fuerunt nota.

Tandem advenit novus Episcopus : hic vero in suis literis 12 Ianuarii 1895, confirmatis factis ac rationibus a Monialibus Carmelitis adductis, et refútala instantia pro beneficio restitutionis in integrum obtinendo, votum pro concordia proposuit, hoc sensu nempe quod controversa domus Novitiatus non demoliatur, sed potius Monialibus cedatur quae ratione utilitatis sibi obventurae, parvam pecuniae summam persolvent, sub pactis et conditionibus inter partes statuendis et auctoritate iudicis ecclesiastici sanciendis.

Verum cum proposita concordia sac. de Osso non placuisset, die 27 Aprilis 1895 decretum prodiit ut causa discuteretur in plenario conventu Emorum Patrum sub dubio in calce exscripto. Interea sac. de Osso viam universae carnis ingresso, Sorores Teresianae sui fundatoris causam susceperunt et prosecutae sunt.

Disceptatio Synoptica

RESTITUTIO IN INTEGRUM EST CONCEDENDA. Qui partes agit sacerdotis de Osso seu Sororum S. Teresiae in duas partes orationem suam dispescit, in quarum prima contendit praefatam restitutionem esse concedendam, in altera proponit modum quo est concedenda. Aggrediens itaque primam partem recolit motiva ad eam concedendam esse extrinseca. Quoad motiva extrinseca primum horum propugnat esse factum quod documenta in S. Congregatione oblata examini EE. Patrum an. 1892 non fuerunt subiecta, utpote quia in Archivio

praefatae S. Congregationis deperdita, idque deprehensum esse ait tum ex folio officiali seu Consultatione, in cuius summario tantum adversae partis documenta referuntur, tum ex ipso fasciculo actorum illius temporis. Iam vero incivile est quempiam inauditum damnari.

Alterum motivum deducit ex ipsius S. Congregationis agendi ratione. Ipsa enim per duas vices iussit suspendi decretum demolitionis domus Novitiatus Sororum ut ut Vicarius Capitularis Derthusensis in suis uteris informativis demolitionem urgeret ; quod profecto indicat adesse rationes ad emanatas sententias impugnandas : nec aliam esse sententiam iuristarum plurium et praeclarorum Praesulum in Hispania, inter quos advocatus duos Erhos Patres Purpuratos recenset.

Tertium et gravius motivum Patronus adinvenit in irregularitate actorum tum Tribunalis Appellationis Tarraconenses, tum primi Turni Rotalis Matritensis. In illo arbitrarie fuit iudex revocatus ab Archiepiscopo Tarraconensi quando iam sententia favorabilis sac. de Osso coepta erat transcribi in actis, et alius substitutus fuit prorsus contrarius clienti de Osso ; in hoc nulla provisio edita fuit super querelis ab Osso productis circa recusationem iudicis, et falso assertum fuit omnem irregularitatem sanatam fuisse partium consensu.

Tandem patronus restitutionem concedendam esse sustinet, eo quia praetensa ex adverso demolitio est iuridicum absurdum. 1. Quia Teresianum Collegium aedificatum est in proprio fundo et tunc adiudicari oportet domino fundi, vel exurgit in solo alieno et tunc cedit domino soli, iuxta vulgatum effatum *aedificatum solo cedit* praevia tamen compensatione si adfuit bona fides : at numquam demolitio admitti potest quia haec in nullius vergeret utilitatem. 2. Pro aedificatione Collegii praefati iam expensae sunt 50 millia libellarum et soli ab aedificio occupati valor non excedit 400 libellas. Iam vero praetensio destructionis huiusmodi aedificii pro recuperando solo tam tenuis valoris, etiamsi in

iuris apice consisteret, admitti prorsus nequit, quia *summum ius, summa iniuria* ut passim tradunt iuristae. 3. Demum quia demolitio in themate dum ex una parte scandalum pareret inter fideles, ex altera redoleret maximam iniustitiam, quia sorores forent a pacifica et legitima possessione exturbatae, quin prius essent auditae et damnatae in iudicio.

Accedit deinde Defensor ad motiva intrinseca seu quae meritum tangunt, et propugnat in primis Domum-Novitiatum in proprio Sororum fundo fuisse aedificatam, hinc ipsius demolitionem decerni non potuisse absque summa iustitiae laesione. Adnotat totalem decretam demolitionem in themate constituere gravamen iuridicum ; actio enim instituta a sociis cessionariis Sánchez, Auxachs, et Peñaroja in primo iudicio fuit alternativa, nempe vel ad/totum aedificium demoliendum, vel ad eius altitudinem imminuendum in 30 palmis seu mensuris : proinde sacerdos de Osso erat ad summum damnandus ad partialem domus demolitionem iuxta notum adagium. *In obscuris quod minimum est sequamur.*

Hoc praemisso, Orator subdit quod totum negotium enodandam quaestionis est in interpretatione actus cessionis seu donationis factae a domina Magdalena de Gran. Atqui si hic actus in se examinetur, manifesto erumpit ipsum domino de Osso non adversari. Sane ceu ex praefato instrumento donationis, undecim mensurae fundi destinantur pro *obiecto pio et religioso* iuxta voluntatem et determinationem dandam ab ipsis donafariis ; nihil autem vetat quominus sub obiecto pio et religioso duae causae piae vel fundationes venire queant ; eo vel magis quod in dicto instrumento sermo fit de *aedificiorum* constructione, et ipsi donatarii duas pias fundationes designaverint, nihil in contrarium faciente permissionis decreto sive reali sive Episcopali a Monialibus Carmelitis obtentae, quia in ipsis quantitas fundi non est specificata, quae aliunde clare ab ipsis donatariis fuit praefixa in octo tantum mensuris pro Monialibus ex un-

decim donatis, ceu ex actu ipsorum informativo Curiae Derthusensi oblato constat.

Post haec advocatus, recolita nota iuris regula quod nulla in contractibus haberi queat melior interpretatio, quam illa data ab ipsis contrahentibus eorum actibus successivis, demonstrat partem fundi donati vere destinatam fuisse pro aedificatione Domus-Novitiatus Sororum : id scatet primo ex epistola cappellani Dominae De Gran diei 25 Martii 1878 et ex attestatione Superiorissae Generalis Sororum S. Thereresiae, ubi edicitur aedificationem Collegii locum habuisse ipsa donante consentiente, quin imo haec ad hunc finem summam impertita est. Adversarii hanc voluntatem negare vellent adducendo aliam epistolam praefatae dominae diei 27 Iunii 1891 ubi erectio Collegii conclamatur contra ipsius voluntatem ; sed reponit Orator praeterquam quod haec epistola est suspecta, utpote scripta undecim annis litis post penden tiam, priorem voluntatem destruere non valet iuxta iuris effatum, *quod semel placuit amplius displicere non potest.*

Nec alia fuit integratio actus donationis iuxta patronum, data ab ipsis cessionariis : probat id tum ex actu informativo supra relato ab ipsis subscripto, tum ex eorum interessentia festivitati pro inaugurando aedificio Collegii Sororum in qua singrapha collocationis primi lapidis subscripta mansit nedum a Vicario Generali Derthusensi sed etiam ab ipsis donatariis : qui consensus et concordia perseveravit durante aedificatione praefatae domus, et solum interceptus fuit mense Novembris 1879, quando iam Sorores Teresianae erant in pacifica possessione et occupatione Collegii : haec plane evincuntur tum ex depositionibus iuratis Architecti Albeza ex facto quod socius Auxachs salaria operariis fabricae persolvebat et ex ipso Decreto Gubernativo.

Post hoc Orator refutans septimum *Considerando* Sententiae secundi Turni Rotae Hispanicae sustinet nec ipsarum Monialium Carmelitarum consensum in Collegii aedificatione defuisse.

Siquidem haec consenserunt primo per se tum ex parte

activa in festo pro inauguratione aedificii, tum ob insistentiam ab ipsis factam, ut dicta domus quamprimum aedificaretur, et secundo consenserunt mediante assensu ipsius Episcopi Derthusensis a quo immediate dependent, siquidem est factum notorium quod, ipso auctorante, aedificium est incoeptum, et, durante aedificatione, pluries ab ipso fuit visitatimi, ab eodem Sorores in possessionem domus fuerunt immissae.

Sed fingatur, prosequitur Orator, controversam domum in alieno fundo fuisse constructam.

In hac hypothesi ipse sustinet suum clientem maxima bona fide egisse, ideoque eidem denegari non posse privilegium, a lege bonae fidei aedificatoribus concessum, nempe praeviam indemnizationen tum quoad materiem tum quoad expensas in aedificii constructione.

Bonam autem fidem desumit nedum ex hucusque deductis, sed etiam ex eo quod priusquam operi manum admovit, omnibus cautelis sese munivit exquirendo nempe consensum consociorum, Carmelitarum, et ipsius auctoritatis ecclesiasticae : desumit ab epistola cappellano donantis ipsius nomine conscripta, ubi bona fide sacerdotis de Osso patulis verbis in aprico ponitur, desumit a confessione a tribus consociis emissa coram Provisore Derthusensi in eorum actu informativo ; et tandem eam evincit tum ex facto quod Moniales Carmelitae, perdurante aedificatione nullum quaestum moverunt, tum demum ex eo quod Episcopus Derthusensis Aznar eiusque Vicarius Generalis Castellarnan numquam de bona fide sacerdotis de Osso dubium excitarunt. Corroborat hoc vitae sanctitas sacerdotis de Osso eiusque zelus pro salute animarum, et iuramentum ab ipso emissum se maxima bona fide egisse in Collegii aedificatione. Tandem Advocatus dicit bonam fidem sui clientis constare etiam iudicialiter : ex sex iudicatis in tribunalibus hispanicis quinque eam admittunt, dempta sententia secundi Turni Rotae Matritensis quae sola per se rem iudicatam constituere non valet ; quod si S. C. Ep. et Reg. dictam sententiam confirmavit, id ex eo

est repetendum, quia ignoravit *considerando* aliarum sententiarum in quibus bona fides sac. de Osso decernitur.

Hoc praestituto, advocatus citat art- 453 et 361 codicis civilis hispanici ubi iura aedificatoris bonae fidei statuuntur. Quin imo subdit etiamsi sacerdos de Osso mala fide egisset in praefata aedificatione, tamen in praesenti casu ad tramitem art. 364 cit. cod. spectandus esset ceu aedificator bonae fidei, quia domus erecta est patientibus et silentibus Monialibus.

Postea gradum facit ad refutanda praeiudicia, quae Moniales sibi obvenire praetereunt ex propinquitate domus sororum, et signanter negat quod nunciatio novi operis ex parte Monialium intercessit, vel sin minus obnixus auctoritate *Card. De Luca, De se>\ p raed, discur. 7, n. IO,* eam considerat tamquam tacite remissam, cum inhibitioni si forte adfuisset, defuerit positiva et dolosa contraventio ex parte sacerdotis de Osso.

Quoad secundam orationis partem advocatus propugnat restitutionem in integrum concedendam esse relinquendo sorores in pacifica possessione earum domus. 1. Quia possessio Sororum est legitima, uipote quia eam obtinuerunt auctoritate Ordinarii et in ea pacifice perseverarunt usque ad praesens tempus. 2. Quia obiecta praeiudicia et Servitutes tantum in mente Monialium Carmelitarum existunt. 3. demum quia id exigit mala fides adversariorum et praesertim Monialium, nam aedificium nedum ipsis scientibus et patientibus extructum est, sed etiam hae instuterunt pro aedificatione controversae domus, cuius demolitionem nunc contra omnem iustitiae et aequitatis legem adurgent.

RESTITUTIO IN INTEGRUM EST DENEGANDA. Aliter vero sentit Monialium Carmelitarum patronus. Ipse prae primis impugnat argumentum desumptum ex deperditione documentorum in Archivio S. Congregationis. Duas effingit hypotheses 1. quod documenta a procuratore sacerd. de Osso tempore utili non fuerint exhibita : in hoc casu dicit quod restitutio in integrum non est concedenda, eo quod *culpa procuratoris*

nocet domino ; ex aìia vero parte haec documenta examinata fuerunt in praecedentibus iudicatis. Altera hypothesis quam magis plausibilem dicit, haec esset : nempe quod documenta in actis extarent quando causa an. 1892 coram S. Congregatione fuit discussa : sed postea haec in bona fide recepta fuerunt a P. Salvatore Poenitentiario et transmissa ad Rotam Matritensem, ceu constat ex ipsius acceptatione, in actis Congregationis existente. Sed, admisso etiam, pergit advocatus, quod controversa documenta reapse in Archivio S. Congregationis non extiterint, ex hoc argui non posset ratio sufficiens pro obtinenda restitutione in integrum. Sane Congregationis an. 1892 iudicium in hoc vertit, utrum nempe ex iudicatis hispanicis esset orta res iudicata, proindeque executioni mandari oporteret sententia secundi Turni Rotalis hispanici. Pro hoc iudicio efformando nil relevaban t deperdita in hypothesi documenta, quae iam erant extensa in praefata sententia.

Sed hisce omissis, dato etiam quod S. Congregatio ex motivis causae intrinsecis sententiam tulerit, indubium esse ait quod tunc tantum indulgetur restitutio in integrum, quando documenta noviter producta notabiliter causae aspectum mutant *De Luca de iudic. disc. 38, n. 19, S. Concil. Cong. in Neapolitana 10 Iulii 1817.*

Iam vero nova documenta producta, si paulisper etiam examine superficiali in se considerentur, talia sunt, ut de his ratio habita fuerit in consultatione seu folio officiali ipsius Congregationis in an. 1892, in quo etiam aliquando textuales expressiones referuntur, aut in defensione tunc producta, cuius laciniam nunc profert. Proindeque cum documenta vere nova dici non possint, petita in integrum restitutio in tenues resolvitur auras.

Deinde advocatus progreditur ad discutiendum causae meritum et praemittit doctrinam innumeris S. Rotae Romanae decisionibus sancitam nempe, quod *restitutio in integrum adversus rem iudicatam non conceditur, nisi clare et concludenter appareat de iniustitia unde desumitur laesio.*

Age vero si iudicatum S. Congregationis sub die 11 Martii 1892 ad trutinam revocetur, liquido apparet iuste et sapienter per ipsum sententias hispánicas fuisse confirmatas : hae enim sententiae duplici hoc principio fundantur, quod aedificium teresianum fundatum fuit in solo pertinente ad Carmelitas, et quod hoc ipsius fundator sacerdos de Osso omnino ignorare non poterat.

Haec duo dicit facta facilis esse probationis et resultare ex documentis productis in folio officiali seu consultatione typis edita an. 1892. Nam regium decretum diei 21 Iunii 1876, instantia donantis Episcopo Derthusensi diei 27 Aprilis 1877, epistola ipsius donantis 27 Iunii 1891, per se clare indicant voluntatem donantis fuisse, ut totus fundus cederet in proprietatem Monialium Carmelitarum : hae donationem acceptarunt, et donans iuravit praefatam donationem numquam fuisse revocaturam : hinc etiamsi admittatur quod postea donans in parte donationem revocaverit, haec revocatio nullius ponderis esse posset. Alterum factum vero quod sacerdos de Osso non ignoraverit fundi pertinentiam, probat ex simplici ratione quod ipse erat unus ex depositariis fiduciae ipsius donantis , proinde huius intentionem perfecte caliere debebat.

Hisce factis statutis, advocatus deducit quod sacerdos de Osso cogendus sit ad aedificium demoliendum. Ratio enim et ius exigunt, ut fundi dominus , in quo ab alio scienter, idest mala fide, aedificium constructum est, nullum damnum seu praeiudicium patiatur : in casu Moniales ex vicino Collegio servitutem perferunt, siquidem ipsis libertas aufertur cum ex Collegio fenestris prospici possit in ipsarum horto et cubiculis : verum quidem est quod inaedificatum solo cedit, et aedificatur malae fidei in poenam amittit aedificii proprietatem et solum pretium materiae repetere potest ; sed quando aedificium evadit domino fundi damnosum tunc aedificator malae fidei cogi potest ad ipsum, suis expensis, demoliendum quod licet non sit expresse cautum a legibus romanis, tamen a legibus modernis sancitum reperitur.

Tandem Orator réfutât obiectionem ex adverso adductam nempe quod omnes sententiae hispanicae praeter illam secundi turni Rotalis Matritensis, bonam fidem in sacerdote de Osso recognoverint. Respondet quod omnes hispanicae sententiae in una re collimant, nempe in demolitione aedificii statuenda, et in hac parte a sententia Rotali secundi turni confirmatae sunt. Quoad aliam partem, nempe bonae fidei correctae sunt, quia omnes admiserunt quod sacerdos de Osso scienter in alieno fundo aedificaverit, in quo consistit mala fides, et solum fuerunt discordes in determinanda responsabilitate. Merito proinde in hoc puncto fuerunt reformatae.

Hisce utrimque deductis, enodationi suppositum fuit sequens

Dubium

An et quomodo concedenda sit restitutio in integrum in casu i

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, post varias comperend i nationes concessas, tandem re discussa sub die 26 Martii 1897 respondit : *Negative in omnibus et amplias.*

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

DECRETUM URBIS et QRB1S de erectione et aggregatone piarum Unionum seu Societatum etc.

Cum hisce temporibus poene innumerae exortae sint in Ecclesia piae Uniones seu Societates, quae etsi quandoque Confraternitatum nomine decorentur, nihilominus inter veras et proprie dictas Confraternitates minime sint recensendae; merito dubitatum est, an leges, quae a Constitutione Clementis VIII, quae incipit : « *Quaecumque* », pro Confraternitatibus et Congregationibus iussae sunt, novis istis piis Unionibus seu Societatibus forent applicandae. Quaestio insuper mota est pro nonnullis

Confraternitatibus ad Regulares Ordines pertinentibus, quoad consensum Ordinariorum, cum illae in Ecclesiis eorumdem Regularium Ordinum eriguntur. Quare huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia dirimenda sunt exhibita:

I. - *An Piae Uniones seu Societates, quae sub Confraternitatum et Congregationum nomine minime veniunt, comprehendantur sub sanctionibus Constitutionis Clementis VIII, quae incipit* « Quaecumque » ?

II. - *An ad erectionem Confraternitatum, puta Sanctissimae Trinitatis, Sanctissimi Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo, vel n Virgine Perdolente, aliarumve huiusmodi, quae a Religiosis Ordinibus in suis respectivis Ecclesiis eriguntur, necessarius sit Ordinarii consensus?*

Et Emi Patres in Vaticanis Aedibus, in generali Congregatione coadunati sub die 5 Augusti 1897 ad proposita dubia responderunt :

Ad I[um]: Affirmative, *quoad erectionem seu institutionem, quoad approbationem statutorum, quoad aggregationem et quoad publicationem Indulgentiarum.*

Ad II[um] : «SÍ *agatur de Confraternitatibus proprie dictis, id est ad modum organici corporis et cum* sacco *constitutis,* Affirmative : *si de Confraternitatibus late acceptis, satis provisum per consensum praestitum ab Ordinario pro erectione Conventus Ordinis in Dioecesi.*

De quibus omnibus facta SSmo Dno Nostro Leoni Pp. XIII relatione, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 25 Augusti 1897, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum approbavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congr. die 25 Augusti 1897.

Fr. HIERONYMUS M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

L. * S.

f A. ARCHIEP. ANTINOEN., *Secretarius.*

DECRETUM - URBIS et ORBIS de adscriptione fidelium defunctorum confraternitatibus, Piis Unionibus piisque operibus.

Cum, post editum Decretum a S. R. et U. Inquisitione sub die 6 Decembris 1876, nec non Resolutionem S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae d. d. 14 Augusti 1889, Moderatores piarum Unionum et piorum Operum perrexerint Defunctos hisce piis Unionibus piisque Operibus adscribere, ab hac S. Congregatione Indulgentiarum exquisitum est:

An, stante Decreto S. R. et U. Inquisitionis diei 13 Decembris Í876 et Resolutione huius S. Congregationis sub die Î4 Augusti 1889, sustineri valeant adseriptiones Defunctorum piis Unionibus piisque Operibus?

Et Emi Patres in generalibus Comitiis ad Vaticanum habitis sub die 5 Augusti 1897, rescribendum duxerunt:

Negative.

In Audientia vero habita ab infrascripto Cardinali Praefecto, die 25 Augusti 1897.

FR. HIERONYMUS M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

U S.

f ALEXANDER ARCHIEP. ANTINOEN., *Secretarius.*

DECRETUM - SQUILLACENSIS De Indulgentia altari privilegiato adnexa.

Episcopus Squillacensis huic S. Congregationi Indulgentiarum sequentia dubia enodanda proposuit:

I. - *An Indulgentia Altaris Privilegiati separari possit ab applicatione seu fructu Sacrificii, quando Sacrificium est celebrandum pro defunctis?*

II. - *An eadem Indulgentia Altaris Privilegiati separari possit, quando celebratur Sacrificium pro vivis, ita ut Indulgenti^ praedicta applicari possit pro defunctis ad libitum Celebrantis ?*

III. - *Quomodo intelligenda sit inscriptio, quae reperitur in aliquibus Altaribus, huius tenoris : « Altare Privilegiatum pro vivis atque defunctis » ?*

Et in generali Congregatione habita in Palatio Apostolico Vaticano, die 5 Augusti 1897, Eiîii Patres rescripserunt :

Ad I[um] et II[um]: *Negative.*

Ad III^um: *Interpretanda est ita, ut tam pro vivis., si in Altari, de quo agitur, Missae Sacrificium pro vivis applicetur, intelligatur concessa Plenaria Indulgentia; pro vivis ad modum iurisdictionis, pro defunctis ad modum suffragii.*

Et facta per me infrascriptum Card. Praefectum SSmo D. N. Leoni Pp. XIII de his relatione, in Audientia habita die 25 Augusti 1897, Patrum Cardinalium responsiones Sanctitas Sua ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 25 Augusti 1897.

Fr. HIERONYMUS M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

L. * S.

i A. ARCHIEP. ANTTNOEN., *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DUBIA quoad Ecclesiam consecratam, et innovationibus postea subiectam.

NICOTEREN. et TROPIEN. — Rmus Dnus Dominicus Taccone -Gallucci, hodiernus Episcopus Nicoteren. et Tropien. Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exponens, opportunam Dubiorum solutionem et facultatem postulavit; nimirum :

Ante annum 1880 in Cathedrali Ecclesia Tropien, quae superiore saeculo fuerat consecrata, innovationes factae sunt, nempe : Altare maius marmoreum, quod retro habebatChorum seu sedes Canonicorum et Mansionariorum, dimotum fuit et postremo parieti innixum, manentibus ante illud sedibus choralibus, et nova indiget consecratione. Insuper parietum et fornicum crusta, vulgo *intonaco,* tota simul disiecta fuit, atque partim denuo confecta et depicta, partim vero marmoreis tabulis subrogata. Plura quoque altaria marmorea habent in medio mensae lapidem quadrum in forma altaris portatilis caemento firmatum. Hinc quaeritur:

I. An Ecclesia Cathedralis Tropien, exécrala sit, quia tota simul crusta disiecta fuit?

IL Et quatenus negative ad I, quum eadem Ecclesia ob diuturnam opificum mansionem sit reconcilianda, ipse Episco-

pus Tropien, petit facultatem delegandi Sacerdotem ad eiusmodi reconciliationem seu benedictionem.

III. Quum supradicta altaria cum lapidibus quadris in medio, consecrata fuerint ad modum altarium Uxorum, quorum mensa unico lapide constat, stipiti lapideo ex utraque parte adhaerens, idem Episcopus postulat, quatenus opus sit, sanationem quoad praeteritum tempus et dispensationem quoad futurum, ut in iisdem Altaribus, etiam in posterum Sacrum fieri valeat, prouti hucusque factum fuit.

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, omnibus rite perpensis rescribendum censuit:

Ad I. Negative iuxta Decretum diei 8 Iunii 1896.

Ad II. Pro gratia.

Ad III. Pro gratia, quatenus opus sit tum sanationis tum dispensationis ad effectum de quo agitur. Curet tamen Episcopus ut altaribus portatilibus fixa substituantur. Atque ita rescripsit et de Apostolica Auctoritate petitas facultates concessit. Die 9 Augusti 1897.

L. M. Card. PAROCCHI.
D. PANICI, 5. *R. C. Secretarius.*

EX SECRETARIA BREVIUM

BREVE quo coelestis patronus coetuum eucharisticorum constituitur s. Paschalis Baylon.

Providentissimus Deus fortiter suaviterque disponens omnia, singulari quadam cura Ecclesiae suae ita prospexit, ut quum inclinatae maxime res viderentur, ex ipsa temporum acerbitate insperata eidem solatia suscitaret. Id, quum saepe alias, tum potissimum videre licet his rei christianae ac civilis temporibus. Quum enim communis tranquillitatis osores, insolentius se in dies efferentes, quotidiano impetu eoque validissimo adnitantur Christi fidem omnemque paene societatem evertere, placuit divinae bonitati his rerum fluctibus praeclara studia pietatis obiicere. Quod quidem plane declarant et sanctissimi Cordis Iesu longe lateque propagata religio, et excitatas ardor ubique ter-

rarum provehendi cultus Marialis, et inclyti eiusdem Deiparae Sponsi adaucti honores, et catholicorum coetus in vario rerum genere ad omnemque fidei defensionem parati, aliaque complura, promovendo divino honori et mutuae caritati fovendae, sive amplificata, sive primum invecta. Quae quidem omnia etsi animum nostrum suavissime afficiunt, nihilominus divinorum munerum summam hanc esse putamus, auctam in populis in Eucharistiae sacramentum religionem post habitos in eam rem coetus per haec tempora celebérrimos. Nihil enim efficacius videtur Nobis, quod alias significavimus, catholicorum animis excitandis tum ad fidem strenue profitendam, tum ad virtutes, christiano nomine dignas exercendas, quam ut alantur et acuantur studia populi in admirabile illud amoris pignus, quod pacis vinculum est atque unitatis. Quum igitur tanta res maximae Nobis curae sit, quemadmodum coetus eucharisticos saepe laudavimus, ita nunc uberiorum spe fructuum permoti, faciendum ducimus ut iis patronus caelestis assignetur ex sanctis caelitibus qui in augustissimum Corporis Christi sacramentum vehementiore affectu flagrarunt Inter eos vero, quorum ardor pietatis in praecelsum hoc fidei mysterium efferbuisse magis visus est, locum obtinet dignissimum PASCHALIS BAYLON. Qui animum sortitus rerum caelestium apprime studiosum, postquam adolescentiam in custodia gregis transegit innocentissime, severioris vitae institutum amplexus in Ordine Minorum strictioris observantiae, eam ex contemplatione divini convivii meruit haurire scientiam, ut rudis ac litterarum expers potuerit et de rebus fidei difficillimis respondere et pios etiam libros conscribere. Idem Eucharistiae veritatem publice palamque professus inter haereticos multa et gravia perpessus est, ac Tharsicii martyris aemulus, ad necem quoque crebro petitus. Eum denique pietatis affectum defunctus etiam retinere visus est: quippe iacens in feretro, ad duplicem sacrarum specierum elevationem, bis oculos dicitur reserasse.

Igitur apparet, coetus catholicorum, de quibus loquimur, nullius in tutela melius esse posse. Propterea qua ratione Thomae Aquinati cupidam litterarum iuventutem : Vincentio a Paulo consociationes caritatis caussa initas ; Camillo de Lellis et Ioanni de Deo aegrotos et quotquot aegrotis adiutandis dant operam, opportune commendavimus, ita, quod bonum faustumque sit et rei christianae benevertat, suprema auctoritate Nostra, prae-

sentium vi, sanctum Paschalem Baylon peculiarem coetuum eucharisticorum, item societatum omnium a sanctissima Eucharistia, sive quae hactenus institutae, sive quae in posterum futurae sunt, Patronum caelestem declaramus et constituimus. Atque ab eiusdem Sancti exemplis patrocinioque hunc fructum fidenter petimus, ut e populo christiano quotidie plures animum, consilia, amorem ad Iesum Christum servatorem referant, omnis salutis summum augustissimumque principium. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemptis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXVIII Novembris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno Vicesimo.

ALOIS. CARD. MACCHI

Breve quoad solemnia celebranda Carpineti occasione sexti saeculi abeuntis ab obitu S. Ludovici Archiepiscopi Tolosani.

Suavi quodam iucunditatis sensu animum Nostrum perfundit nuntius qui Nobis affertur, Carpineti singulari studio et pietatis significatione sollemnia apparari ob memoriam sancti Ludovici Archiepiscopi Tolosani, sexto abeunte saeculo post quam ille regio sanguine clarus, vitae sanctitate clarissimus, a mortali hoc aevo ad immortale ac beatum demigravit. Optimo sane consilio maiores Nostri illum sibi posterisque suis Patronum coelestem cooptarunt, qui quum fuerit, dum vixit, omnis virtutis exemplar, haberent ipsi quem sibi ad imitandum proponerent, et quum plurimum valeat nunc gratia apud DEUM, haberent custodem et vindicem, quem possent in omni vitae discrimine ad defendendum invocare. Neque semel gens Nostra novit planeque sensit, se in fide et clientela sancti Ludovici esse; magnorum enim est vis beneficiorum, quae ille in Nostrum genus omni tempore contulit, quorum quidem beneficiorum neque interibit apud Nos memoria, neque gratia consenescet. Ex quibus illud placet commemorare, quod maximi fit apud Nostros,

et cuius extat quasi mnemosynon, continuatio seriesque nominis Ludovici et festum quod peragitur quotannis ad S. Petri Patrum ex Ordine sancti Francisci Reformatorum. Proditum memoriae est, avos Nostros sterili coniugio quartum iam annum devinctos, miro prolis desiderio fuisse incensos, quam ut susciperent, sollicita prece caelestem Patronum suum Ludovicum ambierunt. Exacto nondum anno, voti compotes facti prole gavisi sunt mascula, Parente Nostro, cui Ludovici nomen est inditum. Neque ignota quidem neque nova municipibus Carpineti est observantia, qua domus Nostra ab avis et proavis sanctum Ludovicum reveretur et colit atque ideo probe sciunt Nobis potissimum et genti Nostrae, quum illi honores indixerint, se gratum acceptumque facturos. Quapropter hoc etiam nomine huiusmodi sollemnia Nos non mediocriter delectant, quibus quidem volumus per Nos etiam accessionem aliquam fieri ornamenti et decoris. Quumque Nobis summo DEI concessu et munere gratiarum caelestium creditus sit thesaurus, illum in hisce sollemnibus ad bonum spirituale christianorum aperiendum censuimus. Neminem enim latet honores qui beatis caelitibus deferuntur, eo illis gratiores esse atque acceptiores, quo magis sunt iis qui deferunt, fructuosi. Quare ut honores qui Carpineti sunt sancto Ludovico habendi, optatiores illi sint, et christiani omnes ex sollemnibus quae peragent, possint laetos uberesque demetere et percipere fructus, Nos de Omnipotentis DEI misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui die trigesimo mensis Augusti, quo festum saeculare celebrabitur, vere poenitentes confessi a£ sacra Communione refecti, templum sancti Petri Patrum ex ordine sancti Francisci Reformatorum devote visitaverint, atque ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad DEUM preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quum vero ante dictum festum sollemnis supplicatio in triduum habenda sit, Nos iisdem fidelibus, corde saltem contritis, qui quolibet die ex tribus diebus memoratae supplicationi interfuerint, atque ut supra dictum est oraverint, septem annos totidemque quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et sin-

gulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, etiam animabus christifidelium, quae DEO in caritate coniunctae ab hac luce migraverunt, per modum suffragii applicari posse largimur. Praesentibus valituris hoc anno tantum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 28 Iulii MDGGGXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo

A. Card. MACCHI.

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIA quoad usum facultatum, quibus Episcopus pollet circa dispensationes fori interni et externi, nec non impedimentorum dirimentium et impedientium.

Beatissime Pater,

Episcopus Mysurien. ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit se interdum ancipitem haerere in usu facultatum cumulandi (ut aiunt) quibus in tribuendis dispensationibus matrimonialibus pollet. Hinc enixe petit insequentium dubiorum resolutionem :

I. Utrum concurrente aliquo impedimento dirimente secreto, seu fori interni, cum alio impedimento item dirimente, sed publico, necessaria sit ad dispensationem specialis cumulandi facultas.

II. Utrum concurrentibus duobus impedimentis, quorum unum sit dirimens et alterum impediens tantum, eo excepto quod *mixtae religionis* dicunt, pariter necesse sit ad dispensationem specialis cumulandi facultas.

Fer. IV, 18 Augusti 1897.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab Emis ac Rmis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EEmi ac RRmi DDni responderi mandarunt :

Ad I. Negative; et detur Decretum diei 31 Martii 1872 *in Coimbaturen.*

Ad II. Affirmative quoad impedimenta impedientia, quorum dispensatio reservatur S. Sedi, ea nempe quae oriuntur ex mixta religione, ut aiunt, atque ex sponsalibus et ex voto simplici perpetuae castitatis; secus in reliquis, circa quae Episcopus uti poterit iure suo.

Feria vero VI, die 20 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de his omnibus relatione SS. D. N. Leoni PP. XIII, idem SSmus Dominus resolutionem EE. ac RR. Patrum in omnibus approbavit.

Decretum autem die 31 Martii 1872 datum occasione dubii a R. P. D. Vicario Apostolico Coimbaturen. propositi, prout constat ex actis S. Congr. de Propag. Fide, sic se habet: « SSmus « Dominus declaravit generatim prohibitionem concedendi abs« que speciali facultate dispensationes, quando in una eadem« que persona concurrunt impedimenta matrimonialia, non ex« tendi ad eos casus, in quibus cum impedimento, natura sua « publico, aliud occurrit impedimentum occultum, seu fori in« terni ».

I. Can. MANCINI S. R. et U. I. *Notarius.*

DUBIUM quoad Presbyteri Ordinationem ex defectu manuum impositionis.

Beatissimo Padre,

Il Vescovo N. N., prostrato ai piedi della S. V., umilmente espone che nella ordinazione del Sacerdote B., per mera dimenticanza fu omessa la imposizione delle mani per parte dei Sacerdoti assistenti, e il Vescovo stesso non ricorda (nè lo ricordano gli altri) se tenne le mani elevate sul capo del promovendo nella seconda imposizione, quando si recitava l'orazione *Oremus fratres eharissimi* etc. Chiede perciò l'oracolo supremo per conoscere ciò che egli debba fare.

Feria IV die 17 Martii 1897.

In Congregatione Gen. S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE. et RR. DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto Dubio, iidem EE. ac RR. DD. responderi mandarunt: *Sacerdos B. ordinetur secreto et sub conditione quacumque die, etiam feriata, obtenta a SSmo facultate.*

Sequenti vero fer. V die 18 eiusdem mensis et anni, in solita Audientia R. P. D. Assessori impertita, facta de his omnibus relatione SS. D. N. Leoni PP. XIII, idem SS. Dominus resolutionem Emorum et Rmorum Patrum in omnibus approbavit, facultatem concedendo.

I. Can. MANCINI S. R. et U. *Inq. Notarius.*

DUBIUM quoad ordinationem presbyteri, in qua putatur tactam non fuisse patenam.

Beatissimo Padre,

Il Sacerdote N. N., prostrato ai piedi della S. V. umilmente espone che nella sua ordinazione presbiterale quando fu sul punto di ricevere gli strumenti, si accostò cogli altri al Vescovo, che li teneva in mano ; ma dubita se giunse a toccare il calice insieme colla patena ; quest' ultima gli sembra di non averla toccata. Chiede perciò norme per tranquillità di sua coscienza.

Feria III loeo 1V, die 7 Sept. 1897.

In Congregatione Gen. S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE. et RR. DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto Dubio responderi mandarunt : *Acquiescat.*

Feria vero VI die 10 eiusdem mensis et anni, in solita Audientia R. P. D. Adsessori impertita, facta de his omnibus relatione SS. D. N. Leoni PP. XIII, idem SS. Dnus, resolutionem Emorum et Rmorum Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI S. R. et U. *Inq. Notarius.*

Christifideles dictionis hispanicae iter facientes extra Hispaniam carnibus vesci nequeunt, etiamsi gaudeant indulto quadragesimali et Bullae Cruciatae.

Feria IV, die 22 Iunii 1897.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab Emis ac RR. DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus proposito dubio : « Utrum christifideles Bulla Cruciatae et indulto quadragesimali gaudentes, et

iter extra limites Hispanicae ditionis agentes, carnibus vesci possint diebus vetitis eodem modo ac si in Hispania degerent, etiamsi cibi esuriales non desint? »

Omnibus diligenti examine perpensis, praehabitoque DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Cardinales respondendum mandarunt: *Negative.*

Feria vero VI, die 4 Iunii eiusdem mensis et anni, in solita Audientia r. p. d. Assessori S. O. impertita, facta de suprascriptis accurata relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII, Sanctitas Sua resolutionem Eminentissimorum Patrum approbavit et confirmavit.

I. CAN. MANCINI *S. B. et U. I. Not.*

EX S. CONG. DE PROPAGANDA FIDE

Nova erigitur Praefectura apostolica Rhodi

DECRETUM.—14 Agosto 1897 — Cum controversia orta esset, utrum insula Rhodi ordinariae iurisdictioni Vicarii Apostolici Asiae Minoris subiecta esset existimanda, an potius Superioris Missionis Fratrum Ordinis Minorum Constantinopoli, qui titulo Praefecti Apostolici iam ab elapso saeculo hucusque praedictam Rhodi missionem gubernavit; res iudicio definienda huius S. Congregationis delata est. Porro Eminentissimi Patres in binis Generalibus Comitiis, habitis diebus 10 Maii et 19 Iulii praesentis anni, negotio mature examinato, alia usque rationibus hinc inde diligenter perpensis, tandem statuendum censuerunt; ut insula Rhodi una cum insulis Lini, Nissyros, Scarpanto, Castellarizo, Côsidest, Stanchiò, Chachi, Leros, Calymnos, Pserimos, Tilos et Cassos, quavis auctoritate praedicti Vicarii Apostolici Asiae Minoris in ipsis amota : Praefecturam Apostolicam constituant, a praelaudato Ordine Fratrum Minorum deserviendam, cum proprio independente Praefecto Apostolico Rhodi residente, et de more ab hac Sacra Congregatione nominando.

Quam Eminentissimorum Patrum sententiam in audientia diei 10 huius mensis, Sanctissimo Domino Nostro LEONI Divina Providentia Papae XIII ab infrascripto Archiepiscopo Larissensi, huius Sacrae Congregationis a Secretis, relatam, eadem San-

ctitas Sua ratam habuit et approbavit, praesensque ad id Decretum fieri iussit.

Datum Romae ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die XIV Augusti Anno MDCCCXCVII.

M. CARD. LEDOCHOWSKI, *Praefectus.*

A. Archiep. LARISSEN., *Secretarius.*

Facultas celebrandi Missam Conceptionis I m m ac. in sabbato conceditur Sacerdotibus tertiariis franciscanis.

Beatissime Pater,

Fr. Luigi da Parma, Min. Generale dei Frati Minori, prostrato al bacio del S. Piede, umilmente espone che quantunque sia stato concesso ai Terziarii francescani di godere de' privilegi spirituali concessi ai Frati Minori, vi ha dubbio se i sacerdoti Terziarii possano nel sabato dir la messa votiva dell' Immacolata , come fu concesso a tutti i Frati Minori nelle loro Chiese, ed esteso poi anche alle Chiese de' Vicariati Apostolici affidati ai Francescani in Cina. Or, siccome in Gina i Sacerdoti secolari de' nostri 9 Vicariati Apostolici sono in generale tutti Terziarii e fanno uso del Messale francescano, l'umile oratore implora, da V. S. che i medesimi Terziarii de' Vicariati francescani in Cina abbiano il privilegio di poter dir la messa votiva della Immacolata nei sabati ne' quali possono celebrare i frati del I° Ordine.

Che della grazia etc.

Ex audientia SSmi diei 7 Septembris 1897.

SSmus D. N. LEO Div. Prov. Papa XIII, referente infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, benigne annuere dignatus est pro gratia petitae extensionis, servatis rubricis.

Datum Romae ex aedibus praedictae S. Congregationis, die et anno ut supra.

Pro R. P. D. *Secretario*

C. LAURENTI.

MONITUM,—Corrige pag. 254 huius Vol. in rescripto Indulgentiarum lin. 3 prima *sexta* **loco: prima quinta; et 255 lin. 1 aduce** *dummodo* **ante -verbum** *tamen.*

1°. Quia legislator loquitur de libris et scriptis ; librorum autem nomine ephemerides et diaria non veniunt; quamvis autem scriptorum vocabulo intelligantur cuiuslibet molis aut formae lucubraciones, illae tamen quae principaliter, ex instituto, ex professo de re vetita agunt; hoc sed vero de ephemeridibus et diariis dici nequit, cum principaliter de factis politicis, publicisque hominum actionibus tractent; atque si quae supernaturalia referant, obiter et per accidens ; sub lege igitur non est dicendus legislator ephemerides et diaria comprehendere voluisse.

2°. Quia impossibile est eiusmodi publicaliones impedire, cum ephemeridum plurium scriptores de ecclesiastica censura solliciti non sint, alii contemnant, alii ob usum, consuetudinem, concessionem dispensentur; atque, quod praecipuum est, in novo iure ephemeridum scriptores non compellantur praeviae ecclesiasticae censurae folium imprimendum submittere; ea vero quae executioni demandari non possunt, praesertim si intrinsece mala non sint, non praecipiat legislator, cum sin minus legem inutilem statueret. Neque quis obiiciat, alios ephemeridum scriptores legislatoris voluntati esse obedituros. Sed cuius voluntati obedituri erunt, cum praecedens censura ecclesiastica ephemeridum scriptoribus non praecipiatur? Quid exinde boni, cum finis a legislatore intentus obtineri non possit; quamvis enim aliqui obedituri essent, tamen apparitiones, visiones etc. undequaque per alios divulgantur ; neque veri Ecclesiae filii ab eiusmodi narrationibus legendis cavere possunt, cum praecedenter nesciant quid in ephemeridibus contineatur. Ut quid ergo, dicturus erit aliquis, eiusmodi libros et scripta legislator prohibuit, si finem a se intentum se non esse consecuturum intelligebat ? Legislator, ut respondeamus, prohibuit libros et scripta, sub quorum censu ephemerides et diaria non veniunt; in libris autem scriptisque huiusmodi optime finem intentum consequitur, cum fideles moniti illorum lectione abstinere poterunt, auctores vero, si catholici, libros et scripta talia continentes non publicabunt, ceteri prudentiores erunt timore abrepti ne plurimos lectores emptoresque reperiant; graviora deinde mala inducunt libri et scripta de re vetita ex professo tractantes, quam ephemerides quae obiter, quaeque post horam proiiciuntur. Non quilibet demum finis a legislatore intenditur, sed ille qui ex verbis legis dimanat; hic autem est cavere mala

quae ex libris scriptisque novas apparitiones etc. continentibus oriri possunt, non alios fines quoslibet qui ex aliis fontibus. Ratio igitur utriusque casus est omnino diversa.

3°. Quia, ut iam monuimus, videtur legislator in praesenti paragrapho de libris scriptisque loqui qui ex professo de novis apparitionibus, visionibus, miraculis etc. loquuntur, aut saltem quorum principale obiectum his narrationibus constituitur; in diariis autem aliisque ephemeridibus eiusmodi res atque facta nullum principale obiectum constituunt.

4°. Quia usus eiusmodi supernaturalia facta in publicis diariis publicandi penes universos invaluit, quin aut Episcopi, aut Apostolica Sedes de re sollicita fuerit. Non est. autem adeo facile condemnandum quod communiter fit, videntibus tacentibusque Ecclesiae praesulibus. Hoc tamen in loco catholicarum ephemeridum moderatores monere audemus, ut de simplici factorum narratione contenti, de natura et supernaturali eorum indole nihil pronuntient.

II. Sed praeter novas apparitiones, visiones, miracula etc. proscribuntur hac in paragrapho etiam libri et scripta quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si tamen publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia.

Saluberrima haec est Pontificis dispositio ; tot enim ac tanti divulgantur novarum devotionum libri, libelli, foliόla, ut non modicam pariant confusionem, et quin promoveant, pietatem potius imminuant. Plerumque enim contingit, ut spretis iis devotionibus, quae ab Ecclesia vel praecipiuntur, vel commendantur, animae nonnullae iis sese devotionibus dedant quae placent, quaeque a legitima auctoritate minime approbatae fuere. In memoriam itaque universorum Christi fidelium revocandum est, primam praecipuumque devotionem nostram erga SS. Trinitatem esse debere, deinde erga Christum Redemptorem nostrum, atque postea erga Beatam Virginem Mariam, cui sequatur devotio erga Sanctos Angelos atque Apostolos; ceteras his non esse praeferendas existimamus; etenim si in cunctis ordo et recta ratio servanda est, multo magis in iis quae ad pietatem pertinent.

Novae tamen devotiones, ad instar novarum apparitionum etc. non absolute et intrinsece, saltem ut plurimum, proscribuntur, cum aliquando bonae esse et ad pietatem conducere

possint, sed unice ob defectum legitimae facultatis a Superioribus ecclesiasticis impertiendae. Hi autem iure suo utuntur, cum ad ipsos pertineat ea cognoscere quae a fidelibus in pietatis usum assumuntur; an scilicet reapse pia sint, et conformia receptis in Ecclesia dogmatibus, veritati historicae, communi Ecclesiae et fidelium sensui etc.

Neque refert quod non in publicum, sed in privatum usum publicatae et adscita e fuerint; etenim publicatio etiam hac de causa interdicitur; et quidem sapienter; etenim a periculis spiritualibus quae novae devotiones inducere possunt, sive publice sive private cavere debemus ; difficile deinde est ut quae semel publicata sunt ita privata consistant, ut etiam in usum publicum a, plerisque non idoneis peritisque Ecclesiarum rectoribus non assumantur. Solent demum plerique tanta vesania erga aliquas devotiones abripi ut putent vel iis solummodo vitam aeternam esse consecuturos, quamvis de cetero divinorum mandatorum observantiam posthabeant, aut saltem non esse consecuturos sine illis *(a).*

Novimus qua de causa plures devotiones a Suprema S. Officii Congregatione reprobatas fuisse ; atque exemplo sint titulus *amici Saeratissimi Cordis Iesu* Sancto Iosepho tributus ; item titulus tributus B. M. Virgini *Nostrae Dominae Saeratissimi Cordis* eo sensu quod imperium super Filium suum exerceat, *quod pie asseri nequit,* inquit Suprema Inquisitio in epistola diei 23 Februarii 1875 ad Episcopum Presmiliensem Latinorum in Galitia *{b)* ; emblemata SS. Cordis Iesu in Eucharistia ex de-

(a) Factum narrabo. Novi hominem, qui dimissa uxore -sua legitima, quam coram Ecclesia tantum duxerat, cum in aliud oppidulum sese contulisset, aliam coram magistratu civili duxit, deceptis puellae parentibus, quibus Sindici testimonialibus litteris affirmabat se liberum omnino esse quocumque matrimonii vinculo. Cum ego in eo oppidulo, in quo nullus erat Sacerdos, per aliquot dies commoratus ïuissem, atque Episcopus universas facultates quae mihi concedere poterat concessisset, curavi scandalum illud removere, praesertim quod esset unicum. Quare aceito homine, ei persuadere conatus sum ut concubinam dimittere!, et legitimam uxorem ad se revocaret. Inter alia ei dicebam: Quidquid sit, tu in statu damnationis es, et si Deus ad suum tribunal erit te vocaiurus, et concubinam dimittes, et in infernum proiiceris. *Nequaquam,* **respondit mihi,** *non ita erit ut tu dicis; ego enim quotidie recito cuidam Sancto* **(nominis oblitus sum)** *tot Pater, Ave et Gloria, cum quibus ego veniam quorumlibet peccatorum obtinebo, et salvus certe ero.* **Et adhuc in concubinatu vivit.**

(b) **Acta S. Sedis, VIII, 361.**

creto diei 3 Iunii 1891, quo idcirco dicitur nova emblemata Saeratissimi Cordis Iesu in Eucharistia non esse ab Apostolica Sede approbanda, *quia cultus erga Sanctissimum Cor Iesu in Eucharistia, non est perfectior cultu erga ipsam Eucharistiam, neque alius a cultu erga Sanctissimum Cor Iesu {a);* certa ratio honorandi Vultus Redemptoris ut obiecti distincti, qui scilicet importet *cultum directum et specialem (b)* ; item titulus «S. *Cordis poenitentis* ex decreto diei 15 Iulii 1893, quo *Sancta Romana Universalis Inquisitio omnino prohibet et damnat titulum:* Cor Iesu poenitens. Cor Iesu poenitens pro nobis. Iesu poenitens. Iesu poenitens pro nobis *(c).* Oratio *pro imperio Christi et Mariae Immaculatae super omnes creaturas,* Festivitas promovenda *de Sanguine Sacratissimo Mariae,* de qua re libros confectos Suprema Inquisitio damnavit Feria IV, die 13 Ianuarii 1875 *{d).* Praestat vero monitum referre quod pluribus ex hisce decretis Suprema Inquisitio annexuit, ut tandem aliquando fideles hisce novitatibus abstineant. « Sanctissimus Dominus Noster Pius di-
« vina providentia Papa IX in solita audientia r. p. D. Assessori
« S. Officii impertita, mandavit, monendos esse scriptores qui
« ingenia sua acuunt super argumentis quae novitatem sapiunt,
« ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos etiam per ephe-
« merides promovere student, ut ab eorum proposito desistant,
« ac perpendant periculum quod subest pertrahendi Fideles in
« errorem, etiam circa Fidei dogmata, et ansam praebendi Re-
« ligionis osoribus ad detrahendum puritati Fidei, doctrinae ca-
« tholicae, ac verae pietati » (e).

Superiores autem legitimi, a quibus novas devotiones publicandi licentia petenda est, Episcopi sunt, atque ceteri locorum Ordinarii. Novae tamen hae devotiones esse debent, quarum scilicet usus superiori aetate non reperiatur ; qua de causa novam devotionem ille non inducit qui preces in honorem alicuius Sancti, vel alia de causa inductas, et ab Ecclesiae legitima auctoritate approbatas ad plures dies protrahat, vel ex eis hebdomadam, mensem conficiat, commentariis exornet, explicetque;

{a) **Acta S. Sedis, XXIV, 573-574.**
(b) **Acta S. Sedis, XXV, 749-750.**
(c) **Acta S. Sedis, XXVI, 319**
{d) **Acta S. Sedis, VIII, 269.**
{e) **Acta S. Sedis, XXVI, 319 et alibi.**

hae enim non novae sed antiquae censendae sunt, quaeque a piis personis in usum revocantur.

52. Paragraphus haec XIV in tres partes commode dividi potest.

In 1. legislator libros proscribit qui duellum, suicidium, divortium licita statuunt.

In 2. illos qui de sectis masonicis aliisque eiusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt.

In 3. libros damnat qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

De his omnibus itaque separatim tractandum est,

I. At a principio in universum observamus, non prohiberi eiusmodi libros, quia de duello, suicidio, divortio, sectis masonicis, aut erroribus ab Apostolica Sede proscriptis simpliciter agant, sed quia horum liceitatem propugnant, aut sententias ab Apostolica Sede damnatas erroneas esse negant ; hinc siqui libri de duello, suicidio, divortio tractent, quin eiusmodi scelera defendant, aut de sectis masonicis aliisque affinibus narrationem instituant, ut earum historiam, ritus, principia, doctrinas, agendi rationem referant, quin de earum utilitate aliquid pronuntient aut sanciant; vel errores a Sede Apostolica proscriptos recenseant, quin damnationis iustitiam veritatemque impugnent, hi, inquam, libri nulla proscriptione tenentur; non enim idcirco proscribuntur quod de iis rebus agant, sed propter rationem qua ad scribendum auctores moventur.

Similiter animadvertimus libros hos ex professo, vel saltem principaliter, de interdictis rebus agere debere, non obiter aut perfunctorie ; etenim damnantur libri qui de iis materiis agunt; ergo libri, quorum hae materiae vel obiectum principale constituunt, vel non modicam partem ; idque eo vel magis ostenditur quod hi libri liceitatem duelli, suicidii, divortii statuere debent, utilitatem sectarum masonicarum, veritatem errorum quos Apostolica Sedes proscripsit; ad haec autem statuenda lucubra ti ones requiruntur numeris omnibus quodammodo absolutae ; quibus, scilicet, auctores finem quem sibi praestiterunt assequi conentur; quod de cetero ipsa verba a legislatore adhibita demonstrant ; statuere enim est rem aliquam firmiter decernere, constabilire ; sed gratuitis assertionibus, aut perfunctoriis nihil profecto constabilitur. Verbis igitur suis optime legislator

demonstravit, se libros damnare qui ex professo de interdictis actionibus tractant, quamvis inter libros et libros non distinxerit

Post haec: *Duellum est duorum paueorumve pugna ex condicto.* Aliter: *Pugna inter duos vel paucos privata auctoritate ex condicto suscepta, cum periculo occisionis, mutilationis aut vulneris.*

Privatam hanc pugnam (nam de publica et a legitima auctoritate ob finem praesertim iustum indicta non loquimur) his tantum in casibus licitam esse, doctores affirmant; vel cum lacessitus nulla alia via potest mortem evadere, quam ei provocatur intentât, nisi acceptando duellum; potest enim quis se periculo mortis exponere, ut certa iniustaque morte se liberet; quamvis, nisi nos fa Hat opinio, hoc in casu acceptatio duelli posset considerari veluti iusta et necessaria suipsius defensio; vel cum quis in bello iusto aut ad duellum adversarium provocat, aut pro vocatus acceptat; est enim quoddam belli initium, quod de cetero absque supremi ducis voluntate vix aut ne vix quidem concipitur; aut cum suscipitur ad bellum finiendum; vel cum duo sontes iuste condemnati componuntur inter se, et per duellum a iudice constituuntur mutui sententiae executores, et ea lege ut victori donetur vita.

De cetero nullae aliae rationes afferri possunt ad liceitatem privati duelli statuendam; non quidem ostentatio virium, et digladiandi peritia, cum vanitatis vitium sit quolibet iure condemnatum; non defensio honoris, aut infamiae et vecordiae evitatio, cum medium sit ineptissimum, et omnino incertum; non vindicatio illatae iniuriae, aut purgatio criminis impacti, aut defensio bonorum temporalium ob eamdem rationem; ita ut qui duelli liceitatem defendunt in manicomia essent detrudendi, ut mentecaptis ibi degentibus eiusmodi exponant argumenta.

Tum Patres Concilii Tridentini, tum Romani Pontifices privata duella proscripsere; et illi quidem Sess. XXV, cap. XIX de Reformatione *usum duellorum detestabilem, et diabolo fabricante in perniciem tum corporum tum animarum introductum* dixere; idcirco *ex christiano orbe penitus exterminandum** Imperatores hinc, reges, aliosque supremos principes illud permittentes excommunicatione feriunt, pheudis ecclesiasticis privant, si in iis duellum peractum fuerit; duellantes et patrinos excommunicationi, bonorum proscriptioni,. et perpetuae infamiae subiiciunt; sanciunt insuper, ut veluti *homieidae* spectari

debeant, et ecclesiastica privari sepultura si in ipso conflictu decesserint; complices similiter atque spectatores excommunicatione et perpetua maledictione ligant. Gravissimae hae poenae videbuntur; sed pro tanta voluntaria stultitia nulla poena gravissima censenda est.

Neque Tridentini Patres primi fuere, qui detestabilem et insanum duellorum usum proscripsere; sed ante eos Patres Concilii Valentini in Gallia sub Leone IV, a quibus occisor in duello habetur velut *homicida nequissimus et latro cruentas*, occisus vero *tamquam sui homicida et propriae mortis spontaneus appetitor;* Patres Concilii Lateranensis II sub Innocentio II anno 1130 celebrati, Concilii Lateranensis III sub Alexandro III an. 1148, ut alia particularia Concilia silentio praetereamus.

Romani vero Pontifices nihil praetermiserunt ut eiusmodi scelus ex orbe christiano penitus exterminarent; atque ad id strenuam operam confidere Nicolaus I, Coelestinus III, Eugenius III, Innocentius IV, Iulius II, Leo X, Pius IV, Gregorius XIII, Clemens VIII, Benedictus XIII, Benedictus XIV, quorum sanctiones simul collectae legi poterunt apud Iosephum Pennacchi, *Commentaria in Constitutionem Apostolicae Sedis, tom. 1, pag. 536, seqq.* Postremo vocem extulit Leo XIII 22 Septembris 1891 in Epistolis datis ad Archiepiscopos et Episcopos Imperii Germanici et Austro-Hungarici, de prava duellorum consuetudine *(a).*

Lamentatur itaque Pontifex hac in Constitutione, penes omnes nationes duellorum consuetudinem invaluisse; duellum autem tum iuri naturali tum divino adversari, cum ius utrumque vetet, *ne quis extra causam publicam hominem interimat aut vulneret, nisi salutis suae deferendae eausa, necessitate coactus. At qui ad privatum certamen provocant, vel oblatum suscipiunt, hoc agunt, huc animum viresque intendunt, nulla necessitate adstricti, ut vitam eripiant, aut saltem vulnus inferant adversario.*

Affirmat deinde vix ullam esse pestem, *quae a civilis vitae disciplina magis abhorreat et iustum civitatis ordinem pervertat, quam permissa civibus licentia, ut sui quisque adsertor iuris privata vi manuque, et honoris quem violatum putet, nitor existat.*

(a) **Acta S. Sedis, XXIV, 203.**

Romanos hinc Pontifices ab antiquis temporibus contra duellantes leges statuisse severissima s, *quarum legrem sapientia, eo luculentius emicat, quo ineptiora ea esse liquet quae ad immanem duelli morem tuendum oel excusandum solerti proferri.*

Non enim duello maculae eluuntur, *quas civium honori alterius calumnia a.ut convictum induxerit; quamvis enim a certamine victor decedat qui, iniuria accepta, illud indixit, omnium cordatorum hominum hoc erit iudicium, tali certaminis exitu viribus quidem ad luctandum, aut tractandis armis meliorem lacessentem probari, non ideo tamen honestate potiorem. Quod si idem ipse ceciderit, cui rursus non inconsulta, non plane absona haec honoris tuendi ratio videatur?*

Sed neque acceptandi certamen ullam rationem suppeditare metus excusationem, quod scilicet provocati timeant ne segnes habeantur si pugnam detrectarint. Nam officia hominum ex falsis vulgi opinionibus dimetienda non sunt, sed ex aeterna recti iustique norma, sin minus inter honestas actiones et flagitiosa facta nullum esset discrimen; ipsos sapientes ethnicos docuisse spernendas esse vulgi opiniones; fortem esse illum diiudicandum qui contumelias aequo novit animo ferre; fortitudo enim virtus est: *virtus autem in bono consistit rationi consentaneo, et nisi quae in iudicio nitatur approbantis Dei, stulta. omnis est gloria.*

Ipsos ulterius legum latores, etiam hac nostra aetate, duellum auctoritate publica, poenisque propositis coercendum duxisse.

Illos demum carpit Pontifex, qui duella censent permittenda militibus, quod tali exercitatione a cui dicant militarem virtutem; nam *primum quidem,* dicit, *honesta et turpia natura differunt, nec in contraria mutari ob diversum personarum statum ullo pacto possunt. Omnino homines, in quacumque conditione vitae, divina ac naturali lege omnes pari modo tenentur. Propterea, ratio huiusce indulgentiae erga milites ab utilitate publica, petenda foret, quae numquam tanta esse potest, ut eius obtentu naturalis divinique iuris vox conticescat. Quid, quod ipsa utilitatis ratio manifesta deficit? Nam militaris virtutis incitamenta eo spectant, ut civitas sit adversus hostes instructior. M ne vero effici poterit ope illius consuetudinis, quae suapte natura eo spectat ut, suborto inter milites dissidio, cuius causae haud rarae sunt, e singulis partibus defensorum patriae necetur alteruter?*

Neque Pontifex animadvertere praetermittit, modernos homines sibi turpissime contradicere dum duella ineunt; quippe qui cum antiquarum aetatum ea répudient quae cum colore discrepent recentioris urbanitatis, duellum tamen conservent, quod e reliquiis rudioris aevi ac peregrinae barbariae originem duxit ignobilem.

Acute et sapientissime haec Leo XIII protulit atque inculcavit, Deumque optimum maximum obsecramus ne propter hominum improbitatem vocem et operam perdiderit.

Sttieidiwn habetur cum quis propria auctoritate sibi vitam aufert; qua de causa est voluntaria et directa suipsius occisio. Nulla ratione ad suicidium perpetramium suadentur : e contra rationis et fidei lumine docemur, suicidas tum contra Deum, tum contra seipsos, tum contra societatem gravissime delinquere. Veros esse homicidas ex eo liquet quod homines sint et hominem interficiant; quare sapientissime D. Augustinus: *Neque enim qui seipsum occidit aliud quam hominem occidit (a).*

Nedum christianis, sed ipsis Ethnicis huius iniustitia criminis perspecta fuit. Cicero tum alibi, tum *De Republica,* lib. VI, verbis christiano homine dignis scripsit: « Piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, a « quo ille vobis est datus, ex hominum vita migrandum est, « ne munus humanum assignatum a Deo defuisse videamini ». Atque Aristoteles 3 Ethicor. cap. VII, et lib. V, cap. XI invictis argumentis demonstrat contra rationem esse atque contra naturalem inclinationem seipsum occidere. Quid ergo Christiani cogitare debent, quibus a Deo praeceptum est: *Non occides?*

Nescimus autem quo sint nomine illi appellandi qui tantum facinus cohonestare praesumunt vel ex fortitudinis conceptu, quem suicidae promovent in vita contemnenda; vel ex eo quod in corpus dominium habeamus; vel ex quod quamvis vita sit donum Dei, ita tamen hoc donum acceptavimus ut ei renuntiare libere possimus, si vita concessa nobis aerumnosa, societati inutilis reddatur.

Etenim vilitatem atque vecordiam potius ostendunt illi qui calamitates aliasque aerumnas ferre cum nequeant, seu melius

(n) Lib. 1. De Civil Dei. cap. XX. Sed a cap. 17 ad 20 plura et praeclara disputât S Doctor, atque rationes et causas refe Hit. quibus aliqui falso existimare poterant, licitum esse seipsum interimere.

nolint, sibi vitam adimunt, idque cecinit gentilis Poeta: *Rebus in adversis facile est contemnere vitam. Fortiter ille facit qui miser esse potest.* Neque Deus absolutum ita vitae dominium donavit, ut in eam potestatem ipse dimiserit, aut ea conditione donavit, ut eam perdere possimus: neque societati aliquando inutiles reddimur, si ei utiles esse velimus, et munere nostro fungi; haec enim utilitas ab ipsa existentia pendet: sed neque nobis exitiosa umquam esse poterit, si virtutem sectari velimus; aerumnae demum huius vitae sunt nobis ad coelum scala; non enim pro felicitate huius vitae assequenda nati sumus, sed pro futura atque beatissima. Suicidae autem tum praesentis vitae bonum atque utilitatem, tum futuram beatitudinem in aeternum amittunt.

Attamen nostro hoc aevo nulla fortasse dies sine suicidiis ad occasum properat; quod si causae in publicis ephemeridibus legantur, non certe animi fortitudinem, aut quid praeclarum designant, sed maximam animi vecordiam, ne stultitiam simul et maximum scelus dicamus ***(a).***

Divortium in genere est separatio coniugum inter se; vel quoad vinculum, si ipsa naturalis, quae est etiam sacramentalis, coniunctio abrumpatur; vel quoad thorum, si manente coniugii vinculo, coniunctio abrumpatur quoad matrimonii usum, mensam, habitationem.

Divortii leges rationesque iure canonico diriguntur; neque de eiusmodi divortiis quae ad legum canonicarum praescriptum aguntur, legislator noster loquitur; sed de iis quae per modernorum guberniorum leges statuuntur, in quibus nulla habita neque divinarum, neque ecclesiasticarum legum ratione, divortia statuuntur; et nil aliud sunt quam facta sacrilega, quibus matrimonii etiam consummati vinculum abrumpitur, et facultas nova ineundi coniugia conceditur, vivente altero coniuge; ita ut homines sint qui duabus vel tribus uxoribus, aut foeminae quae duobus vel tribus maritis copulatae reperiantur. Scelus horrendum lege naturali, divina et ecclesiastica damnatum, cum fini et institutioni matrimonii contradicat, pacem perturbet, educationi prolis adversetur, tum mulieres tum viros dehonestet, eaque mala gigffat quae Leo XIII lamentatur in praeclara sua Constitutione *Arcanum divinae sapientiae consilium,* lata die 10

(a) **Cf. Borgier, Dizionario di Teologia ad hanc vocem.**

Februarii 1880 *{a),* quo inter alia dicit: *Eorum* (divortiorum) *enim causa fiunt maritalia foedera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur ; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio; discordiarum, inter familias semina sparguntur ; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt, ne, eum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nihil tam valet, quam corruptela morum, facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime mimica esse divortia, quae a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae consuetudines aditum ianuamque patefaciunt. Multoque esse graviora ha.ee mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, aut ante provisos, limites coercere.* Haec mala autem oculis quotidie cernimus, sed frustra lamentamur.

Iure igitur meritoque legislator noster illos damnat libros qui divortia licita statuunt, *non obiter tamen,* aut veluti aliud agendo, sed *ex professo,* ut supra demonstravimus *(b).*

Sed 2° illos etiam damnat libros, *qui de sectis masonicis agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt;* causam igitur et rationem damnat, non quia, ut animadvertimus, hi libri simpliciter de sectis masonicis tractent, earum conficiant historiam, ritus, caeremonias, gradus, fata etc. describant.

Exploratissimum est autem, sectas masónicas tum Ecclesiae, tum civili societati gravissimo esse detrimento; idque patere ex fine quem sibi praestituunt, ex plurimorum, qui earum participes fuerunt, confessionibus et revelationibus, ex libris, catechismis, statutis, quae masones ipsi divulgarunt, ex regum edictis, qui eas ab initio proscripsere, gravissimisque poenis supposuerunt, ex illis qui earum origines historiamque describendam suscepere *(e),* ex Romanorum Pontificum Constitutio-

ni **Acta S. Sedis, XXII, 385.**

(b) **Cf. Bergier, Op. cit. voc.** *Divorzio.*

(c) Plures sunt; nos autem recensebimus N. Deschamps, postea S. R. E. Cardinalem : *Les Sociétés secrètes et la Société, avec une introduction sur Vaction des Sociétés secrètes au XIX siècle, par M. Claudio Jannet,* **1882. Numquam autem cl.**

nibus, qui nihil praetermiserunt quomodo societates eiusmodi iamnarent, earumque complices fautoresque gravissimis poenis afficerent.

Clemens XII anno 1738, lata Constitutione *In Eminenti,* eas proscripsit, atque facultatem concessit Episcopis in masones velut in suspectos de haeresi procedendi.

Benedictus XIV anno 1751 per Constitutionem *Próvidas,* quae a Clemente XII statuta fuerant confirmavit, et contra masones, *catholicorum Principum, omniumque saecularium potestatum opem auxiliiimque invocavit, et enixo studio requisivit.*

Pius Papa VII in Constit, *Ecclesiam a Iesu Christo,* plura contra sectas masónicas dixit, atque inter alia : « Verum conie-
« cturis et argumentis opus non est ut ita de eorum dictis iu-
« dicetur. Libri ab ipsis (masonibus) typis editi, quibus ratio
« describitur quae in conventibus Superiorum praesertim gra-
« duum adhiberi solet, eorum catechismi et statuta aliaque au-
« thentica et ad fidem faciendam gravissima documenta, nec
« non eorum testimonia, qui cum eam societatem deseruissent,
« cui antea adhaeserant, eius errores et fraudes legitimis iudi-
« cibus patefecerunt, aperte declarant, Carbonarios id praecipue
« spectare ut magnam licentiam cuique dent, religionem quam
« colat, proprio ingenio et ex suis opinionibus sibi fingendi,
« indifferentia in religionem inducta, qua vix quidquam exco-
« gitari potest perniciosis, ut Iesu Christi passionem, per ne-
« farias quasdam suas caeremonias profanent ac polluant, ut
« Ecclesiae Sacramenta (quibus nova alia a se per summum
« scelus inventa substituere videntur) et ipsa religionis catho-
« licae mysteria contemnant, utque Sedem hanc Apostolicam
« evertant, in quam, quoniam in ea apostolicae cathedrae sem-
« per viguit principatus, singulari quodam odio afficiuntur, et
« pestifera quaeque ac perniciosa moliuntur ».

Qua de causa, ut malis ingruentibus obsisteret, primus omnium praecepit Carbonarios ad Episcopos et ad ceteros ad quos spectabat esse denunciandos.

Verum non multo post, die scilicet 13 Martii 1825, Leo XII vocem iterum extollere contra eiusmodi sectas compulsus fuit,

Auctori concessuri erimus, masones etiam ex abolito per Clementem V Templariorum Ordine originem ducere; neque id argumenta ab eo allata evincere; neque iis horrendis criminibus foedatos fuisse, de quibus a Philippo Pulchro eiusque aulléis accusati fuere, sed neque illorum Ordinem iuste abolitum fuisse.

quia intellexerat *crevisse illarum insolentiam praecipue ob earum multitudinem novis sectis auctam, e quibus ea praesertim numercuida quae Universitaria dicitur, quod sedem et domicilium in pluribus studiorum universitatibus habeat.* Atque postquam de malis questus fuerit, quae principatibus civilibus inferunt, subdit: « Inde etiam existunt acerbissimae calamitates, « quibus Ecclesia fere ubique vexatur, et quas sine dolore, imo « sine moerore commemorare non possumus. Impugnantur « impudentissime sacratissimo eius dogmata et praecepta, eius « dignitas extenuatur, et pax illa et felicitas, qua suo quodam « iure frui deberet, non perturbatur modo, sed omnino ever- « titur... Libri quos de religione et republica scribere non du- « bitarunt, qui his sectis nomen dederunt, quibus dominationem « spernunt, maiestatem blasphémant, Christum autem vel scan- « dalum vel stultitiam dictitant; immo non raro nullum esse « Deum, et hominis animam una cum corpore iuterire docent, « codices et statuta, quibus sua consilia et instituta explicant, « aperte declarant cuncta quae iam memoravimus et quae ad « legitimos principatus labefactandos, et Ecclesiam funditus de- « lendam spectant, ab iis proficisci. Atque hoc veluti certum « exploratumque habendum est, has sectas licet nomine diver- « sas, nefario tamen impurissimorum consiliorum vinculo esse « inter se coniunctas *(a)* ». Atque silentio praeterimus Constit. *Mirari* latam a Gregorio XVI, et Const. *Qui pluribus* a Pio Papa IX promulgatam.

Attamen silentio praeterire dedecet Constitutionem *Humanum genus* a Leone XIII latam die 20 Aprilis 1884 *(b),* sui Pontificatus anno VII, qua Sectae Masonicae turpissimas impiasque machinationes aperit, monetque fideles ut eam abominatione maxima prosequantur, Episcopos vero excitat, ut summam diligentiam adhibeant, ne greges sibi commissi eius fraudibus irretiantur.

A principio Masonicae Sectae finem in propatulo ponens: *Ecclesiae Sanctae,* inquit, *perniciem palam aperteque moliuntur, idque eo proposito, td gentes christianas partis per Iesum Christum Servatorem beneficiis, si fieri posset, funditus despolient.*

(a) **Hae Constitutiones et alia documenta legantur penes Pennacchi Comment, in Const.** *Apostolicae Sedis-* **Tom. I, pag. 595 segg.**

(b) **Acta S Sedis XVT, 417.**

Pergit deinde enumerare Pontifices qui *hunc tam capitalem hostem ex oceultae eoniurationis tenebris prosilientem, quis esset, quid vellet celeriter agnoverunt,* atque *principes simul et populos, signo veluti dato, monuerunt, ne se paratis ad decipiendum artibus insidiisque capi paterentur.*

Videlicet cum Sectae Masonicae institutum et ingenium compertum esset ex manifestis rerum indiciis, cognitione causarum, prolatis in lucem legibus eius, ritibus, commentariis, ipsis saepe accedentibus testimoniis eorum qui essent conscii, Apostolica Sedes denuntiavit aperteque edixit, Sectam Masonum contra ius fasque constitutam, non minus esse christianae rei quam civitati perniciosam ; proposittsque poenis quibus solet Ecclesia gravius in sontes animadvertere, interdicit atque imperavit, ne quis illi nomen societati daret.

Iustas verasque fuisse Romanorum Pontificum querelas Masones aut denegasse aut esse calumniatos: at rerum quae subsecutae sunt eventus, quanta veritate atque iustitia Romani Praesules locuti fuerint apertissime demonstrarunt: etenim ipsi viri principes in eos gravissimis legibus, pluribus in regnis, animadvertere compulsi fuere; non omnes tamen, neque ea animi firmitate atque constantia qua debuerant; ad illa hinc incrementa Masonum Secta properavit, ut et ecclesiasticae et civili potestati formidinem incutiat.

Idcirco quamvis non semel Pontifex Leo XIII vocem suam contra eiusmodi sectae molimina extulerit, iterum eam extollere compellitur, ut malis quae undequaque produxit, repagulum apponat.

Secta haec secreto tegitur, et communitur obedientia illorum qui ei dant nomen; qui si dicto obedientes non fuerint, si quidquam revelaverint, admissae culpae non raro dant supplicium. *Atqui,* clamat Pontifex, *simulare et velle in occulto latere, obligare sibi homines tamquam maneipia, tenacissimo nexu, nec satis declarata causa; alieno addictos arbitrio ad omne facinus adhibere; armare ad eaedem dexteras quaesita impuntiate peccandi, immunitas quaedam est, quam rerum natura non patitur.*

Haec vero Masones agunt *ut funditus evertant omnem eam, quam instituta christiana pepererunt, disciplinam religionis reique publicae, novamque ad ingenium suum extruant, ductis e medio Naturalismo fundamentis et legibus.*

Docent enim Masones *humanam naturam humanamque rationem cunctis in rebus magistram esse et principem. Negant* hinc *quicquam esse auctore Deo traditum, nullum probant de religione dogma, nihil ceri, quod non hominum intelligentia, comprehendat, nullum magistrum, cui propter auctoritatem officii sit iure credendum;* Ecclesiam catholicam idcirco veritatis magistram et vindicem maxime insectantur; ab iisque esse repetendas iniquissimas leges, et mala universa quibus Ecclesia undique coangustatur, dolet Pontifex.

Sed etiam ea quae lumine naturali edocemur Masonibus incerta sunt, scilicet, *Deum esse, animos hominum ab omni esse materiae concretione segregatus, eosdemque immortales.*

Redemptionem generis humani, gratiam caelestem, Sacramenta, adipiscendamque in coelis felicitatem pro ignotis aspernantur.

Parentem generis humani negant deliquisse ; proptereaque liberum arbitrium nihil viribus attenuatum et inclinatum putant.

Paucis: omnia religionis christianae mysteria veritatesque praecipuas denegant Masones.

Neque minori impietate feruntur erga convictum domesticum, *cum matrimonium ad negotiorum contrahendorum genus pertinere* comminiscantur, *hinc posse ad voluntatem eorum qui illud contraxere rescindi, penes gubernatorem rei civilis esse in maritale vinculum potestatem* etc.

Homines esse eodem iure omnes, et aequa ac pari in omnes partes conditione; unumquemque esse natura, liberum; imperandi alteri ius habere neminem, velle autem ut homines cuiusquam auctoritati pareant esse vim inferre etc.

Ex quibus profecto consequitur eo ñervos omnes suos tendere Masones, ut tum religiosam quamlibet, tum civilem societatem susdeque vertant. Eis qua de causa sententiam Augustini convenire certum est, qui scripsit: *Sed propterea putant, vel putari volunt, christianam doctrinam utilitati non convenire Reipublicae, quia nolunt stare rempublicam firmitate virtutum, sed impuntiate vitiorum (a).*

Et haec quidem vere a Leone XIII dicta et monita sunt. Sed utinam Supremi Pastoris vocem Christi fideles non aspernentur !

(a) Ep. 157, al. 3, ad Volusiatium cap. V, n 20.

Nullimodis igitur dubitandum est quin Sectae Masonicae tum Ecclesiae tum civili societati sint perniciosissimae, et quin iure meritoque Leo XIII libros id negantes proscripserit.

Attamen ut proscriptioni hi libri subiaceant, demonstrandi onus suscipere debent sectas masónicas et eiusdem generis societates, non alias quaslibet, utiles et non perniciosas utrique statui, ecclesiastico et civili esse; qua de causa sub eiusmodi censu,aliae sectae non veniunt quae religiosae sint, ut sectae orientales, Protestanticae etc.; sed neque illae quae quamvis religiosam indolem non induant, finem tamen sectarum masonicarum sibi non praestituere, neque contra Ecclesiam et civiles potestates machinantur; legislator enim eas suo nomine compellat: *qui de sectis masonicis agunt,* dixit, *tel aliis eiusdem generis societatibus.* De cetero Pius Papa IX dignoscendarum harum sectarum hanc tesseram exhibuit: *qt/ae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu, clandestine machinantur (a):* si quae igitur huiusmodi instituto et fine abhorrent, masonicae non sunt; iuramento aut initiationis ritu, nee ne, ligentur; palam vel clam coetus suos habeant. Id constat etiam ex S. Officii Instructione ad omnes Catholici orbis Episcopos data die 10 Maii 1884, qua n. 3 praescribitur: «Ne « quis vero errori locus fiat, cum diiudicandum erit quae- « nam ex his perniciosis sectis censurae, quae vero prohibitioni « tantum obnoxiae sint, certum imprimis est, excommunicatione « latae sententiae multari Massonicam aliasque eius generis « sectas, quae Cap. II, n. *IV* Pontificiae Constitutionis *Aposto- « H ea e Sedis designantur, sive id clam, sive palam fecerint, « sive exegerint, sive non a srds asseclis secreti servandi iura- « mentran.*

« 4. Praeter istas sunt et aliae sectae prohibitae atque sub « gravis culpae reatu vitandae, inter quas praecipue recensen- « dae illae omnes, quae a sectatoribus secretum nemini panden- « dum, et omnimodam obedientiam occultis ducibus praestan- « dam iureiurando exigunt *(b)*». Hinc Societates latronum, occultorum vindictae cupidine homicidarum (italice *degli accoltellatori),* societates cremandis cadaveribus addictae *(c)* sectis *met-*

ui) **Const.** *Apostolicae Sedis,* **Tit. 2, n. IV.**

(b) **Acta S. Sedis, Tom. XVII, p. 44.**

{c) **De his constat etiam ex S. Officii decreto diei 19 Maii 1886. Interrogata**

sonicis non adnumerantur, neque aliae societates plurimae, quae nunc propediem exurgunt. Optime e contra sub lege comprehenduntur secta Fenianorum ex decreto S. Officii 12 Ianuarii 1870 *(a).* Carbonaria, Maxiniana, InternationaJistica, Nihilistica, Anarchica; quamvis autem hae postremae lege explicita nondum damnatae fuerint, nullimode tamen dubitandum est quin sint Masonicae sectae propagines fìliaeque germanae, et quin contra Ecclesiam et legitimas potestates machinentur; dubitantibus autem vel negantibus facta respondent.

Quid autem de Socialistis? Comprehenduntur ne sub Leonis lege? Et quidem sunt qui id tenendum esse iudicant *{b);* alii autem scribunt, se nolle reponere socialismum inter sectas masónicas, atque esse Ecclesiae iudicium expectandum *(c).*

Quibus subscribendum?

Monitoris sententia nobis verior videtur; atque lectorum iudicio sequentia argumenta submittimus.

1. Ex recitata S. Officii Instructione certum est, illas societates sub Piano Capite, consequenter etiam sub Leonis XIII paragrapho comprehendi, quae contra Ecclesiam et legitimas potestates machinantur. Sed certum exploratumque est, Socialistas tum Ecclesiae tum civili potestati ita adversari, ut utramque deiicerent, si possent, atque facta quae propediem contingunt, id evidentissime demonstrant.

2. Leo XIII. in Const. *Quod apostolici muneris {d)* lata die

enim Suprema Inquisitio I. *An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera?*

Respondit ad I. *Negative, et si agatur de Societatibus Massonicae sectae filiabus, incurri poenas contra hanc latas.*

Simpliciter ergo societates cremandis cadaveribus addictae uti masonicae spectandae non sunt.

{a) **Acta S. Sedis, Tom. V, 369.**

{b) **Monitore Ecclesiastico, Vol. X, fase. 1, pag. 40, quo loco Socialismum appellat sectam affinem Sectis Massonicis.**

(c) Arthurus Vermersch e S. I. *De prohibitione et censura librorum Brevis Dissertatio* **pag. 35 seqq. Tornaci 1897. « Quocirca, scribit, nolim** *absolute* **reponere « Socialismum inter huiusmodi sectas. Imitemur potius prudentiam S. Sedis, quae « de multis societatibus in quas coguntur operarii Stat. foeder. Americae et valde « affines videntur Massonicis, ita ut interdum funera civilia imponant asseclis, no- cí luit illud definire. Iudicium ergo permittamus Ordinariis locorum et interea Socia- « listarum societates (secluso casu particulari cuiuspiam coetus) summum habeamus, « pro illis de quibus certo statui nequeat eas ad genus massonicarum pertinere ».**

(d) **Habetur Tom. XI Act. S. Sedis, pag. 369.**

28 Decembris 1878 apertissime affirmat, *Socialistas, Nihilistas, Communistas* unam *Sectam* constituere, et arctissimo inter se esse foedere colligatus. «Intelligitis nos de illa hominum secta « loqui, qui diversis ac pene barbaris nominibus, *Socialistae, « Communistae, et Nihilistae* appellantur, quique per univer- « sum orbem diffusi, et iniquo inter se foedere arctissime col- « ligati etc, ». Atqui nemo negabit Communistas et Nihilistas sub Leonis XIII paragrapho concludi; ergo etiam Socialistae concludentur qui cum illis unam sectam constituunt, atque sunt arctissimo foedere colligati.

3. Affirmat Pontifex, Socialistarum doctrinam ab Sectis Masonicis originem duxisse, Romanosque Pontifices ut alias sectas masónicas, ita et Socialismum qui ex illis erupit damnasse. Recensitis enim Constitutionibus Clementis XII, Benedicti XIV, Pii VI, Pii VII et Leonis XII, subdit : « Omnibus denique ma- « nifestum est quibus gravissimis verbis et quanta animi firmi- « tate ac constantia gloriosus decessor noster Pius IX f. m. sive « allocutionibus habitis, sive litteris encyclicis ad totius orbis « Episcopos datis, tum contra iniqua Sectarum conamina, tum « nominatim contra iam ex ipsis erumpentem Socialismi pestem « dimicavit».

4. Socialismum *Sectam* appellat, atque Episcopos rogat ut solertem operam adhibeant, ne Christi fideles ei dent nomen. « Adlaboretis oportet, ut Ecclesiae catholicae filii neque nomen « dare, neque *abominatae Sectae* favere ulla ratione audeant ». Cum igitur Romanus Pontifex et sectam appellet, et a Sectis Masonicis erumpere Socialismum proclamet, tutum non est affirmare, illum uti factionem politicam potius quam sectam posse considerari.

5. Demum per universam Constitutionem a se latam invictis argumentis demonstrat Pontifex, Socialistas tum Ecclesiae, tum civili potestati perniciem inferre.

Quamvis igitur ex Romanis Congregationibus nondum decretum aliquod prodierit, quo socialistae sectis masonicis adnumerentur, tamen cum apertas in re Romanorum Pontificum sententias habeamus, satis superque habendum est, ut libri qui Socialismum utilem et non perniciosum Ecclesiae et civili Societati esse contendunt, sub praesenti paragrapho concludantur. Suprema vero S. Officii Congregatio, nisi nos fallat opinio, idcirco abstinuit abnumerandis socialistis inter sectas masónicas,

quia cum id Leo XIII supremo suo iudicio declaraverit, inutile erat de re eadem novum decretum promulgare *{a)*.

III. Sed 3.° loco Legislator illos damnat libros qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

In Constitutione *Apostolicae Sedis,* Tit. II, n. 1, Pius Papa IX damnaverat *Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae.*

Si quae ergo propositiones sub excommunicationis poena latae sententiae proscriptae non fuerant, docentes vel defendentes ecclesiastica censura erant immunes.

In praesenti paragrapho de censuris incurrendis sermo non est, sed de una proscriptione librorum, qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tueantur. Attamen si qui inter hos errores sint, qui sub excommunicatione latae sententiae proscripti a Pio Papa IX fuerant, horum defendentes eam incurrunt.

Quid ergo de erroribus a Pio Papa IX in Syllabo damnatis?

Advertendum primo loco est, pro iis qui Syllabum habent veluti Constitutionem, aut documentum *ex cathedra* pronuntiatum, atque uti tale ad credendum universis fidelibus propositum, aliquem ex erroribus in eo proscriptis defendentes, esse plane haereticos, eo sensu quo negent aut syllabum esse documentum de fide, seu ex cathedra pronunciatum, aut propositiones singulas in eo proscriptas ad fidei depositum non pertinere, aut non esse iis qualificationibus damnatas habendas, ut damnatae reperiuntur; hos idcirco excommunicationem incurrere Romano Pontifici speciali modo reservatam tit. 1, cap. 2 Const. *Apostolicae Sedis.*

Quoniam vero non omnes concessuri erunt, Syllabum documentum constituere ex cathedra pronunciatum (et ut sententiam nostram humillime proferamus; haec thesis difficillimae probationis nobis semper visa est atque videtur) *(b);* hinc propositae quaestioni haec danda responsio est.

{a) **Qui originem ei Socialismi placita cognoscere desiderat, adeat Bergier** *Dizionario di Teologia* **-V'.** *Socialisti;* **qui tamen articulus adiunctus fuit a ei. Gousset. Adeat etiam Constitutiones a Leone XIII contra Socialistas, Masonicam sectam, et circa alia capita promulgatas.**

{b) **Inter alia argumenta quae proferri possent, unum sit: Encyclica** *Quanta cura* **eadem die data legitur et ad Episcopos transmissa ac Syllabus, ut apparet ex Epistola Cardinalis Antonelli data die 8 Decembris 1864, et ex consignatione Ency-**

Qui defendunt errores in Syllabo damnatos quatenus Syllabus est, seu *Elenchus complectens praecipuos errores qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in Encyclicis aliisque Apostolicis litteris Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX,* nullam excommunicationem incurrunt cum nulla sanctione aut poena a Pio Papa IX communitus fuerit.

Quoniam vero non paucae propositiones in Syllabo notatae plane impiae et haereticae sunt, et in aliis documentis de fide damnatae reperiuntur ; et exemplo sint errores in prima Syllabi paragrapho recensiti; hinc qui aliquem ex his erroribus defendit, plane haereticus est, non quia in Syllabo continentur, sed quia in aliis definitionibus de fide proscripti ut haeretici reperiuntur. Ceteri errores in Syllabo notati, ita sunt habendi, ut in Encyclicis, allocutionibus, aliisque apostolicis litteris notati reperiuntur.

Quaeritur tamen: an errores qui ab Apostolica Sede proscripti exhibentur, ab ea directe proscripti esse debeant, an satis sit ut ab Suprema S. Officii Congregatione proscripti fuerint, quo Apostolicae Sedis nomine proscripti traducantur? Atque hoc alterum verum esse putandum est, dummodo deinceps lata proscriptio a Romano Pontifice confirmata fuerit. Soliti sunt enim Romani Pontifices, Congregatione S. Officii mediante, cuius perpetuo praefecturam agunt, quaestiones ad doctrinam fidei morumque pertinentes dirimere, atque prolata ab illa iudicia apostolica auctoritate roborare.

Ita factum legimus a Leone X circa Martini Lutheri pro-

clicae. In hac autem de Syllabo nec verbum est, nec vestigium apparet. Aliae Pii IX epistolae, quibus ad Episcopos Ecclesiae catholicae declaraverit, Syllabum esse documentum de fide, vel in iis ut in Encyclica *Quanta cura* **scripserit, mandaveritque:** *Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim, hisce Litteris commemoratus auctoritate nostra apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus; easque ab omnibus catholicae Ecclesiae filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus:* **hae, inquam, epistolae numquam latae sunt. Ex quo igitur capite constat de voluntate Pontificis declarandi Syllabum de fide? Et sine Pontificis Romani explicita et declarata voluntate potest ne aliquod documentum haberi de fide?**

Praetermiltimus, plures prorsus esse in Ecclesia catholica, qui Syllabo uti documento ex cathedra fidem detrectant, idque scientibus Romano Pontifice et Congregatione S. Officii. At ignorantia excusari dici nequeunt. Quid ergo? Erunt ne haeretici? schismatici? aut quid aliud? Ei unde factum est ut hos Apostolica Sedes numquam corripuerit; imo silentio suo sinat ut hi in tanto errore versentur?

positiones, quas damnavit in Constit. *Eœurge Domine* lata die 15 Iunii 1520.

Ita a Clemente VIII, ab Alexandro VII, ab Innocentio XI circa doctrinam Michaelis de Molinos; ita ab Alexandro VIII, a Clemente XI, ab aliisque Romanis Pontificibus.

Atqui errores a praedictis Pontificibus damnati mediante S. Officii Congregatione, tamquam a Sede Apostolica proscripti publicati fuere; ergo proscriptiones errorum factae a Suprema Inquisitione et a Romano Pontifice confirmatae, tamquam ab Apostolica Sede factae censentur.

Demum, ut hi libri proscriptioni subiaceant, errores ab Apostolica Sede proscriptos, non simpliciter asserere, sed vindicare debent, demonstrare scilicet, Apostolicam Sedem in illa vel illa alia sententia proscribenda errasse, atque de falso esse redarguendam iudicio.

Id tamen intelligendum est de proscriptis erroribus, qui ad fidei morumque doctrinam referuntur, non autem de illis propositionibus quae ad historiam, criticam, documentorum audientiam, aut ad scientias mere naturales pertinent, dummodo cum revelatis doctrinis strictam non habeant connexionem. Haec enim aliis criteriis principiisque dirimuntur, de quibus Apostolica Sedes sollicita non est, neque relate ad eiusmodi scientias praerogativa pollet inerrantiae, aut divino fuit instructa magisterio.

53. Advertendum est, agi hac in paragrapho XV de imaginibus quomodocumque impressis sive per incisionem, sive per photographiant, lithographiam, phototipiam, aliasque artium inventiones, quibus nostra tantopere abundat aetas.

Picturae, sculpturae praesenti legis dispositione comprehendi non sunt existimandae; 1. quidem quia Legislator loquitur de imaginibus impressis, picturae autem et sculpturae non sunt impressiones; et cum in lege odiosa versemur, verba sunt stricto sensu sumenda. Neque difficultas urgeri potest ex adverbio *quomodocumque;* hoc enim refertur ad impressiones, quae cum multiplices sint, per illud adverbium omnes comprehenduntur. 2. Ob ea quae praescribuntur in parte secunda paragraphi : *Novae vero sive preces adnexas habeant* etc., atqui nullimodis dubitandum est quin hoc in membro Legislator loquatur de imaginibus impressis; etenim preces adnexas habere possunt, sed certum est hanc legis dispositionem ad praecedentem re-

ferri, ut patet ex particula *vero;* ergo et in praecedenti paragraphi parte sermo est de imaginibus impressis, non pictis, non sculptis; quibus de cetero preces non adnectuntur. 3. Stetit Legislator prohibet quominus novae imagines publicentur, imo multo magis prohibet impressarum plubicationem, cum sint ab Ecclesiae decretis difformes; picturae autem et sculpturae non publicantur, sed exponuntur. 4. Videtur demum Legislator obviare voluisse sacrarum imaginum ab Ecclesiae sensu et decretis diflbrmium celerrimae diffusioni, quae per novas inventiones plane obtinentur; quod de picturis atque sculpturis non potest intelligi.

Quid autem de numismatibus, vulgo *medaglie?* Neque has sub lege comprehendi putandum est; tum quia alio nomine veniunt, et minime nomine imaginum impressarum; tum quia preces, de quibus legifer loquitur, non videntur esse brevissimae illae iaculatoriae, quae aliquando in sacris numismatibus insculpuntur ; tum quia numismata non imprimuntur. Quidquid demum sit, lex haec quoad sensus extensionem est valde dubia, neque nobis aperte Legislatoris voluntatem significat; in dubio autem de sensu legis quod minimum esse sequendum iura docent.

Distinguit porro Leo XIII imagines impressas atque difformes ab sensu et decretis Ecclesiae ab imaginibus imprimendis, quasque imprimi prohibet sine competentis ecclesiasticae potestatis licentia. Imagines igitur impressae et antiquae esse possunt et recentissimae; etenim illarum series pervenit ad diem usque promulgationis Constitutionis *Officiorum ac munerum;* si enim ea die imagines quaecumque ab Ecclesiae sensu decretisque difformes confectae fuissent, profecto erant impressae. Qua de causa imagines impressae illae omnes dicendae sunt et habendae quae praecedunt praesentis Constitutionis promuh gationem; quae cum a sensu et decretis Ecclesiae sint plane difformes, absolute prohibentur : *Omnino vetantur.* Ergo neque in publicum usum, neque privatum adoptari possunt *(a).*

(a) Quoniam imagines impressae quae hanc praecedunt Constitutionem antiquae esse possunt, et etiam antiquissimae, conformes, nec ne, sint Ecclesiae decretis, eas quomodolibet definire oportet. Imagines igitur antiquae illae sunt, quarum typus iam confectus est, et ab Ecclesia tacite vel expresse probatus, aut improbatus; novae vero quae novis typis aut descriptionibus linearibus, vulgo *disegni* confectae fuere; et aliquando typis ab Ecclesia probatis respondent, aliquando non respondent.

Exinde sequitur, in secunda parte paragraphi, in qua sermo est de novis imaginibus, legislatorem complecti imagines tantum decretis Ecclesiae conformes; etenim difformes quascumque ad publicationem usque novae Constitutionis in prima paragraphi parte proscripserat; impossibile ergo est ut in secunda parte arbitrio competentium potestatum prescriptionem novarum imaginum difformium commiserit, cum hoc in casu supponenda esset legislator aliorum arbitrio propriam submisisse voluntatem atque decretum. Novas insuper imagines decreto suo non proscribit, sed tantum vult, ne absque ecclesiasticae potestatis licentia publicentur; at has etiam fuisset profecto proscripturus, si imagines ab Ecclesiae decretis difformes etiam in altera paragraphi parte conclusisset; idque ut sibi cohaereret; quandoquidem difformes fuissent a decretis Ecclesiae ut aliae iam impressae, quas absolute proscripserat; eodem ergo proscribendae decreto atque poena.

Novae autem imagines, preces, nec ne, adnexas habeant publicandae non sunt sine ecclesiasticae potestatis licentia, quamvis decretis Ecclesiae sint conformes. Quid ergo si publicentur ?

Verius exsistimamus non esse interdictas. 1. Quia eiusmodi imagines utpote decretis Ecclesiae conformes nullam animabus perniciem inferunt; porro legislatoris finis est, e manibus fidelium removere imagines quae spiritualia ipsis inferunt damna. 2. Quia in superiori parte paragraphi Legislator absolutam prescriptionem pro imaginibus difformibus inducit; sed si etiam pro novis hanc inferre voluisset, vel eam in fine paragraphi collocare, vel saltem repetere debuisset, ne dubia orirentur. 3. Diversa utriusque partis paragraphi sanctio est: in prima, pro imaginibus impressis difformibus absoluta proscriptio; in alia prohibitio quominus absque legitima licentia publicentur; una autem alii non aequipollet. 4. Denique prohibitio pro imaginibus conformibus ea tantum de causa concipi potest, quia publicatae supponuntur absque legitima facultate; erat igitur indicenda, ut indicta legitur in paragraphis ex. gr. 13 et 20. Qua de causa Legislator quod voluit expressit, quod non expressit, noluisse censendus est.

Dignum post haec inquisitione erit, quaenam imagines ab Ecclesiae decretis difformes, vel iis conformes haberi debeant. Atque rem dirimendam ducimus auctoritate Patrum Concilii Tri-

dentini atque Romanorum Pontificum, Urbani VIII praesertim et Benedicti XIV.

Itaque Concilii Tridentini Patres Sess. XXV *De Invocatione, Veneratione et Reliquiis Sanctorum et Sacris Imaginibus* duo praecipue statuunt, ne scilicet cultui fidelium proponantur imagines, quibus falsum aliquod dogma exprimatur, aut ita depictae fuerint, ut ad lasci viam potius quam ad devotionem provocent. *Nullae falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuantur; tanta circa haec diligentia et cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatam, aut praepostere, et tumultuarie accommodatum, nihil prophanum nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo.* Conformes igitur tum sacris Ecclesiae dogmatibus, tum modestiae legibus sacrae imagines esse debent. Decernit hinc Sancta Synodus quemlibet esse removendum abusum ; quod ut obtineatur, statuit, nullam esse in Ecclesia qualibet insolitam imaginem collocandam, nisi de Episcopi facultate. *In has autem sanctas et salutares observationes* (circa sacras imagines) *si qui abusus irrepserint eas prorsus aboleri Sancta Synodus vehementer cupit . . . Statuit S. Synodus, nemini licere, ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit.*

Qui vero accuratas circa sacras imagines pingendas vel imprimendas regulas tradidit, fuit Benedictus XIV tum in insigni Opere *De Beatif. et Canoniz. Servorum Dei*, praesertim Lib. IV, tum in Constit. *Sollicitudini* promulgata die 1 Octobris 1745. Quoniam vero in hac Constitutione, quae in cit. opere sparsim et diffuse, quantum saltem ad nonnulla capita scripserat, summatim collegit; hinc quae ibi tantus Pontifex statuit ipsius fere verbis referemus.

Igitur quantum attinet ad SS. Trinitatem repraesentandam §32 scribit: « Imagines itaque SS. Trinitatis communiter appro-
« batae, et tuto permittendae illae sunt, quae vel personam Dei
« Patris exhibent in forma viri senis desumpta ex Dan. Cap. VII.
« v. 9. *Antiquus dierum sedit:* in cuius autem sinu Unigenitum
« ipsius Filium, Christum videlicet Deum et hominem, et inter
« utrosque Paraclitum Spiritum Sanctum in specie Columbae,
« vel duas personas modico intervallo seiunctas repraesentant,
« unam senioris viri, nimirum Patris, alteram Christi, medium

« autem inter ipsos Spiritum Sanctum, in Columba, ut praeferre tur, expressum ».

Improbat qua de causa § 26 cum doctissimo Bellarmino illos *pietores qui audent ex capite suo con fingere imagines Trinitatis ; ut cum pingunt unum hominem cum duobus capitibus, et in medio eorum columbam; ista enim monstra, quaedam videntur, et magis offendunt deformitate sua, quam iuvent similitudine.*

Multo magis improbat § 27 repraesentare Virginem Mariam quae *ipsam Trinitatem in utero gerat, quasi tota Trinitas humanam carnem ex Virgine assumpsisse^.*

A paragrapho 29 ad 36 inquirit, quid sentiendum sit de Imagine SS. Trinitatem exhibente in tribus personis, statura, aetate omnibusque aliis lineamentis omnino aequalibus; sed allatis Doctorum, pro et contra, rationibus, sententia pronuntianda abstinet, et quaestionem insolutam relinquit.

Quomodo pingendae sint singulae Trinitatis personae tradit § 36, atque haec statuit: « Pingitur et Pater solus seorsim ab « aliis personis, quoniam vocem Domini Dei deambulantis in « Paradiso audivit. *Genesis Cap. III,* innixus mysticae schalae « visus est Iacob. *Gen. XX VIII, 13;* Moysi quoque miro modo » conspiciendum se praebuit. *Eorod. XXXIII, 23;* tum etiam « Isaiae, tamquam Rex in solio sedens, *Isai. VI, 1,* et Danieli « veluti senex albo vestimento amictus. *Dan. VII, 9.*

«"Pingitur etiam aeternus Filius seorsim a Patre et Spiritu « Sancto, quoniam is homo factus, in diebus carnis suae cum « hominibus conversatus est, atque etiam postquam a mortuis « resurrexit, non semel Apostolis aliisque manifestus" apparuit. « Repraesentatur idem Cruci, quam pro nobis pertulit, affixus. « Quam quidem Crucifixi effigiem necimpius Lutherus e medio «tolli posse putavit; et Elisabetha Angliae Regina nuncupata, « Henrici VIII et Annae Bolenae filia, licet sacris imaginibus « bellum indixerit, eam tamen in regio suo Oratorio retinere « voluit. Pingi quoque consuevit in forma Agni, atque huic ima- « gini fundamentum praebet Prophetia Isaiae, testimonium Ba- « ptistae, Evangelistarum dicta, Apocalypsis Ioannis Apostoli, « et Epistola prima B. Petri etc.

« Pingitur quoque Spiritus Sanctus, vel tamquam de coelo « descendens die Pentecostes in figura linguarum ignis, vel alias « in Columbae specie, seorsim pariter ab aliis divinis personis;

« quia sub his figuris factae sunt eiusdem apparitiones, quarum « Sriptura meminit; nusquam vero invenire est in sacris Litteris « Tertiam Personam abque aliarum consortio ».

Non licet hinc Spiritum Sanctum pingere sub humana iuvenis forma, et has imagines esse prohibendas removendasque docet et praecipit in paragraphis 8 et 10 in quibus ita loquitur: « De publicatis lateque diffusis quibusdam imaginibus Spiritum « Sanctum sub speciosi iuvenis forma referentibus, subscriptis « verbis: *Veni Sánete Spiritus*. . . . te hortamur, imo etiam au- « ctoritate qua fungimur, tibi mandantes, ut nullo pacto per- « mittas huiusmodi Icones ulterius multiplicari; quascumque « vero ullibi existere compereris, eas omnes et singulas de me- « dio tollas ; adhibitis iis auctoritatis simul prudentraeque tuae « remediis, quibus optatum finem sine turba ac tumultu conse- « qui posse iudicaveris ».

Circa alias imagines B. M. Virginis, Sanctorum, Beatorum atque Servorum Dei, Urbanus VIII anno 1642 generice statuit eas esse pingendas sub illo habitu et forma, quae ab antiquo tempore in Ecclesia catholica in usu fuit: *Imagines Domini nostri Iesu Christi, et Deiparae Virginis Mariae, a.e Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum et Sanctarum quorumque sculpere aut pingere, vel scalpi aut pingi facere, aut antehac sculptas aut pietas, et alias quomodolibet effictas tejiere, seu publico aspectui exponere, aut cestire cum alio habitu et forma, quam in catholica et apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit, nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis Regularis, tenore praesentium prohibemus, o.c ut Imagines aliter picta e vel sculpta e ab Ecclesiis et aliis locis quibuslibet amoveantur et deleantur, vel reducantur et reformetur ad habitum et formam in Ecclesia Catholica et Apostolica, ab antiquo tempore consuetam* etc. *praecipimus.* Ap. Bened. XIV. De Beat, et Canoniz. Serv. Dei, Lib. IV. part. II. Cap. XXI, n. 6.

Usus autem antiquissimus est pingendi Beatam Virginem Mariam cum vestibus coloris caerulei et rubei. Approbat enim Benedictus XIV ea quae scribit Sarnelli in suis Epistolis ecclesiasticis, Tom. IV, Ep. 46, scilicet: « Ab aevo apostolico Beatam « Virginem Mariam sculptam pictamque fuisse vestibus coloris « rosacei aut purpurei, et pallio (italice *manto)* coloris caerulei *« (azzurro, turchino, celeste)* »; quod Sarnelli demonstrare ni-

titur ex imaginibus quae a S. Luca depictae dicuntur, quasque existere affirmat Romae tum in Basilica S. Mariae Maioris, tum in Ecclesia S. Mariae in Via Lata. Quod tamen argumentum an solidum sit nescimus.

Quomodo pingendi sint Angeli tradit Conradus Brunus in Libro de Imaginibus cap. VI. « Iam igitur, inquit, quales olim « ab hominibus visae sunt imagines coelestium spirituum, tales « et hactenus S. Mater Ecclesia ad eruditionem simplicium non «quidem temere, et novo, aut ab hominibus nuper ficto, sed « vetustissimo, et a simplici illa ac multifórmi sapientia Dei, per « Spiritum Sanctum tradito exemplo, depingere consuevit. Quod « infinita per ambitum totius orbis christiani, imaginum sancto- « rum angelorum exempla demonstrant ; quibus nimirum an- « geli in forma humana, ut quae inter omnes homini magis « perceptibile est, iuvenes, aspectu fulgenti, vestitu candido in- « duti, discalceati, zonis circa pectus et lumbos praecincti, lapi- « dibus pretiosis ornati, et duabus alis pennati et suffulti, nubibus « circumdati, instrumenta Dei, vel irae, ut gladium ; vel miseri- « cordiae, ut crucem, et alia passionis Dominicae insignia in « manibus gestantes, hominum conspectui exhibentur ».

Imagines sanctorum canonizatorum cum diademate pingendas esse tradit Benedictus XIV in Op. cit. part. II, cap. X, n. 6, quo in loco approbat sententiam doctissimi viri Patris Cepari e Soc. I. qui scriptum reliquit: *Sanctos canonizatos solum eum diademate esse pingendos.*

Beatos vero qui a Sede Apostolica sunt approbati, et de quibus Missa, seu Officium potest recitari, vel titulum Beati sunt consecuti, cum solis splendoribus, seu radiis pingi debere. Imagines demum Servorum Dei nondum beatißcatorum et canonizatorum pingi non debere cum radiis, laureolis, aut diademate, neque cum persona ad eorum genua provoluta, quia id cultum importat, tradit Op. cit. Lib. II, cap. XI, n. 5, allatis Urbani VIII decretis quae lata fuere die 5 Iulii 1634. « Eorumdem « Dei Servorum imagines neque depingi possunt cum laureolis, «radiis, seu splendoribus, neque retineri sive in sacellis, sive *« calis in locis publicis aut privatis, sioe in Ecclesiis tum sae- « cularibus, tum regularibus cuiuscumque Ordinis, Instituti aut « Societatis ».*

Expendendum demum est: an decretorum Ecclesiae nomine, quibus difformes sacrae imagines reperiuntur, intelligenda

ea etiam decreta sint, quae inserta leguntur in Indice pravorum librorum inter *Decreto de libris prohibitis, nec in Indice nominatim expressis,* § III; atque negative respondendum esse existimamus, cum a Leone XIII decreta omnia, quae Indici librorum prohibitorum praemissa inveniuntur, abrogata fuerint, atque unas regulas ab se praescriptas vim legis habere statutum fuerit. Hinc non ex hisce decretis repetenda est conformitas aut difformitas Sacrarum imaginum, sed ex decretis Urbani VIII, aliorumque Romanorum Pontificum, et Sacrae Congregationis Rituum. Decreta Indici praemissa, reduplicative considerata, abrogata sunt; neque de cetero vim legis habere possunt.

54. Indulgentia est remissio poenae temporalis debitae pro peccatis actualibus quoad culpam iam remissis, facta extra Sacramentum ab habente facultatem, per applicationem thesauri ecclesiastici. Ex lata definitione patet quod *Indulgentiae apoeriphae* illae sunt, quae a legitima auctoritate concessae non fuere, sed ab aliis inductae et publicatae. *Proscriptae,* quae condemnatae a legitima potestate fuerunt, quacumque demum de causa id contigerit, sive quod cessaverint, sive quod abusus in iis praedicandis aut lucrandis committerentur.

Revocatae, quae ab habente potestatem annullatae sunt, iisque quilibet valor sublatus, ita ut eas deinceps fideles Christi lucrari non possint, cum post revocationem uti non existentes considerandae sint.

Porro plurimae in vulgus sparsae fuere Indulgentiae apocriphae et falsae, quae praesertim a R. Pontifice Innocentio XI proscriptae sunt, lato decreto die 7 Martii 1678, quod incipit : *Delatae saepius fuere;* aliae quae legitimae aliquando extiterant a Romanis Pontificibus Pio V, et Paulo V revocatae sunt. Qui has nosse desiderat, legat Ferraris *Bibliotheca canonica, v. Indulgentia, art. IV.*

Maximus tamen erat Indulgentiarum etiam legitime concessarum numerus; et ob earum multitudinem, variasque conditiones tum circa opera iniuncta, tum circa tempus durationis, non leve de earum valore dubium exurgebat. Qua de causa Pius Papa IX *Collectionem precum piorumque operum* edi iussit, quibus Indulgentiae essent adnexae; easque tantum vim habere debere sancivit. « Summus Pontifex benigniter annuit, « ut authentica omnium et singularum precum piorumque ope« rum, quae usque ad praesentem diem Indulgentiis ditata vel

« aucta fuere, Sylloge, seu Collectio per Secretarium eiusdem « S. Congregationis quam diligentissime conficeretur, ac dein in « lucem prodiret.

« Hanc ergo Collectionem, iuxta Sanctitatis suae mandatum, « rite accurateque absolutam, typisque S. Congregationis de *Pro-« pagando, Fide* editam, SS. D. N. Pius Papa IX apostolica sua « auctoritate approbavit; praecepitque a cunctis Christifidelibus, « ut genuinam et authenticam Indulgentiarum hactenus conces-« sarum Syllogen prorsus habendam esse» *(a).*

Adsunt insuper Collectiones authenticae Decretorum, quae a S. Congregatione Indulgentiarum latae sunt, quaeque certam prae-bent de veris Indulgentiis fidem. Attamen cum prope diem per S. Congregationem Indulgentiarum novae Indulgentiae conce-dantur, atque decretorum collectores tunc eas publicent, cum decreta tot sint ut ad iustum volumen assurgant, pro novis et novissimis Indulgentiis dignoscendis regulam praebere non pos-sunt. Tutius hinc sibi consulerent Episcopi si ad *acta* S. *Sedis reeurrerent,* quorum fasciculi cum singulis mensibus publicen-tur, in iisque referantur quaelibet Romanarum Congregationum decreta, quae vel illo, vel mense praecedente prodierunt, pos-sent de veritate Indulgentiarum omnimodam sibi certitudinem comparare; aut sin minus directe ad S. Congr. Indulgentiarum recurrant.

Legislator praecipit has apocryphas, proscriptas, revoca-tasque Indulgentias, si quae divulgatae fuerint, de manibus Chri-stifidelium esse auferendas. Id autem officii ad Episcopos cete-rosque animarum pastores pertinet; fidelibus, ut optime observat Vermeersch *(b),* nullum aliud onus incumbere, nisi fideliter obe-dire iussis Episcoporum aut Superiorum, si quae praecepta ab illis ferantur, sive voce tenus, sive promulgatis edictis. Praece-ptum enim Superioris desinit ad subditos; si ille praecipiat, hi obedire tenentur; cum autem pro inobedientibus nulla latae sententiae poena statuta fuerit, sequitur, subditos inobedientes nulla poena teneri.

Discrimen antiquum ius inter et novum circa Indulgentias aprocryphas, proscriptas, revocatas est, quod hoc generalis-

(a) **Decretum praemissum alla** *Raccolta di orazioni e pie opere,* **per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici** le **SS. Indulgenze. Roma, 1877.**

{b) **Comment, in hunc loc. pag. 46.**

simum sit, ita ut nulla excipiatur, illud referebatur ad particulares tantummodo Indulgentias, quae concessae perhibebantur nonnullis *Coronis, Crucibus, Ordinibus religiosis, Confraternitatibus, Collegiis* etc.; quas qui nosse vult, legat Indicem librorum prohibitorum *Decreta de libris prohibitis, nec in Indice nominatim expressis,* § III, n. 9.

55. Hac in paragrapho 17 sermo est de veris legitimisque Indulgentiis, quarum concessiones publicari non debent absque competentis auctoritatis licentia; de veris, dicimus, Indulgentiis; etenim falsae et apocryphae numquam concessae fuerunt, et in terminis repugnat ut concedantur; si enim a legitima auctoritate concedantur, neque falsae, neque apocryphae sunt.

Per Indulgentiarum *libros* intelliguntur variarum Indulgentiarum concessiones in volumen compactae atque publicatae.

Summaria sunt compendia quaedam, quibus variae Indulgentiae indicantur, earumque concessionum decreta citantur, aut breviter referuntur, quin ad verbum allegentur.

Libelli sunt parvae molis libri, quibus concessae Indulgentiae, paucae plerumque, absque vel cum adnexis decretis referuntur, exponuntur, et Christifidelibus commendantur.

Folia, constant duabus vel pluribus paginis iuxta editionis magnitudinem, quam quis adoptât; in folio, in 4°, in 8°, in 16°, in 24°, quibus aliqua Indulgentia proponitur, et pietati fidelium commendatur.

At quaecumque sit forma typographica publicationis, nihil potest relate ad Indulgentias publicari, absque competentis auctoritatis licentia.

Et illico duplex quaestio dirimenda est; quarum prima inquiritur: Quaenam sit haec competens auctoritas, a qua petenda publicandarum Indulgentiarum licentia sit?

2. An Indulgentiarum etiam legitimarum libri, summaria etc. si publicati absque licentia competentis auctoritatis fuerint, prohibiti maneant ?

Quantum ad 1. quaestionem attinet sciendum est, post publicationem Constit. *Officiorum ac munerum* sequens dubium ad S. Indicis Congregationem propositum fuisse : « Utrum in Decreto « n. 17 Decretorum generalium de prohibitione et censura libro- « rum nuper a SS. D. N. Leone Papa XIII editorum, verba haec: *« non publicentur absque competentis auctoritatis licentia,* ita «sint intelligenda, ut in posterum: *Indulgentiarum libri, libelli,*

« folia etc. *omnes ad solos locorum Ordinarios pro impetranda « licentia sint referendi ? ;* an vero subiiciendi sint censurae S. In- « dulgentiarum Congregationis, aut Ordinarii loci secundum nor- « mas ante novam Constitutionem *Officiorum ac munerum* sta- « bili tas ?

« Eadem S. Indicis Congregatio respondit.

« Ad I. partem *Negative.*

« Ad II. *Affirmative.*

« Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Indicis Congre- « gationis die 7 Augusti anno 1897 ».

A. Card. STEINHUBER *Praef.*

(Loco Sigilli)

Fr. MARGOLINUS CICOGNANI *O. P. a Secretis (a).*

Ex hac autem responsione constat, Romanum Pontificem Leonem XIII circa illos qui potestatem habent concedendi facultatem imprimendi libros, summaria etc. quae indulgentiarum concessiones continent, de antiquo iure nihil immutasse, ideoque verba ab eo adhibita, *absque competentis auctoritatis licentia,* easdem, non alias, designare Auctoritates.

Cum vero S. Indicis Congregatio ad secundum dubium responderit *affirmative;* per dubium propositum autem peteretur : *an Indulgentiarum libri omnes, Summaria* etc. subiiciendi essent approbationi aut S. Congregationis Indulgentiarum, aut Episcoporum, secundum normas ante novam Constitutionem stabilitas, inquirendum est, quaenam hae normae fuerint, ut propositam quaestionem dirimere possimus.

Sciendum ergo est, variam fuisse circa Indulgentiarum publicationem Ecclesiae disciplinam.

Concilium Tridentinum illarum promulgandarum provinciam *Sess. XXI, cap. 9,* Episcopis commiserat. *Indulgentias vero, aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christifideles decet privari, deinceps per Ordinarios, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo praedicando^ esse decernit.*

Attamen Tridentini Patres de Indulgentiis decretum edendum curarunt sub fine Sessionis XXV habitae die 4 Decembris 1563, quo sequentia praescripsere : *Caeteros vero* (abusus), *qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quo-*

(a) Ab ipso Rmo Secretario decretum habuimus.

modocumque provenerint, cum ob multipliées locorum et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus Episcopis, ut ddigenter quisque huiusmodi abusus Ecclesiae suae colligat, eosque in prima Synodo provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sententia, cognita, statim ad Summum Romanum Pontificem deferantur, cuius auctoritate et prudentia quod universali Ecclesiae expedí et, statuatur ; ut ita sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte, et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.

Ita ut nullimode dubitandum sit, quin ob praescripta a Tridentinis Patribus publicatio Indulgentiarum ad Episcopos pertineret; etenim in postremo decreto quae in primo statuerent neque revocant, neque abrogant, sed unice praecipiunt abusus quos Episcopi circa Indulgentias in respectivis Dioecesibus deprehenderint ad Synodos provinciales esse deferendos.

Hae tamen Synodi provinciales non admodum in usum fuere; qua de causa Tridentinum Decretum inutile redditum fuisset. Cum autem Episcoporum diligentia et solertia tanta non esset, quantam Tridentini Patres maturo consilio exegerant et inculcaverant; hinc Suprema inquisitio die 6 Augusti 1653 Episcoporum facultates circa Indulgentiarum publicationem quodammodo temperavit, praecipiens, ut Episcopi Inquisitoribus contra haereticam pravitatem tenorem Indulgentiarum publicanda rum communicare deberent : *approbationem Indulgentiarum et licentiam illas imprimendi spedare ad Ordinarios; sed eosdem Ordinarios teneri communicare tenorem, earumdem Indulgentiarum Inqidsitoribus ut concorditer videant an sint verae vel falsae.*

Verum die 6 Iulii 1669 Clemens Papa IX, edita Constitutione *In ipsis Pontificatus primordiis,* instituit S.Congregationem Indulgentiarum, quae fuit instructa *facultate omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum reliquiis, aut Indulgentiis emergentem expediendi ; o.c si quis abusus in eis irrepserint, illos... corrigendi et emendandi... falsas, apocryphas indi ser etasque Indulgentias, typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, ac ubi Romano Pontifici retulerit, Ulitis auctoritate reddendi.*

Sacra tamen Indulgentiarum Congregatio, saltem a principio, minime recedere existimavit ab iis quae Suprema Inqui-

sitio in cit decreto sanciverat, Episcopos scilicet teneri Indulgentiarum publicandarum tenorem Inquisitoribus communicare, in ipsis consequenter Episcopis facultatem recognovit Indulgentiarum publicationi invigilandi. Id demonstratur ex Decreto S. C. Indulgentiarum lato die 24 Iulii 1673, quo diremit quaestionem ortam inter Episcopum et Inquisitorem Cremonensem. « Inter « Rmum Episcopum et Inquisitorem Cremonae contendo de « imprimendis Indulgentiis est orta, cum ille dicat, quidquid In- « dulgentiarum est ad Episcopale Forum pertinere, cuius rei ar- « bitrium et iudicium integrum Episcopo relinquit sacrae Inqui- « sitionis edictum; hic vero affirmet, id sibi tribui decima Re- « gula Indicis librorum prohibitorum, ut nullus liber, nullave « scriptura sine ipsius permissu imprimi possit. Quaestionem « ad Sacram Congregationem delatam et diligenter examinatam, « eadem S. Congregatio censuit adhibita distinctione dirimen- « dam esse : *Indulgentiae quas subditis suis Episcopus concedit « et imprimendas curat, tum litterae pastorales, quibus Indul- « gentias a summis Pontificibus concessas populo denunciai, « aliaque denique scripta, ad regendum populum suum, vel « officialium eius nomine promulganda, quae omnia, proprie « sunt fori episcopalis, in quo iniunguntur poenitentiae et per « Indulgentias remittuntur, praecepta et edicta feruntur, libera. « sunt ab Inquisitoris iurisdictione et auctoritate, quo etiam « inscio imprimi posstmt, sed de reliquis Episcopus ad lnqui- « sitorem communicare debet antequam imprimantur* ».

Anno itaque 1673, nonnullarum Indulgentiarum, quae proprie ad Episcopale forum pertinebant, publicatio *privative* ad Episcopum spectabat; ceteras quascumque communicare Inquisitori debebat, antequam publicarentur : temperamentum igitur Episcoporum potestati circa eiusmodi rem anno 1673 appositum fuit, non coarctata potestas.

Benedictus XIV die 28 Ianuarii 1756 nil aliud sancivit, nisi eos qui generales concessiones *(a)* a Romano Pontifice obtinuerat, debere, sub nullitatis poena, gratiae obtentae exemplar ad Secretariam eiusdem Congregationis deferre; decretum infra referemus.

Post Benedictum XIV *{b)* prodiit Decretum quod habetur

(a) **Generales Indulgentiae dicuntur illae, quas Christifideles ubique locorum lucrari possunt.**

(fr) Id coniicimus ex ordine quem eiusmodi decreta in Indice librorum prohi-

inter *Decreta de libris prohibitis,* nec in Indice nominatim expressis, § III, n. 13: *Indulgentiarum libri omnes, diaria, Summaria, libelli, folia, in quibus earum* (Indulgentiarum) *concessiones continentur, non edantur absque licentia S. Congregationis Indulgentiarum.*

Exinde tamen nemo inferat, Episcopis sublatam fuisse facultatem approbandi vel denegandi publicationem Indulgentiarum, cum de eiusmodi facultatum revocatione nullimode constet, neque aliquo argumento probatur assertas S. Congregationi Indulgentiarum facultates *privative* esse intelligendas. Censendum e contra est, etiam stante decreto allegato ex S. Indicis Congregatione, Episcopis conservatam fuisse facultatem inquirendi et concedendi publicationem Indulgentiarum.

Hoc evidentissime patet etiam ex Decreto quod protulit S. Indulgentiarum Congregatio die 14 Aprilis 1856. Ita porro legitur in *Actorum S. Sedis Tomo III, pag. 106.*

« Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis prae-
« positae .... pluries Indulgentiae typis impressae delatae sunt,
« quae licet falsae omnino, apochryphae et indiscretae, attamen
« huc illuc, sive hominum malitia, sive incuria et absque ulla
« prorsus auctoritate typis mandantur et circumferuntur. Unde
« illud haud parum detrimenti provenit, quod in errorem in-
« ducantur Christifideles, et apud S. Matris Ecclesiae hostes
« Indulgentiae ipsae irrisionibus pateant.

« Quapropter S. Congregatio, in generalibus comitiis in Pa-
« latio Apostolico Vaticano die 31 Martii proxime elapsi habitis,
« plures huiusmodi Indulgentias typis excusas tamquam apochry-
« phas, nullas et indiscretas habendas esse declaravit, et loco-
« rum Ordinariis, per quorum Dioeceses Indulgentiae eiusmodi
« circumferuntur, commendandum censuit, ut S. Congregatio-
« nis Decreta in hanc rem edita omni studio observari curent.

« Quum vero incongruum prorsus sit omnia semper sum-
« maria, libellos, folia etc. persequi, quae indiscretas, falsas, apo-
« chryphasque Indulgentias descriptas continent, et qualibet vice
« prodierunt specialibus decretis eliminare, SS. D. N. Pius PP. IX
« in Audientia diei 14 Aprilis 1856 praemissam Eminentissimo-
« rum Patrum sententiam auctoritate Sua Apostolica adpro-

bitorum occupant; ponuntur enim post Constitutionem *Sollicita ac provida* a Benedicto XIV editam.

« bando ; cupiens insuper ut ad *inaestimabilem* Indulgentiarum
« *thesaurum* quod attinet, omnia pie, sancte, et *incorrupte* fiant,
« mandavit ut hoc Decreto omnes per orbem Ordinarii horten-
« tur, ut pro ea qua pollent, et qua uti debent sollicitudine in
« Dominici gregis bonum usque procurandum, invigilent non
« modo ut eiusmodi Indulgentiae falsae et apochryphae, quan-
« tum fieri potest, minime circumferantur, easque e fidelium
« manibus removeant, verum etiam satagant, ut Decreta a Sa-
« era Congregatione salubriter edita, ac praesertim *super ea-*
« *rumclem Indulgentiarum publicatione et impressione obser-*
« *dentur,* in primis vero Decretum sub die 19 Ianuarii 1756 la-
« tum, et a s. m. Benedicto Papa XIV, die 28 eiusdem mensis
« approbatum, quod ita se habet: *cum experientia quotidie*
« *comperiatur, complures Indulgentiarum concessiones generales*
« *expediri inscia ipsa Sacra Congregatione, ex quo multi pro-*
« *manant abusus ac confusiones, re mature perpensa, prae-*
« *senti Decreto declaravit, impetrantes posthae huiusmodi, ge-*
« *nerales concessiones teneri, sub nullitatis poena, gratiae ob-*
« *tentar, exemplar earumdem concessionum ad Seetetariam*
« *eiusdem Sacrae Congregationis deferre.*

« Caeterum ad falsas apochryphasque Indulgentias a veris
« et genuinis haud difficili negotio internoscendas, ea etiam re-
« colere locorum Ordinarios iuverit, quae sapienter, de more,
« et hac in re idem fel. mem. Pontifex Benedictus XIV in opere
« de Synodo Dioecesana edocuit *{a).* Et si praeterea aliquibus

(a) Benedictus XTV De Synodo Dioecesana Lib XIII, Cap. XVTII, n. 3 haec edocuit. « A Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, seu recta per se, seu « de Congregationum consilio, tam multae apochryphae Indulgentiae proscriptae fue- « runt, ut inde quilibet Episcopus facile deprehendere possit, quaenam sint Indul- « gentiae, quarum publicatio in Dioecesi permittenda non est; ipsae autem Pontifl- « cum Bullae, Brevia et Decreta sparsim relata inveniuntur toto Opere de Indulgentiis, « quod accurate composuit Pater Theodorus a Spiritu Sancto Congregationis Indul- « gentiarum, sacrarumque Reliquiarum Consultor. Quoties autem aliqua occurrat « Indulgentia, de qua nulla mentio fiat in memorato Opere, perfacile est deprehen- « dere, utrum ea apocrypha sit, an non; dum qui illam evulgat, et subsistentem « propugnat, debet authographum proferre concessionis monumentum, vel saltem « indigilare locum ubi illud asservatur. Proindeque si conferatur Indulgentia, quae « populo nunciatur, cum authographo concessionis, aut cum authentico eiusdem « exemplo, fit illico patens, an illa apochripha sit, nec ne. Cautum quippe est: *ne •« edantur summaria, nisi collationata et subscripta ab Ordinario loci, seu eius Vicario; « Bullarum transumptis fides ne adhibeatur, nisi sint collationata, et subscripta et « sigillo munita alicuius Metropolitam, seu eius Vicarii. Omnes Indulgentiae Episcopis*

« in rerum adiunctis super Indulgentiarum quarumcumque authenticitate ac genuinitate dubii haererent, ad Sacram Gongre-« gationem recurrant, ut inde opportunam dubiorum resolutio-« nem assequantur ».

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 14 Aprilis 1856.

F. Card. ASQUINIUS *Praefectus.*

A. Colombo *Seeret.*

Ut quisque percipit, per eiusmodi decretum non denegata, sed asserta Episcopis fuit facultas in publicationem Indulgentiarum; onus insuper Episcopis impositum solerter vigilandi ut decreta lata super .eiusmodi publicatione, atque praesertim quae Benedictus XIV loc. cit. statuerat, observaretur. Integra hinc facultas manebat tum Episcopis, tum S. Congregationi Indulgentiarum.

Sed dualismus frequenter confusionem parit; et quamvis plurima decreta hac super re promulgata fuerint, Episcopi tamen ancipites haerebant quomodo in casibus particularibus sese gerere deberent, imo circa ipsius legis intelligentiam et applicationem ancipites erant.

Hinc anno 1858 Episcopus Petrocorensis et Spalatensis in Gallia ad Apostolicam Sedem opportuna dubia exhibuit, quae una cum lato decreto his in Commentariis inserenda putamus, cum decretum constituat legem vigentem circa facultates, quas Episcopi habent in Indulgentiarum publicatione, confirmet etiam responsa quae ad proposita superius dubia praebuit S. Indicis Congregatio, et propositam quaestionem dirimat.

Die 22 Ianuarii 1858.

Beatissime Pater

« In decretis de libris prohibitis, quae post Regulas Indicis « addita sunt, haec leguntur ... § III, n. 12. *Indulgentiarum*

« *inspiciendae et examinandae tradantur, qui legitima probabunt, reliqua nulla au-* « *ctoritate roborata reiicient* ». Ex hoc autem testimonio evidentissime patet, Bene. « dicti XIV tempore, integram Episcopis circa publicationem Indulgentiarum fuisse « facultatem conservatam ».

« *libri omnes, Diaria, Summaria, Libelli, Folia.* etc. *in quibus* « *earum concessiones continentur, non edantur absque licentia,* « *Sacrae Congregationis Indulgentiarum.*

« Cum vero circa huius Regulae interpretationem plura « dubia exorta sint, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus « Episcopus Petrocorensis et Salatensis in Galliis ab ipsa effla- « gitat humillime :

« I. Utrum praefata Regula ita intelligenda sit ut nulla « Summaria, Catalogi, Folia Indulgentiarum ipsa auctoritate « Ordinarii imprimi possint, absque speciali licentia Sacrae Con- « gregationis Indulgentiarum, etiam quando ipsi certo constat « authenticas esse illas Indulgentias, verbi gratia, quia penes « se habet Catálogos aut Summaria Romae impressa ?

« II. An vero haec impressio et evulgatio solum prohibea- « tur Ordinario quando non ipsi certo constat iam a Sacra « Congregatione Indulgentiarum evulgatas fuisse has Iudul- « gentias ?

« Exhibitis ab Episcopo Petrocorensi duobus supra enun- « ciatis dubiis in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque « Reliquiis praeposita, quae apud Vaticanas Aedes die 14 De- « cembris 1857 habita est, Eminentissimi Patres, audito prius « S. Congregationis Consultore, ac rebus mature perpensis, fue- « runt in voto quoad utrumque Dubium, ut infra: *Articulum* « *12, § III, Decretorum post Regulas Indicis editorum ita esse* « *intelligendum, et in praxim deducendum, ut si agatur de* « *edenda concessione alicuius Indulgentiae, vel Summarii In-* « *dulgentiarum, quod ex Brevi Apostolico, vel Rescripto de-* « *sumendum est, aut de Summario ex auctoritate Sacrae Con-* « *gregationis iam vulgato, in potestate Ordinarii sit concedere* « *earumdem Indulgentiarum concessiones typis imprimendi(dum-* « *modo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibi-* « *tio) ; e contra vero si sermo sit de Summario, vel antea col-* « *lecto, sed numquam approbato, vel nunc primum ex diversis* « *concessionibus colligendo, requiritur expressa S. Congrega-* « *donis Indulgentiarum licentia* ». Addita tamen conditione : *Facto verbo cum Sanctissimo.*

« Factaque per me infrascriptum Sacrae Congregationis « Secretarium Sanctissimo D. N. Pio Papae IX fideli relatione in « Audientia diei 22 Ianuarii 1858 Sanctissimus votum Eminentis- « simorum Patrum approbavit.

« Datum Romae ex Secretaria praefatae S. Congregationis « Indulgentiarum ».

Card. F. ASQUINIUS *Praefectus.*

L. * S.

A. Colombo *Secretarius (a).*

Episcopi igitur facultatem concedere poterunt ut imprimantur indulgentiae particulares imo individuae, *alicuius Indulgentiae,* (non generales, nam harum Rescriptum exhibendum est S. C. Indulgentiarum ante publicationem *sub poena nullitatis,* iuxta Decretum Benedicti XIV) quae constant vel ex Brevi Apostolico, vel Rescripto, et etiam Summaria Indulgentiarum, quae auctoritate cit. Sac. Congregationis iam publicata fuerant, dummodo pro aliquo non sit specialis prohibitio, ne scilicet iterum typis excudatur sine nova licentia praedictae Congregationis; numquam sed vero Episcopi dare facultatem poterunt imprimendi Summaria Indulgentiarum collecta sed non approbata a cit. S. Congregatione, aut colligenda ex diversis concessionibus: ad haec enim requiritur expressa facultas S. Congregationis Indulgentiis et Sacris Reliquiis praefectae.

Qua de causa auctoritas competens, de qua agitur in praesenti paragrapho Constitutionis Leonis XIII, est Episcopus pro Indulgentiis particularibus quae constant ex Brevi Apostolico vel ex Rescripto, aut pro Summariis iam vulgatis ex auctoritate S. C. Indulgentiarum; est haec S. Congregatio pro publicatione Indulgentiarum particularium quae non constant neque ex Brevi Apostolico neque ex Rescripto; atque pro iis Summariis editis quidem, sed sine approbatione ipsius S. Congregationis, et etiam pro illis, in quibus variae concessiones sunt insertae, sed primum sunt edenda.

Brevius: In hodierno iure pro Indulgentiis, quarum certitudo constat ex Brevi Apostolico vel Rescripto, aut quarum publicatio approbata fuit a S. C. Indulgentiarum, *auctoritas competens est Episcopus;* aliarum quae sine auctoritate cit. S. Congregationis aut publicatae sunt, aut sunt adhuc publicandae, *auctoritas competens est S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita (b).*

(a) Acta S. Sedis Tom. III, pag. 102.

(b) **Clarissimi Redactores** *del Monitore Ecclesiastico Vol. X, Par.* **I,** *fase. 3,*

Ex hucusque dissertis lectores colligant I°. approbandae publicationis Indulgentiarum auctoritate numquam Episcopos a S. Sede Apostolica privatos fuisse.

2°. Neque posse privari, nisi aliquo in casu ad tempus et in poenam; cum enim Indulgentiae aut Christi fidelibus concedantur, aut precibus Sacris Imaginibus aliisque obiectis quae devotionem excitent promoveantque, copulentur; haec vero in quibuslibet Dioecesibus reperiantur, necessarium omnino est, ut Episcopi hac super re vigilantiam exerceant, ne falsae, ne apochryphae, ne exageratae Indulgentiae promulgentur; iis autem quae necessaria sunt Episcopis, ut officio suo rite in bonum subditorum et Ecclesiae fungantur, numquam privari possunt, aut aliquando eos Apostolica Sedes perpetuo priva vit.

3°. Omnia hinc decreta quae praecedunt decretum anni 1858, *copulative*, non *privative* intelligenda sunt; ita ut potestas concedendi publicationem Indulgentiarum tum Episcopis, tum Inquisitoribus competeret; postea vero tum S. Congregationi Indulgentiarum, tum Episcopis.

4°. Ad postremum decretum ferendum, Romanum Pontificem Pium IX vel negligentia vel incuria Episcoporum compulsimi fuisse, qui circa publicationem Indulgentiarum non sat vigiles essent; eo tamen unum cautum fuisse, ne scilicet Episcopi Indulgentias, quarum publicatio a S. C. Indulgentiarum nondum approbata esset, publicari permitterent; quod iuste et legitime cautum est; antequam enim Indulgentiarum publicationem permittant, undequaque certi debent esse Episcopi de illarum authenticitate. Fraudes autem admissae, fidelium deceptiones, Episcoporum querelae, Religionis nostrae Sanctissimae hostium derisiones decreto illi causam dedere.

pag. 67 **scripsere, in moderno iure pro Indulgentiarum publicatione satis esse unam Episcopi auctoritatem:** *E vuol dire che prima, per la publicazione di questi libri era necessaria la venia delia S. Congr. delle Indulgenze; ora basta quella del Vescovo:* **Sed haec scripsere antequam decretum S. C. Indicis prodiret; hinc data occasione citatam sententiam erunt revocami! Quamvis, ut verum dicamus, nullimode necessarium erat novum decretum rei definiendae causa. Cum enim Leo XIII nullam novam competentem auctoritatem determinaverit, sed simpliciter edixerit:** *absque competentis auctoritatis licentia,* **pronum erat inferre, hanc competentem auctoritatem eamdem esse quae in antiquo iure. Idque eo vel magis quod § 19, in qua de Litaniis agitur, quae sine auctoritate Congregationis SS. Rituum antea publicari non poterant, expressis verbis antiquo iuri derogat, atque earum revisionem et approbationem unis committit Episcopis.**

Quoad alteram quaestionem, qua expendere proposuimus: utrum Indulgentiarum etiam legitimarum libri, Summaria etc. proscripti sint habendi, si publicentur absque competentis auctoritatis licentia (quam tamen inquisitionem etiam ad alios libros extendimus), negativam sententiam veram esse censemus. Etenim :

I°. Leo XIII antiquum ius abrogavit, illudque mitius reddere voluit in iis Sanctionibus quas retinuit, quasque tamen voluit ut ex lata a se tantum Constitutione vim haberent atque auctoritatem: sed in antiquo iure nullum aderat absolutum aut generale decretum, quo sanciretur, libros alioquin innoxios prohibitioni esse subiiciendos si absque legitima facultate publicarentur: multo igitur minus in nova legislatione, quae mitior est, eiusmodi Sanctionem licet admittere. Nec opponantur sive *Decreta de libris prohibitis nec in Indice nominatim egressis,* quibus proscribuntur etiam libri innocuae lectionis, sive Decretum *Sanctissimus* ab Urbano VIII latum die 18 Septembris 1625, quo prohibitioni subdit illorum libros qui in Statu Pontificio, vel Romae commorantes, posthabita Episcopi, Inquisitoris, aut S. Palatii Apostolici Magistri licentia, eos alio imprimendos mittebant *(a);* cuius prohibitionis ratio eadem in universum re» peritur.

Haec prefecto non opponantur; Etenim citata Decreta in Indice inserta non constituunt absolutum et generale decretum,

(a) « Sanctissimus Dominus noster pro debito sui pastoralis officii corrigere « volens abusus nonnullorum in Statu Sedi Apostolicae mediate vel immediate « subiecto existentium, qui libros a se compositos extra praefatum stai um, absque « ulla Ordinariorum et inquisitorum loci ubi degunt, approbatione, imprimendos « transmittunt, statuit ei decrevit, ut imposterum nemo in statu praedicto degens, « cuiusvis conditionis, gradus, ordinis et dignitatis existat, libros de quavis materia « tractantes, et ubicumque compositos, audeant alio deferre vel mittere imprimendos « sine expressa 'n scriptis approbatione Illustrissimi et Reverendissimi O **Domini « Cardinalis SS. D. N. Vicarii, et Magistri S. Palatii, si in Urbe, si vero extra Urbem « existat, sine Ordinarii et Inquisitoris loci illius, sive ab iis deputatorum facultate « et licentia operi praefigenda. — Libros autem quos contra praesentis decreti tenorem imprimi contigerit, praeter alias poenas arbitrio Suae Sanctitatis infligendas, « absque alia declaratione, ex nunc prohibet, ei pro expresse prohibitis haberi vult « et mandat »..**

O **Cardinales nondum titulum Eminentissimorum consecuti anno 1625 fuerant quem ab eodem Urbano consecuti sunt anno 1630, lato decreto die 10 Iunii. Innocentius X autem Const.** *Militantis Ecclesiae* **lata die 19 Decemvris 1644, praecepit ut Cardinales, aliis sepositis, unico** *Eminentissimorum* **titulo contenti essent.**

sèd referuntur ad libros specialis argumenti, quorum non pauci ratione circumstantiarum proscribendi erant.

Decretum autem Urbani VIII in nota subiectum pro unis scriptoribus Romae aut in Statu Pontifìcio commorantibus latum est, non pro universis Christi fidelibus, atque pro abusibus specialibus, de quibus Pontifex queritur. Falsum est autem eiusmodi prohibitionem et sanctionem ad alias posse extendi regiones Pontifici Romano non subiectas; est enim lex odiosa quae non potest extendi de casu in casum neque ob paritatem rationis.

2°. His accedit, quod penes S. Indicis Congregationem, nisi aliud obstet, prohiberi non solent libri ob unicum posthabitae facultatis defectum illorum imprimendorum. Et experti loquimur, cum munere Consultoris in illa Congregatione ab anno 1870 fungamur. Hoc autem demonstrat, in antiquo iure nullam extitisse legem generalem et absolutam de libris proscribendis ob unam tantum causam, quod sine legitima facultate impressi fuerant et publicati.

3°. E contra Leo XIII in nova Constitutione nullibi generaliter edicit, libros quoslibet, etiam innoxios, absque legitima facultate publica tos, esse ipso iure proscriptos: sed id unice sancivit in nonnullis paragraphis, et de specialis argumenti libris; quod evidenter demonstrat, eum legem generalem statuere noluisse. At sine lege nihil est decernendum.

Eiusmodi tamen sententia nonnullis difficultatibus subiacet, quae proponendae sunt atque dissolvendae.

Et I[a]. petitur ex fine quem sibi Legislator praestituit, in exigenda licentia legitimae auctoritatis. Etenim idcirco eam exigit ut Christi fideles certi omnino sint de Indulgentiarum concessarum veritate; sed absque approbatione legitima numquam de ea certi esse poterunt. Ut quid ergo libros huiusmodi legunt retinentque? Num ne ut lucrum praestent editoribus qui R. Pontificis mandatis obedientiam detrectavere?

2[a]. Asserta sententia ad sequentem illationem conducit. Legislator prohibet quominus Indulgentiarum libri publicentur absque competentis auctoritatis licentia; si tamen publicentur, Christi fideles illos legere et retinere poterunt. Ut quid ergo publicationem prohibuit?

3[a]. Prohibitio adeo necessario subintelligitur, ut si eam denegaverimus; fere universa Leonis XIII legislatio corruat. Et ut argumenta afferamus.

§ 16. Prohibetur publicatio Indulgentiarum aprochrypharum, et quamvis Legislator edicat, eas, si publicatae fuerint, esse de manibus fidelium auferendas, minime tamen dicit esse prohibitas. At possunt ne censeri non prohibitae a Legislatore Indulgentiae Apochryphae?

§ 32. Prohibetur publicatio eorum quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei pertinent, absque beneplacito S. Congregationis Rituum; si tamen edantur, prohibita non proclamantur; qua de causa etiam hi libri impune legi et retineri poterunt.

Sicut legi et retineri poterunt Collectiones Decretorum a Romanis Congregationibus editorum, de quibus § 33, quamvis publicata absque competentis auctoritatis licentia fuerint.

Insuper § 41 praecipit Legislator praeviae censurae ecclesiasticae submittendus esse libros qui respiciunt Divinas Scripturas, S. Theologiam, etc.: sed minime horum librorum prescriptionem decernit, si absque praevia censura edantur et publicentur; qua de causa etiam hi libri omnes impune legi et retineri poterunt.

Similiter § 42 viri e clero saeculari prohibentur quominus absque Ordinarii licentia libros publicent qui de scientiis mere naturalibus tractant, ut obsequentis animi erga Episcopos suos exempla praebeant; attamen si spretis eiusmodi obsequentis animi exemplis, libros publicent, hi legi et retineri poterunt, cum nulla prohibitione afficiantur.

Sed neque aliqua prohibitione afficiuntur libri, de quibus in §§ 43 et 44, cum etiam pro his proscriptionis sanctio desideretur, si Editores et Typographi imperium legitimae potestatis contemnant.

At si omnes hi libri prohibitione eximantur, quot libri supersunt qui in novo Iure prohibitioni subicientur?

4°. Addendum denique est, Legislatorem in aliis paragraphis sollicitum fuisse libros indicare, quos aut partialiter aut generaliter prohibitioni subtrahebat. Id constat ex §§ 3, 4, 5, 6, 8, 10. Quid est ergo ut idipsum non monuerit in paragraphis, de quibus agimus, si libros sub ipsis conclusos prohibitione eximere voluisset? Quod certe necessarium nemo non cognoscit, cum eiusmodi libros publicandos esse interdixerit, et legislatoris voluntas effectu carere non debeat.

Tenendum igitur videtur, in Leonis XTIt Constitutione,

libros sine competentis auctoritatis licentia publicatus, prohibitioni subiacere, iis tantum exceptis, quos ipsemet prohibitioni eripit.

Attamen, quamvis graves allatae difficultates videantur, propugnatam a nobis aliisque sententiam minime derelinquendam esse affirmamus. Antequam vero eas elida mus, nonnulla praemittenda sunt, ut lux dicendis affulgeat. Et

I°. Ecclesiae finem illum esse, ut de manibus fidelium libros noxiae lectionis eripiat, ne fides, neve ipsorum mores corrumpantur; idcirco tum praeviam censuram, tum facultatem competentis auctoritatis pro libris imprimendis publicandisque indixisse, ne liberum cuique esset quae vellet publicare, ne de iis ageret quae propriam capacitatem excédèrent, ne de religione divinisque dogmatibus tractarent illi, qui de iis accuratam notitiam non haberent, ne demum suo iuri renuntiare videretur Ecclesia, dum de religione, de Libris Sacris inspiratisque, aliisque divinis rebus, de quibus decernere plena et absoluta ei competit potestas, singulis loqui et scribere permitteret. Quae enim alieno subduntur imperio, sine principis facultate decerni et fieri nec debent neque possunt.

Hae tamen causae et rationes omnes interdicend^rum publicationum, ad unum illum finem, quem diximus, collimanti, ne scilicet noxia et perniciosa pro utilibus et innocuis christiano populo praebeantur.

Si igitur libri prodeant qui innoxii reapse sunt et christiano populo utiles, finis quem sibi Ecclesia praestituit, salvus est atque incolumis, quamvis conditio aliqua ab ea indicta pro librorum publicatione posthabita fuerit. Hinc vidimus Ecclesiam ipsam numquam absoluto et generali decreto libros prohibuisse innocuae lectionis, si absque competentis auctoritatis licentia publicati fuissent.

2°. Vim et extensionem legis alicuius dimetiendam praecipue esse ex verbis quibus exprimitur, ex fine et voluntate legislatoris in ea promulganda; sed, ut iam animadversum est, neque in antiquo, neque in novo iure legem decretumque reperiri, quo Legislator voluerit libros etiam innoxios praeter competentis auctoritatis facultatem publicatus, interdicto generaliter subiacere; reperiri e contra particulares et pro specialis indolis libris prohibitiones. Ex quo intelligimus, Legislatorem voluntatem suam circa ea quae volebat expressisse; censendum

ergo non esse ea voluisse quae non expressit; eius scilicet voluntatem non esse ad alia extendendam, quorum expressam non sancivit prescriptionem.

3°. Quod si dubium aliquod circa legis extensionem exoriatur, universi sciunt, in dubio eiusmodi legem non obligare.

Post haec ad singula respondebimus.

Atque ad 1m. dicimus, finem Legislatoris praecipuum esse, ne falsae Indulgentiae circumferantur, et hunc finem Indulgentiarum certitudini praestare; idcirco § 16 praecedenti nedum editoribus et typographis, sed quibuscumque interdixit Indulgentias apochryphas, proscriptas, aut revocatas quomodocumque divulgare, divulgatasque praecipit de manibus fidelium esse auferendas. At § 17 de veris Indulgentiarum concessionibus agitur; hae autem quamvis absque competentis auctoritatis licentia publicentur, nullum fidelibus damnum inferunt, cum vere a legitima auctoritate concessae fuerint, easque fideles reapse tuerentur.

De cetero ex collatione sanctionis utrique paragrapho appositae evidentissime eruitur diversa Legislatoris intentio, cum primas de manibus fidelium auferendas decernat, alias non publicandas absque competentis auctoritatis licentia. Atqui si et has auferendas de manibus fidelium decrevisset, id debuisset Legislator monere, cum sin minus nemo Legislatoris voluntatem deprehendere potuisset.

Quod vero in difficultate subditur, fideles certos esse debere de Indulgentiarum veritate, neque lucrum editoribus inobedientibus praestare, verum quidem est. Sed supponit quod an eventurum sit valde est incertum; etenim fideles moniti eiusmodi Indulgentiarum libros absque competentis auctoritatis licentia publicatos empturi non erunt, atque ita non lucrum sed damnum editoribus praestabunt. Sed esto quod eos sint empturi. Nescimus quid inde sequatur; etenim non ex usu utili vel inutili proscriptio decernenda est, sed ex voluntate legislatoris quae in casu desideratur.

Demum horum librorum usus numquam erit inutilis; cum enim Indulgentiarum concessiones verae et legitimae sint, eas fideles lucrari poterunt.

Neque opponatur Benedicti XIV decretum supra relatum, quo sub poena nullitatis gratiae obtentae praecipit Indulgentiarum concessionum generalium exemplar esse ad Secretarium

eiusdem Congregationis deferendum, antequam publicetur: etenim in praesenti quaestione agitur de Indulgentiis absolute authenticis, quarum scilicet concessioni nulla conditio desit, ut ex lectione paragraphi patet.

Ad 2^m. Quaecumque illa sit illatio, nihil tamen contra veritatem nostrae sententiae sequitur. Legislatori enim aliae potuere esse rationes cur publicationem Indulgentiarum prohibuerit absque competentis auctoritatis licentia, quin publicatas absque eiusmodi facultate proscriptas exinde voluerit. Ratio profecto praecipua est ne falsae Indulgentiae publicarentur, ut pluries factum fuerat. Quid autem si undequaque verae publicentur, quamvis inconsulta legitima auctoritate? Num ne proscriptae sunt idcirco habendae? Hoc quidem esset ab adversariis probandum, at nescimus quo probare possint argumento, cum desit lex expressa. Ex quo autem legislatoris voluntas sit ne falsae Indulgentiae publicentur, non sequitur eum etiam proscriptas illas velle quae vere concessae fuere.

Equidem in veteri iure id factum aliquando novimus; at factum est expressa sententia et decreto. Ut quid ergo idipsum factum non est in novo iure?

Ad 3^m. difficultatem respondemus, prohibitiones non esse subintelligendas, sed apertis verbis exprimendas proponendasque; ita legumlatores semper fecerunt. Prohibitio enim aut est lex, aut sanctio legi apposita; sed utraque explicita et manifesta esse debet, et minime subintelligenda. In lege odiosa autem, qua versamur, nihil subintelligendum est, ne criterium illud evertamus: in odiosis minimum esse sequendum: qua de causa si dubia sit legis sanctio, in casu prohibitio, ea non obstringimur.

Sed neque verum est, universam Leonis XIII Constitutionem cornière, si nostra sententia statuatur. Etenim iis qui possent libros comprehensos sub variis paragraphis tertiae difficultatis publicare, omnimodis prohibetur illos edere, posthabitis conditionibus a Legislatore praescriptis; hi autem cum catholici sint, supponendi sunt debitam Supremo Ecclesiae pastori velle obedientiam praestare; possent insuper severe ab Episcopis moneri et poenis etiam canonicis multari iuxta statuta in § 49.

Atqui nisi editores et typographi libros publicent, Christi fideles nec illos legere, nec retinere poterunt. Stat ergo Legis-

latoris Constitutio. Sed stat etiam ex alio capite; etenim si hi libri noxii sint, atque perniciem animabus inferant, in aliis paragraphis proscribuntur: si innocui, nihil est ab eis timendum.

Verum pariter non est, fore ut pauci superessent libri prohibitioni obnoxii, si alii conclusi sub citatis paragraphis prohibitioni subtrahantur; prohibitioni enim suberunt libri omnes noxiae lectionis; qui utinam sint pauci! De cetero non est urgenda prohibitio dum de Legislatoris voluntate non constat, quaecumque demum possit esse prohibitionis causa.

4°. Quartum argumentum primo retorquere possumus. Etenim Legislator cum vult libros proscribere ob unum compe~tentis licentiae defectum, id aperte declarat, ut patet ex paragraphis 13 et 20. At alios libros sine competenti licentia impressos minime prohibitos declarat; illos ergo prohibitioni non subiicit.

Sed obiectio inclamat: Qua igitur de causa non monuit? Responsio est manifesta; quia prohibere nolebat; etenim quod Legislator non expressit, noluisse censendus est.

Neganda deinde est argumenti paritas. Etenim libri quos sive partialiter sive generaliter Legislator in novo iure prohibitione eximit, in veteri iure proscripti non reperiuntur ob competentis licentiae defectum, sed ob alias causas, ut ex lectione patet. Corruit ergo argumentum.

Negatur hinc postrema illatio, ea etiam de causa, quia si vera esset, novum ius multo prae antiquiori durius esset; etenim fere libri universi prohibitioni subiacerent contra explicitam manifestamque legislatoris voluntatem.

56. Editiones authenticae illae dicuntur quae a legitima potestate approbatae sunt, et idcirco auctoritatem faciunt; cum autem Missa lia, Breviaria, Ritualia liturgiam contineant quae in universa est Ecclesia observanda; constituere sed vero liturgiam pro universa Ecclesia ad unum Romanum Pontificem pertineat, hinc Missalia, Breviaria etc. authentica illa sunt quae ab apostolica Sede approbata fuere; quod de cetero explicite in paragrapho affirmatur.

Constitutiones Romanorum Pontificum de non immutandis libris liturgicis, respectivis libris praemittuntur.

S. Pius V die 12 Iulii 1570, lata Constitutione *Quo primum tempore,* post assertam diligentiam a se adhibitam in nova Missalis editione conficienda, mandavit; *huic Missali nostro nu-*

per edito, nihil umquam addendum, detrahedum aut immutandum esse decernendo, sr/b indignationis nostrae poena, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus et ordinami is.

Ut autem Missalis a se editi integra fidelitas conservaretur, universis Typographus catholicis quae sequuntur mandat et comminatur.

« Quod ut ubique terrarum incorruptum, ac mendis et er-« roribus purgatum praeservetur, omnibus in nostro et Sanctae « Romanae Ecclesiae dominio mediate vel immediate subiecto « commorantibus impressoribus, sub amissionis librorum, ac « centum ducatorum auri Camerae Apostolicae ipso facto ap-« plicandorum, aliis vero in quacumque orbis parte consisten-« tibus excommunicationis latae sententiae, et aliis arbitrii no-« stri poenis, ne sine nostra, vel speciali ad id apostolici com-« missarii, in eisdem partibus a Nobis constituendi licentia, ac « nisi per eumdem Commissarium eidem impressori Missalis « exemplum, ex quo aliorum imprimendorum ab ipso impres-« sore erit accipienda norma cum Missali in urbe secundum « magnam impressionem impresso collatum fuisse, et concor-« dare, nec in ullo penitus discrepare prius plena fides facta « fuerit, imprimere, vel proponere, vel recipere ullo modo au-« deant ».

Progressu tamen temporis, sive typographorum sive aliorum incuria et audacia factum est, ut errores non pauci in Missali irrepserint; qua de causa Clemens VIII in Const. *Cum Sanctissimum* lata die 7 Iulii 1604, Missalia impressa depravata primum prohibuit abrogavitque, eorumque usum in celebratione missarum interdixit; deinde mandavit, ut Missale ad pristinam et quam maxime emendatam formam restitueretur, nonnullis tamen additamentis, et declarationibus additis, atque in Vaticana typographia quam emendatissime imprimeretur; postea illud eiusmodi sanctione communivit. « Ut autem illius usus in « omnibus christiani orbis partibus, perpetuis futuris tempori-« bus conservetur, ipsum Missale in alma Urbe nostra in eadem «typographia tantum, et non alibi imprimi posse decernimus; « extra Urbem vero iuxta exemplar in dicta typographia nunc « editum, et non aliter hac lege imprimi posse permittimus, ut « nimirum typographus quibuscumque illud imprimere volenti-« bus id facere liceat, requisita tamen prius et in scriptis ob-

« tenta dilectarum filiorum Inquisitorum haereticae pravitatis « in iis locis, in quibus fuerint, ubi vero non fuerint, Ordina- « riorum locorum licentia ». Atque deinceps ad gravissimas poenas contra latae legis transgressores infligendas procedit.

Haec eadem sed vero statuit Urbanus VIII in Constit. *Si quid* lata die 2 Septembris 1634 *{a).*

Eamdem sollicitudinem citati Romani Pontifices pro emendando et publicando Breviario suscepere *(b).* S. Pius V in Const. *Quod a nobis* lata die 9 Iulii 1568, abrogatis quibuscumque veteribus Breviariis, iis exceptis, quae ab' apostolica Sede probata, ante 200 annos in usu essent, edixit in omnibus Ecclesiis Breviarium a se confectum esse recitandum : *statuentes Breviarium ipsum nullo umquam tempore, vel totum vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse. . . . Quoscumque vero, subdit, qui illud secus impresserint, proposuerint vel receperint, excommunicationis sententia eo ipso innodamus.*

Clemens VIII cum animadvertisset in Breviario S. Pii V, progressu temporis, typographorum negligentia, incuria, et aliorum audacia plurimos irrepsisse defectus, hos auferendos curavit; edita deinceps die 1 Maii 1602 Constitutione *Cum in Ecclesia catholica,* praecepit, *ipsum Breviarium in alma Urbe nostra, in eadem typographia* (Vaticana) *tantum imprimi posse ; extra Urbem vero iuxta exemplar in dicta typographia, nunc editum, et non edi ter,* lata in contrafacientes excommunicatione latae sententiae, *a qua nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant;* atque aliis poenis latis.

Cum vero ad Urbanum VIII querelae delatae fuissent, in Breviario Romano quaedam a primo nitore institutionis excidisse, quaedam vero imperfecta relicta fuisse, Breviarium iterum corrigendum, pristinoque nitori restituendum, et accurate imprimendum, curavit: *quod exemplar,* ita postea praecepit, *qui posthac Breviarium Romanum impresserint, seqrd omnes teneantur,* gravissimis tum censuris, tum poenis indictis *{c).*

(a) Hae Constitutiones praemissae reperiuntur Missali Romano.

(//) Qui Breviarii Romani historiam legere desiderat, adeat Petrum Battitoi *Histoire <lu Brevimiv Ratmiin;* quod opus et breve est et plane egregium.

{c) Attamen plurima adhuc supersunt in Breviario Romano emendanda, cum non una sanctoium historia sit apochrypha, non unus sermo supposititio nomine

In corrigendis et restituendis Rituali Romano, Caeremoniali Episcoporum et Pontificali Romano sedulam navarunt operam Pius V, Clemens VIII, Innocentius X, Paulus V, Urbanus VIII, Benedictus XIII, et Benedictus XIV, qui postremus in sua Constitutione *Quam ardenti studio,* quae praemissa legitur tum Rituali, tum Caeremoniali, tum Pontificali, Praedecessorum Suorum decretis in re approbatis, facultatem tribuit et impertitur ut *Rituale Romanum, Caeremoniale Episcoporum, ac Pontificale Romanum sub iisdem modo et forma, quibus de praesenti impressa reperiuntur et usui sunt . . . . typis reimprimantur et in lucem emittantur.*

Constat igitur, Romanos Pontifices, gravissimis comminatis poenis, ipsaque latae sententiae excommunicatione, prohibuisse quominus in Editionibus authenticis Missalis, Breviarii, Ritualis, Pontificalis Romani, Caeremonialis Episcoporum, aliorumque librorum liturgicorum, ex. gr. Diurnorum, Officiorum B. M. Vir-

cîtatus, quos inler Sermo S. Ieronymi Presbyteri in novo officio Immaculatae Conceptionis, qui non ante saeculum VIII fortasse scriptus est. Quid de lectionibus et Oratione S. Catharinae Virg. et Mart. *Deus qui dedisti legem Moysi in summitate montis Sinai, et in eodem loco per sanctos Angelos tuos corpus B. Catharinae Virginis et Martyris tuae mirabiliter collocasti?* Quid de Responsorio III primi Nocturni in Officio S. Clementis Pp. et Marl. *Dedisti Domine, habitaculum Martyri tuo Clementi in mare* etc. Cum aliqua animi angustia haec Domino dicuntur. Et quod fortasse gravius est; post definitam Immaculatam Conceptionem B. M. V. non videtur legenda ea sententia S. Ioannis Damasceni, quae habetur in II. Noct. L. 2. Offic. Assumptionis eiusdem : *Sed cedit legi latae ab eo quem genuit, et ut fdia veteris Adam veterem sententiam subiit.* Neque haec alia S. Ambrosii : *Hic mater arguitur, quia adhuc quae humana sunt exigat* (Dominic. infr. oct. Epiph.) quae componi non possunt cum omnigena divinae Matris sanctitate qua maior sub Deo concipi nequit. In Festo S. Felicis II Papae et Mart. II. Noct. legitur Sermo S. Augustini Episcopi in Laudem S. Cypriani Chartag. recitatas. Inter alia : *Tristis procul dubio tunc Ecclesia fuit, non damno cadentis, sed desiderio recedentis, semper cupiens videre praesentem tam bonum rectorem, atque doctorem.* Haec autem applicari Felici II non possunt, cum de eo Theodoretus scribat: *Qui expositam Nicaeae fidem illibatam quidem servabat, sed cum iis qui hanc dépravant, libere communicabat. Quo factum, ut in Ecclesiam, dum intus esset, nemo civium Romanorum sit ingressus* ? Hist. Eccl. lib. II, c. XIV. (P. G. LXXXII. Ì039). Tanto scilicet amore Romani Felicem prosequebantur et videre cupiebant !

Quae vero in tertia lectione habentur si apprime S. Cypriano conveniunt, ab historia Felicis II in immensum distani. Ita ut hae lectiones in Laudem Felicis II sint prorsus abrogandae, et aliae, si ad quos spectat ita visum fuerit, subrogandae. Silentio praeterimus Constantinum M. a S. Silvestro Romae baptizatum, et alia non pauca. Audivimus Leonem XIII, ut Indicis librorum prohibitorum, ita etiam Breviarii et Missalis Romani correctionem suscipere velle. Et utinam eiusmodi correctio quam cito executioni demandetur!

ginis, Mortuorum, Hebdomadae Sanctae etc., aliquid sive addendo, sive detrahendo immutaretur.

Equidem illae poenae abrogatae in novo iure reperiuntur, cum ex praescripto Constitutionis *Officiorum ac munerum* nulla alia poena legis transgressores teneantur, nisi damno quod eis necessario obvenire dignoscitur ob proscriptionem novarum Editionum ab authentica difformium.

Atque advertatur has novas editiones iri prohibitum, quamvis immutatio admissa sive per mutilationem, sive per interpolationem, sive per transpositionem etc. levioris sit momenti; nam *nemo quidquam immutare praesumat,* inquit Legislator.

Ex lectione paragraphi apparet autem, singulis facultatem libros liturgicos imprimendi factam esse, cum et nemo excipiatur, et nihil requiratur aliud nisi conformitas cum editionibus authenticis. Qua de causa Editores etTypographi quicumque ob eiusmodi a Leone XIII concessam licentiam possunt quoscumque libros liturgicos imprimere, id unum prae oculis habentes, ut novae editiones sint plane conformes editionibus authenticis, cum sin minus ipso facto proscriptae mansurae sint; hinc neque facultate S. Congregationis Rituum, neque Episcoporum licentia pro eiusmodi novis editionibus conficiendis, post Leonis XIII Constitutionem, indigent.

Neque huic sententiae opponitur § 33; ibi enim agitur de edendis Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum; libri liturgici autem nec sunt decreta, nec sub nomine Decretorum veniunt.

Neque opponitur § 41, qua Christifideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae subiicere libros qui Divinas Scripturas, S. Theologiam etc. respiciunt; etenim inter libros ibi recensitos non recensentur libri liturgici; ea deinde paragrapho agitur de Institutionibus, aliisque lucubrationibus ab variis auctoribus in Sacras Scripturas, Theologiam, Historiam Ecclesiasticam confectis; at libri liturgici tales non sunt.

Sed neque opponitur § 44, qua Typographis et Editoribus librorum significatur, novas eiusdem Operis approbati editiones novam approbationem exigere; nam libri liturgici nec Opera sunt, nec nomine Operum veniunt.

Equidem dubitamus vehementer, an haec concessio duratura sit; sed usque dum non revocetur, sententia a nobis propugnata vera ac certa videtur.

57. Litaniae quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, sunt quae communi vocabulo dicuntur *Litaniae maiores,* seu *Sanctorum,* quamvis vetustiori aetate inter utrasque distinctio admitteretur.

Atque antiquissimas esse patet ex eo quod earum institutio tribuatur S. Mamerto Episcopo Viennensi in Gallia circa an. 470, qui eas in sua fertur Ecclesia introduxisse; verius tamen dicunt illi qui, Sidonio Apollinario teste, affirmant, litanias quae prius erant *vagae, tepentes, infrequentes ac oscitabundae,* S. Mamertus constituerit esse recitandas tribus diebus solemnitatem Ascensionis D. N. I. C. praecedentibus, quique dies Rogationum constituunt, quas ipse instituit (a), quibus in ieiunio et precibus sese christiani exercere deberent. *In his autem quas Mamertus nobis et protulit pariter et contulit, ieiunatur, oratur, psallitur, fletur.* (Lib. V, Ep. 14) *(b).*

Alii tamen litaniarum maiorum institutionem vel S. Gregorio M., vel S. Leoni M. tribuunt, alii antiquiores eas esse statuunt, alii ab ipsis Apostolis repetunt *(c).* Quidquid sit (nam nostrum non est de re eiusmodi disserere), certum est, Litanias maiores esse antiquissimas.

Litaniarum B. Mariae Virginis, quae Lauretanae dicuntur tum tempus institutionis nos latet, tum nomen auctoris. Ab aliquibus scriptum fuit, Lauretanas aut dictas, aut dici potuisse, vel quod post divulgatam S. Aedis translationem, ibi aut compositae fuerint, aut decantari coeperint; vel quod in templo Lauretano singulis Sabbatis solemniter d ecantarentur; vel etiam ut distinguerentur ab aliis Litaniis, quibus antea solebant fideles B. Virginem honore prosequi, quaeque tamen a Clemente VIII et a Paulo V prohibitae fuere *(d).*

(a) **« Quarum (rogationum) nobis solemnitatem primus Mamertus pater et pontifex, reverentissimo exemplo, utilissimo experimento, invenit, instituit, invexit ». Ita ut dubitare nequeamus Rogationes a S. Mamerto fuisse institutas, quin inde sequatur eliam Litanias Sanctorum ab eo fuisse invectas.**

(b) P. L. LVIII, 544.

(c) Cf. Selvaggio *Institutiones antiquitatum Christianarum Tom. III, pag. 95,* **Moroni,** *Dizionario di erudizione ecclesiastica, V. Litanie maggiori* **Cursus Theologicus completus** *Tom. XVII col. 1308.* **De Santi** *Litanie Laureiane* **pag. II, Edit. 1897.**

(d) **Cfr. Franciscum Antonium Mondelli** *Sopra le Litanie Lauretane.* **Raccolta di Dissertazioni di Storia Ecclesiastica per cura di Franc. Antonio Zaccaria, Tom. III, Dissert. 42. Sed omnino legendus est P. Angelus de Santi S. I.** *Le Litanie Lauretane studio storico critico.* **Roma, Civiltà Cattolica 1897. Auctor enim ita rem egit ut circa Lauretanas Litanias quaestiones omnes absolverit.**

Ut Clementis VIII sanctionem referamus, hic in Decreto» *Sanctissimus* diei 6 Septembris 1601 edixit:

« Quoniam multi hoc tempore, privati etiam homines, prae-« textu alendae devotionis, novas quotidie litanias evulgant, « ut iam prope innumerabiles formae litaniarum circumferan-« tur, et in nonnullis ineptae sententiae, in aliis (quod gravius « est) periculosae et errorem sapientes inveniantur, pro sollici-« tudine sua pastorali providere volens, ut animarum devotio, « Deique ac Sanctorum invocatio, sine ullius detrimenti spiri-« tualis periculo foveatur :

« § 1. Praecipit et mandat, ut retentis antiquissimis et com-« munibus Litaniis, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificali-« bus ac Ritualibus continentur, nec non Litaniis de Beata Vir-« gine, quae in Sacra Aede Lauretana decantari solent; qui-« cumque alias Litanias edere, vel iam editis in Ecclesiis, sive « Oratoriis, sive processionibus uti voluerint, eas ad Congrega-« tionem Sacrorum Rituum recognoscendas, et si opus fuerit, « corrigendas mittere teneantur, neque sine licentia et approba-« tione praedictae Congregationis, eas in publicum edere, aut « publice recitare praesumant, sub poenis (ultra peccatum) ar-« bitrio Ordinarii et Inquisitoris severe infligendis ».

Alexander vero VII Const. *In supremo militantis* lata die 28 Maii 1664 prohibuit quidquam Litaniis Lauretanis addere: *Nec Litaniis B. Virginis aliquid innovare.* Quod decretum S. Rituum Congregatio renovavit die 20 Decembris 1864 *(a).* Ita ut Legislator noster hac in re Praedecessorum suorum decretis fideliter institerit.

Litaniae SS. Nominis Iesu, Iquae iam insertae in Novis Ri-tualibus reperiuntur, probatae fuere a S. Congregatione Rituum die 16 Ianuarii anni 1886 sequenti Decreto:

DECRETUM URBIS ET ORBIS

« Sanctissimum Iesu Nomen semper et ubique terrarum « praecipua veneratione et singulari prorsus honore Christifide-« les prosequuti sunt: *non enim aliud nomen est sub coelo datum « hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Actor. IV. 12). Ad « hanc venerationis et honoris significationem, plurima religio-« nis obsequia plurimasque laudes pietas christiana excogitavit, « quibus nomen augustissimum digne et sancte celebraretur.

(o) **Acta S. Sedis IV, 45.**

« Hisce profecto accensendae sunt plures Litaniae in ho-
« norem SS. Nominis Iesu compositae, quae, licet non omnes
« probabiles, late tamen per orbem diffusae sunt. In quorum
« praeconiorum genere ne varietas haberetur haud undequaque
« laudabilis sac. mem. Summus Pontifex Pius IX *Litanias San-*
« dissimi Nominis leste, quae unice in posterum retinerentur
« ab omnibus Christifidelibus, per Sacrum Consilium legitimis ri-
« tibus tuendis, die 8 Iunii 1862, approbavit, fecitque eidem Sacro
« Consilio facultatem declarandi Christifidelibus qui eas devote
« recitaverint, Indulgentiam tercentum dierum in forma Eccle-
« siae consueta concessum iri, quando Sacrorum Antistites pro
« Sua quisque Dioecesi hanc gratiam speciatim petiissent.

« Quum autem nuperrime a pluribus Episcopis SS. D. N.
« Leoni divina providentia Papae XIII preces exhibitae fuerint,
« ut Suarum Dioecesium Christifidelibus praefatas Litanias re-
« citantibus ipsam hanc Indulgentiam elargiri dignaretur, San-
« ctitas Sua desiderans, ut christiani populi pietas erga lauda-
« bile Iesu Nomen magis magisque foveatur et augeatur de-
« votio, hisce potissimum temporibus, quibus nomen illud au-
« gustissimum tam audacter tamque frequenter impiorum in-
« iuriis impetitur, in Audientia habita die 16 Ianuarii 1886 ab
«. infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque
« Reliquiis praepositae, ad omnes utriusque Sexus Christifideles,
« qui corde saltem contrito ac devote recitaverint *Litanias San-*
« etissimi Nominis Iesu, prouti praesenti Decreto subnectuntur
« et non aliter, praefatam Indulgentiam, *tereentorum dierum,*
« animabus quoque Purgatorii applicabilem et semel tantum in
« die lucrandam, benigne extendit. Quam gratiam Sanctitas Sua
« in perpetuum suffragari voluit et absque ulla Brevis expedi-
« tione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

« Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgen-
« tiarum et SS. Reliquiarum die 16 mensis Ianuarii anni 1886.

« I. B. Card. FRANZELIN *Praefectus.*

« Franciscus Della Volpe *Secretarius* ». *{a)*

Exceptis igitur Litaniis maioribus, seu Sanctorum, Litaniis Lauretanis, atque SS. Nominis Iesu, quae a quibusvis typogra-

(a) Acta S. Sedis XVIII, 509 ubi etiam habentur Litaniae approbatae.

phis atque editoribus, prout illae habentur in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus imprimi possunt ac publicari, ceterae omnes edi et publicari nequeunt sine revisione et approbatione Ordinarii locorum.

Nulla ergo necessitate post Const. *Officiorum ac munerum* obstringuntur typographi editoresque recurrendi ad S. Congregationem Rituum, neque pro vetustis Litaniis commemoratis, neque pro novis; non pro vetustis, cum licentia eas fideliter imprimendi et publicandi instructi sint a Leone XIII in praesenti paragrapho, non pro novis, cum satis sit una Episcoporum revisio et approbatio.

Quaestionem quae naturaliter ex verbis legis exurgit declinare nolumus.

Putare possent Episcopi, ex quo concessa sibi fuerit facultas revisionis et approbationis aliarum Litaniarum, fuisse etiam concssam facultatem illas in publicum fidelium usum adsciscendi. Hoc tamen falso décernèrent; lata enim a Leone XIII lex unam revisionem et approbationem aliarum Litaniarum complectitur, non alia quae ad cultum liturgicum referuntur; qua de causa et nunc, ut prius, pro recitandis aliis Litaniis in publicis Ecclesiis requiritur auctoritas S. Congregationis Rituum.

Utrumque sed vero evidentissime constat ex Decreto S. Officii 18 Aprilis 1860: *De Litaniis edendis;* scilicet:

« Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae « in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus continentur, et praeter « Litanias de B. M. V. quae in Aede Lauretana decantari so- « lent, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii; nec « publice in Ecclesiis, publicis Oratoriis et processionibus reci- « tentur, absque licentia et approbatione S. Rituum Congrega- « tionis » *(a).* Quo in Decreto revisio quidem et approbatio Episcopis asseritur, at concessio liturgica uni Sacrae Rituum Congregationi.

Nemo tamen prohibetur quominus post revisionem et approbationem Episcopi, eiusmodi Litanias private recitet, cum sin minus non conciperetur ad quid illas Episcopus approbasset

58. Hac in paragrapho 20 sermo est de libris aut libellis, precum; lege ergo eximuntur folia et scripta, quae librorum aut libellorum nomine minime veniunt.

(a) Acta S. Sedis XXVIII, 67.

Porro libri aut libelli precum sunt qui varias orationes continent sive ad Deum, sive ad Christum, sive ad B. V. Mariam, sive ad Sanctos, aut alia precationum exercitia complectuntur.

Per libros autem *doctrinae institutionisque reliqiosae* intelligi possunt Catechismi, aut alii Tractatus, qui vel religionis nostrae mysteria, aut Sacramentorum ritus et efficaciam, vel ea quae ad executionem divinorum mandatorum aut praeceptorum Ecclesiae pertinent, aut officia singulorum statuum, quibus homines detinentur, explicant et docent.

Libri *institutionis moralis* sunt qui ad rite informandos hominum mores diriguntur, petitis ex divina revelatione, vel ex Philosophia morali opportunis verisque principiis.

Ascetici qui regulas suppeditant quibus animae ad perfectionis viam mediis ordinariis perducantur.

Mystici, qui de spirituali contemplatione agunt : qui scilicet homines instruunt et dirigunt circa dona supernaturalia et extraordinaria, quibus animae aliquando a Deo cumulantur; ex. gr. circa visiones, revelationes, illustrationes mentis, extases, raptus etc.

Hi porro et alii huiusmodi libri quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, aut reapse conducant, publicari nequeunt absque licentia legitimae auctoritatis.

Haec autem legitima auctoritas est Episcopus loci, in quo hi libri publicantur, cum ob disposita in § 35 libri quilibet, quorum censura nec Apostolicae Sedi, nec Romanis Congregationibus reservantur, subsint auctoritati Episcopi loci, in qua publici iuris fiunt; censura vero librorum, de quibus agitur in praesenti paragrapho nullimodis reservata dignoscitur.

Meminerint autem Auctores, Typographi, aliique librorum editores, libros eiusmodi sine facultate Ordinarii publicatus ipso iure proscriptos manere, quamvis nihil noxii contineant.

Praestantissimi Redactores *del Monitore Ecclesiastico, Vol. et Fase. cit.* scribunt, libros de quibus in praesenti paragrapho, iuxta antiqui iuris statuta, censurae quidem ecclesiasticae fuisse subiiciendos, ea tamen lege auctores tantummodo atque editores obstrictos fuisse, non autem lectores et possessores, qui consequenter, hos libros legere et retinere poterant *(a).*

(a) « Quest' articolo è *del tutto nuovo,* **non già perchè prima siffatti libri non**

At nescimus quanta id veritate scripserint, saltem quantum attinet ab libros devotionis; etenim die 4 Augusti 1877 interrogata S. Rituum Congregatio: *An prohibitum sit in libris nuncupatis* devotionis, *textui latino ordinis Missae, ac praesertim Canonis, addere versionem in lingua vulgari?*

Respondit: « Libros eorumque versiones in lingua verna-« cula de quibus agitur, a canonicis praescriptionibus et apo-« stolicis decretis, Episcoporum auctoritati omnino reservari, « ideoque licitum non esse fidelibus horum uti editionibus, nisi « istae expressam praeferant Episcoporum approbationem » *(a).*

Sed si licitum non erat fidelibus uti praedictis libris sine Episcopi approbatione; ergo censura, seu prohibitio, nedum afficiebat auctores et editores, sed etiam lectores et possessores.

59. *Diaria* sunt scripta quae quotidie in lucem prodeunt et evulgantur, sive constent uno, sive pluribus foliis.

Folia sunt, quae tot paginas complectuntur quot permittit forma adoptatae editionis; in folio, in 4°, in 8° etc.; et possunt esse quotidiana, hebdomadaria etc.

Libelli periodici, id est parvae molis libri, dicuntur qui constitutis diebus publicantur; ex. gr. singulis hebdomadibus, singulis mensibus, aut alio, certo tamen tempore, quo evoluto, iterum publicantur.

Eiusmodi scripta si religionem, aut bonos mores impetant, tum naturali, tum iure ecclesiastico proscribuntur.

Nemo tamen putet, religionis vocabulo, hac in paragrapho intelligi oportere religionem tantum catholicam; dictio enim generalis est, et quamlibet veram religionem complectitur; malum autem quis inferre potest tum fidei, tum morum honestati sive religionem naturalem, sive quamlibet revelatam religionem impetendo; nemo enim veram demonstrare posset Christi religionem, si falsa supponeretur religio Mosaica, atque utraque plane corrueret, si commentitia traduceretur religio naturalis.

Hoc eodem insuper sensu religionis vocabulum sumitur in paragraphis 2, et 3; atque de cetero Legislator solitus est fidem et religionem catholicam explicite nominare, dum de ea tantum loquitur, ut agit in paragraphis 3 et 5.

« dovevano sottoporsi alla censura ecclesiastica; ma perchè prima la censura obbli-« gava solo gli autori e gli editori, non già i lettori ed i possessori, oggidì poi la « censura obbliga tutti ».

(a) Acta S. Sedis XXVIII, 68.

Quamvis autem religionis vocabulum tum naturalem tum revelatam religionem complectatur, nemo tamen arbitretur, diana haec et folia etc. pessima tum solum iri prohibitum, cum utramque religionem impetant; satis enim est si alterutram vexent, sive naturalem, sive revelatam. Etenim verba legis vera sunt in utroque casu, cunr^eligionem reapse impetant tum qui naturalem tum qui revelatam proscindunt; atque proscriptio tam ex naturali quam ex iure ecclesiastico petita utramque afficiat, non *copulative* sed *disiunctive;* id est, libri contra religionem naturalem proscripti censentur iure naturali et ecclesiastico; similiter libri contra religionem revelatam,

Quid autem confert prohibitio ecclesiastica, aut quid addit prohibitioni iure naturali indictae? Etenim proscripta haec diana etc. habentur nedum iure naturali sed etiam ecclesiastico.

Huic quaestioni, quae difficilis primo obtutu videtur, optimam dedit solutionem cl. Vermeersch *Op. cit. pag. 44.* Iure enim naturali libros contra religionem legere prohibemur ob periculum ruinae spiritualis; plurimi sunt tamen, qui doctrina et pietate praevalentes, nullum periculum, vel remotissimum, ex eiusmodi lectione incurrunt; idque ex doctoribus patet qui errorum confutationem quorumlibet suscipiunt; qua de causa hi libros huiusmodi iure naturali legere non prohibentur; deficit enim ratio qua prohibeantur. Interdictum ergo ecclesiasticum id addit naturalis iuris interdicto, ut illi etiam, qui ex lectione librorum eiusmodi nullum animae periculum contracturi essent, abstinere tamen illorum lectione debeant. Severior hinc est et magis extensa Ecclesiae prohibitio quam iuris naturalis. Neque exinde aliqua iurium exurgit oppositio aut pugna; etenim ea quae iure naturali non prohibentur, nedum Ecclesiastica, sed civilis etiam potestas prohibere potest atque prohibuit, ut plurimis constat legibus decretisque. Idque sapientissime; legis enim applicatio non est quibuslibet derelinquenda, cum sin minus singuli existimare possent, quod iure naturali prohibitum est, sibi detrimento non futurum; legislatores autem minime cognoscunt, quibus lectio alicuius ex. gr. scripti nocitura sit; sciunt tamen, ut plurimum, maxime nocere: lex autem debet esse generalis, ne si particularis sit, in praeceptum convertatur, eamque omnes declinare conentur veluti non pro se latam; optime hinc legislatores universis prohibent pravorum librorum lectionem, quae etiam iure naturali prohibita est, ne singuli

exceptionem sibi applicent a iure permissam, et ita ipsum naturae ius in irritum mittant. Notum de cetero est, legislatores tum ecclesiasticos tum civiles aliquando compelli ipsum naturale ius irritum declarare, ne latissima fraudibus et quaestionibus aperiatur via. Et exempla petantur ex testamentis, ex contractibus, ex ipso matrimonio christiano. Hinc; quod iure naturae prohibitum est, quolibet iure censendum est prohibitum; non tamen e contra: quod iure naturali permittitur, id iure etiam ecclesiastico permissum arbitrari debeamus.

Attamen ut proscripta haec Diaria, Folia, libelli habeantur, religionem aut bonos mores *data opera* impetere debent.

Data opera impetere nihil aliud est quam *studiose, de industria, consulto* aliquid aggredi; italice: *a bella posta, a bello studio, apposta, studiosamente, scientemente.* Quae dictio differt *c* b alia *ex professo,* quae importat aliquid scribere vel docere circa datam materiam enucleate et cum argumentorum serie atque delectu, ut lectores de re persuadeantur; aliis verbis *docere lectores id quod intenditur,* ut publici plus minus professores faciunt, atque auctores qui de aliqua materia libros conficiunt, quorum maxima saltem pars de illa agit. Atque hoc sensu dixit Quintilianus : *ex professo philosophiam ostentare ;* id est, publice, aperte, de more. Et Valerius Maximus : *Ex professo inimieitias gerere.* Facciolati sensum optime assecutus est dum scripsit: *Ex professo est: non dissimulate, et quasi ex professione.* Haec autem verba a personis ad libros traducantur, et sensus dictionis apertissimus erit.

Exinde: omne id quod *ex professo* agitur, etiam *data opera* agitur: sed non e contra, cum haec dictio non adeo se extendat, nec tanta complectatur quantum dictio *ex professo.*

Quoniam vero experientia constat, eiusmodi Diaria, Folia etc. maxima fidelibus damna inferre, Episcoporum est, sive publicis edictis propositis, sive Parochorum et praedicatorum verbi Dei ministerio subditos monere ut illorum lectione abstineant. Neque in re eiusmodi promovenda segnes esse debent aut vecordes; agitur enim de animarum ruina, et ipsi positi sunt Episcopi rationem de animabus sibi commissis reddituri.

Attamen cum non omnes numeri horum Diariorum, Foliorum et libellorum religionem aut bonos mores impetant, quomodo dignosci poterit an et quinam prohibiti sint? Etenim antequam legantur, malum quod continent, cognosci non potest;

neque quis tenetur abstinere scripto, quod nescit an malum sit; postquam lecti fuerint, lex fit inutilis.

Respondendum est, eiusmodi diaria, folia, libellosque censendos esse proscriptos, si in pluribus numeris, aut frequenter religionem vel bonos mores (disiunctive non copulative) labefactent, aut quoties occasio scriptoribus sese porrigit, dummodo rarior non sit. Qua de causa si contingat ut nonnulli Numeri nihil perniciosum contineant, etiam ipsi prohibiti censendi sunt, cum prohibitio non afficiat particulares Numeros, sed seriem universam, sive ipsam publicationem, ut vocant; non enim Diariorum etc. nomine intelligi possunt folia aut libelli separati; etenim non essent nec diaria, nec periodica, sed necessario intelligenda est ipsa series aut publicatio, ex qua efficitur, ut sint diaria aut periodica.

Apprime demum notetur, eiusmodi diaria *data opera* religionem aut bonos mores impetere debere, *non obiter aut per accidens:* quo in casu prohibitione non afficiuntur, cum lex poenalis strictae sit interpretationis.

Exinde sequitur, quod si unus vel alter Seriei Publicationis Numerus, non plures, religionem aut bonos mores etiam *data* impetat *opera,* dummodo non assurgat ad illam foliorum quantitatem quae a Doctoribus exigitur ad librum constituendum, (8. vel 10) nec ipsi Numeri, nec Series prohibitioni subiacent; non quidem Series, quia haec minime intelligitur sub conceptu unius vel alterius numeri, et de cetero Lex afficit Seriem, non numeros separatos ; non ipsi Numeri, quia in Constitutione *Officiorum* nulla lex adest, qua fascicula, quae non assurgunt ad iustam libri quantitatem, proscribantur, si religionem aut bonos mores data opera impetant; loquimur autem de lege ecclesiastica; iure enim naturali et divino prohibita manent.

Postremo loco referendum ducimus decretum latum a Congregatione S. Officii die 13 Ianuarii 1892. Quaesitum porro fuerat: « Utrum scienter legentes publicationes periodicas in « fascículos ligatos, habentes auctorem haereticum et haeresim « propugnantes, excommunicationem incurrant, de qua Bulla *« Apostolicae Sedis* 12 Octobris 1869 in excommunicatione (ex- « communicationibus) Romano Pontifici speciali modo reserva- « tis, art. 2. ».

R. *Affirmative, {a).*

(a) **Acta S. Sedis, XXVIII, 66.**

60. Absoluta haec prohibitio est. Quod enim viris catholicis, etiam ecclesiasticis, aliquando permittatur, suadente iusta et rationabili causa, in his Diariis, Foliis, Libellis religionem aut bonos mores data opera impetentibüs aliquid inserere, id non pertinet ad rationem seu essentiam redactionis et cooperationis in conficiendo, redigendoque Diario, Folio, Libello, sed est quid extrinsecum et prorsus alienum, imo ipsius Diarii etc. indoli contrarium; ut si vir catholicus, laicus aut ecclesiasticus quilibet articulum inserat ut calumniam a se vel coetu suo depellat, aliquem sive contra religionem, sive morum honestatem errorem refutet, innocentem hominem iniuste accusatum defendat, factum supernaturale aut confictum aut contra veritatem detortum, iuxta rei veritatem describat et narret etc.; haec enim, saltem aliqua, abhorrent diariorum huiusmodi indole, ipsisque sunt plane adversa; quae tamen redactores inserere ad tramites iurium vigentium aliquando tenentur, ne poenis statutis plectantur.

Deficiente igitur iusta et rationabili causa, nullus catholicus, multo minus ecclesiasticus, huiusmodi Diariis aliquid inserere potest; etenim verba legis apertissima sunt: *Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi Diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet.*

Est autem saluberrima et plane necessaria eiusmodi legis dispositio.

1. Quidem, quia probrosum est et plane viro catholico, praesertim ecclesiastico, indignum, in huiusmodi diariis, foliis, libellis redigendis adlaborare; etenim sibi aut suspectae fidei, aut laxioris conscientiae accusationem comparant, cum nemo prudens, sapiens, atque honestate praeclarus sibi persuadere poterit, vere catholicos esse, aut dignos Ecclesiae ministros, qui eiusmodi libellis etc calamum et ingenium praestant.

2. Scandalum deinde bonis omnibus ingerunt atque in causa sunt ut innumeris detractionibus via aperiatur.

3. Mala nec levia, nec pauca générant, cum plurimi arbitraturi erunt non adeo demum perniciosas esse Redactiones illas, quibus nedum laici catholici, sed etiam Ecclesiae homines operam suam accommodant.

4. Idcirco in causa sunt, ut eiusmodi pessima scripta maiorem diffusionem nanciscantur, et venenum tutius latiusque propinent.

Breviter: hi viri catholici et ecclesiastici omnibus illis malis cooperantur, quae eiusmodi Diaria etc. producunt.

Illi vero, qui iusta et rationabili causa cogente, aliquem articulum in eis inserere compelluntur, animadvertant, Seriem universam, seu ipsam publicationem, prohibitioni subiacere, nec eam catholicos legere aut retinere posse; qua de causa aut oleum et operam perdunt dum hisce Diariis articulos bonos inserant, aut occasionem praebent ut catholici fascículos saltem, in quibus boni articuli inserti reperiuntur, emant. Sed empturi ne sunt ut bonos tantum articulos legant? Nonne ut vim veritatemque refutationis agnoscant, etiam malos articulos qui refutantur, legere desiderarunt?

Consultius profecto erit, nisi aliud necessario obstet, in aliis ephemeridibus impietatis labe minime scatentibus articulos quos voluerint inserere; ita sibi et causae suae tuto provisurierunt, et debitam Romani Pontificis voluntati obedientiam praestitum.

Huius autem commentationis occasione ephemeridum catholicarum praestantissimos scriptores rogamus, ne nobis irasci velint, si veritatis zelo ducti eos moneamus, ut si quando erroris alicuius contra fidem, bonos mores, historicum aliquod factum, praesertim supernaturale, confutationem sint aggres suri, rem strenue et solidissimis agant argumentis, ut errantibus os prorsus obstruant. Plane etenim scimus gloriatos aliquando fuisse pessimorum diariorum scriptores de levi atque prorsus superficiali confutatione a catholicis exhibita: Non nos confutaran t, aiebant, non nobis responderunt: *Non ei hanno confutato, non ci hanno risposto.* Et confiteri cogimur, eos vere gloriatos fuisse; quandoquidem adeo levis et inconsulta catholici Scriptoris responsio, de qua loquimur, erat, ut adversariorum sophismata minime elideret. Eiusmodi scribendi ratio, non bona sed mala plurima parturit, cum errantes magis magisque in erroribus susceptis confirmentur, eruditi catholici e contra catholicas ephemerides spernant proiiciantque.

Neque eo falso criterio catholici scriptores ducantur, quo putent se thaedium lectoribus comparaturos, si profundo ratiocinio et solida utantur argumentatione; rem esse agendam iuxta plurimorum lectorum captum, intelligentiam, indolem; nostrae aetatis homines superficialem eruditionem appetere, non solidas cognitiones *{a).*

(a) **Haec nobismetipsis monentibus aliquando responderunt.**

Etenim in primis hoc verum non est: qui enim legit, veritatem nosse desiderat; idque hominum indoli insitum esse scimus.

Veritas insuper ab aliis impetita, non indigitanda, sed est demonstranda: demonstratio autem solido argumento conficitur, non levi et incerto. Semper deinde reprehensione dignus censetur qui opus suum ita negligenter agit, ut veritatem in periculum vocet, errorem autem quodammodo confirmet.

Melius est errorem sine confutatione dimittere, quam inutili ratiocinio confutare; etenim in primo casu, in eo statu manet in quo erat; in altero aliquam veritatis speciem acquirit, cum ab iis confutatus non fuerit, qui poterant, debebant, volebant confutare.

Quamvis autem hi legis transgressores nullam latae sententiae poenam incurrant, possunt tamen ab Episcopo redargui, et poenis etiam canonicis puniri, si opportunum iudicaverit, ob decreta in paragrapho 49.

61. Libri specialibus decretis proscripti intelliguntur qui vel a S. Congregatione Indicis, vel a S. C. Sancti Officii particularibus decretis prohibiti fuere, et in Indicem librorum prohibitorum relati.

Libri proscripti generalibus decretis sunt qui concluduntur sub variis paragraphis Constitutionis *Officiorum;* ex quo universi intelligunt^ vi huius Constitutionis plures libros esse proscriptos, quamvis non accedat speciale prohibitionis decretum; id scilicet nunc contingere quod in veteri iure contingebat, tum ob Regulas Tridentinas, tum ob *Decreta de libris prohibitis nee in Indice nominatim expressis.*

Hos itaque libros nemo legere potest, nisi, vel a S. Sede Apostolica immediate, quod rarum est, vel ab iis, quibus vices suas delegavit, facultatem illos legendi retinendique impetraverit. Nedum vero Sancta Sedes Apostolica vices suas delegavit Supremae Congregationi S. Officii, S. Indicis Congregationi, et Magistro S. Palatii Apostolici pro Urbe tantum; sed etiam aliis delegare potest, ex. gr. Episcopis, contra haereticam pravitatem Inquisitoribus, aliisque; etenim Apostolica Sedes quibuslibet hanc facultatem concedere potest. De his tamen sermo redibit inferius.

62. Ex Constitutione *Sollicita et provida* superius relata, §§ 1 et 2, constat, Romanos Pontifices tum S. Officii, tum Indicis Congregationibus ea delegasse quae ad librorum vetitae

lectionis rationem pertinent. Universum tamen de libris negotium nunc exercetur per S. Indicis Congregationem, quin tamen de potestate Supremae Inquisitionis aliquid imminutum fuerit.

S. Congregatio de Propaganda Fide a Gregorio XV instituta fuit anno 1622, eique facultatem cumpetere vetitae lectionis libros permittendi iis qui in locis suae potestati subiectis commorantur, exploratissimum est ex plurimis decretis et concessionibus quae legi possunt in Collectanea eiusdem S. Congregationis pag. 765.

Haec tamen Congregatio tantas concedere potest suis subditis facultates, quantas ei permittit Suprema Inquisitio iis in schematibus seu formulariis quae conficit pro illorum norma, ad quos illa transmittit, atque aliquando ampliores, aliquando strictiores licentias concedit iuxta statum, conditionem, et rationes ab iis allatas qui opportunas facultates libros prohibitos legendi postularunt *(a)*.

Attamen haec eadem potestas ex praesentis Constitutionis concessione competit etiam S. Palatii Apostolici Magistro; antiquiori vero aetate nedum concedere poterat facultatem legendi libros prohibitos, quos Regulae Tridentinae permitti posse concesserant, ut patet ex Instructione Clementis VIII § 2 *(b);* sed etiam alios libros absolute prohibitos, quibusdam exceptis, pro Urbe tantum et eius districtu. In rei confirmationem ex authenticis omnino documentis haec exscribimus: « Magister S. Pa-
« latii Apostolici uti potest facultate sibi a Sede Apostolica at-
« tributa concedendi eiusmodi licentias, (legendi scilicet et re-
« tinendi libros prohibitos), quemadmodum hucusque usus fuit,
« cum limitatione scilicet, quae a S. Congregatione S. Officii ema-
« navit die 19 Ianuarii anni 1623 (sub Gregorio XV), nimirum
« in Urbe tantum, et exceptis libris, qui tum in eodem Decreto
« S. Officii, tum in Decreto Urbani VIII edito die 30 Octobris
« an. 1631 excepti sunt ».

Qua de causa dum ii qui vel a Suprema Inquisitione, vel a S. Indicis Congregatione opportunam licentiam consecuti sunt

(a) **Cf. Arndt** *De Libris prohibitis* **pag. 250.**

(b) **« Si qui erunt, qui librum unum, aut plures ex prohibitis, qui ad prae-
« scriptum Regularum permitti possunt, certa aliqua ex causa potestatem sibi re-
« tinendi aut legendi fieri ante expurgationem desiderent; concedendae facultatis
« extra Urbem ius erit penes Episcopum; Romae penes Magistrum S. Palatii ».
Exempla legantur praesertim in Regula II, III, IV, VI, VIII.**

ea possunt ubilibet uti; qui eam a S. Congregatione de Propaganda Fide obtinuerunt, adhibere illam poterunt in omnibus locis ei subiectis, si absque ulla territorii limitatione concessa fuerit; si vero cum limitatione ad aliquem Vicariatum, regnum, provinciam, in iis tantummodo locis, ad quae facultas restricta legitur. Qui vero a S. Palatii Apostolici Magistro, in Urbe et eius Districtu tantum, non extra.

63. Urbanus VIII die 2 Aprilis 1631 facultates licentias concededendi libros prohibitos legendi quibuslibet abrogavit: « 0-« mnes et singulas licentias legendi et habendi libros quoscum-« que ob haeresim vel falsi dogmatis suspicionem, seu per con-« stitutiones apostolicas, etiam ratione astrologiae- iudiciariae, « vel alias quomodolibet prohibitos, quibuscumque personis « laicis et ecclesiasticis, tarn secularibus quam regularibus cu-« iuscumque Ordinis, Societatis et instituti existentibus, ac qua-« cumque dignitate etiam ecclesiastica fulgentibus, cuiuscumque « status, gradus, conditionis, qualitatis, praeeminentiae etiam spe-« ciali nota et mentione dignis, ac per litteras apostolicas, ad « tempus seu ad vitam, et aliter quomodocumque et ex qua-« cumque causa, tam in forma Brevis, quam aliter quomodo-« cumque, a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu « a quibuscumque aliis a nobis vel ab eis facultatem et aucto-« ritatem habentibus (non tamen a nobismetipsis per litteras « apostolicas etiam in forma Brevis, seu chirographum manu « nostra signatum) concessas, earum tenores praesentibus pro « expressis et insertis habentes, hac nostra perpetuo valitura «Constitutione revocamus, cassamus et annullamus: ac pro « revocatis, cassis et annullatis haberi, nullique suffragari ».

Post haec uni Supremae S. Officii Congregationi eiusmodi licentias concedendi facultatem attribuit. « Neque de cetero si-« miles licentiae, nisi a Congregatione S. Officii, dum singulis « hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab aliis per nos etiam « in eadem Congregatione specialiter deputandis, concedan-« tur » (a).

Post eiusmodi revocationem neque Episcopi, neque Cardinales, neque Inquisitores, neque Superiores generales Regularium libros proscriptos legendi facultatem alicui dare poterant,

{a) **Bullar. XIV, 217-218. Edil. Taur. At similis Constitutio promulgata fuit** a **Gregorio XV; atque habetur Tom. XII, pag. 779.**

{sequitur)

LITTERAE SSmi D. N. Papae Leonis XIII ad Ordinarios Provinciae Campan i ae, eorumdemque responsum quoad Institutum Anagniae extructum.

Etsi paternam caritatem Nostram pro ratione apostolici muneris longe lateque pertinere oporteat totius complexu gentis humanae, nihilominus tamen, quia natura gignitur sensus diligendi eas terrarum partes in quibus primam quisque lucis usuram accepit, sponte fit ut Campaniam provinciam quam romanam vocant, cui Nos quidem sumus natione coniuncti, propensiore voluntate complectamur. Eo vel magis quod, memoria vetera repetentes, eam provinciam videmus commendatione ac fama non vulgari florere solitam ; clarorum virorum nulla fere aetate inopem; in religione vero retinenda adeo constantem, ut hoc nomine a Pontificibus romanis gravia laudum praeconia non semel consecuta sit.

Inter Hernicas vero urbes Anagnia non modo communibus Campaniae laudibus, sed ornamentis etiam commendatur domesticis ac suis. Nam praeter vetustatem originis nomenque remotio ribus aetatibus non ignobile, illud sane memoratu dignum iudicamus, quod fidei christianae lumen ex urbe Roma maturrime accepit, ita quidem, ut qui primus eam civitatem episcopus rexit, ab ipso apostolorum principe ferant consecratum. — Alia subinde accessere decora : in quibus illud singulare, quod pontifices maximi ortu Anagnini, nominatimque Innocentius III et Gregorius IX peperere. Quae omnia cogitatione complexi, cum vellemus benevolentiae studiique Nostri perenne monumentum ea in civitate existere, quod frugiferum ac salutare publice foret, quodque ad tuendam provehendamque studiorum optimorum laudem conduceret, consilium cepimus novam sedem eamque accurate fundatam adolescentibus ad sacra aspirantibus Anagniae constituere : adolescentibus dicimus grandioribus natu, qui animo ingenioque bono queant perfectius quiddam attingere cum in litterarum maiorumque disciplinarum studiis, tum in earum praeparatione virtutum, quae comitari sacerdotem in omni vita debent. Qua re non brevi temporis intervallo, sed in spem diuturnitatis, nec uni clericorum ordini, sed ceteris quoque civibus videmur, quantum in Nobis est, profuturi. Nulla enim res vehementius incolumitatem prosperitatemque publicam continet quam mores probi et christianarum studia virtutum : ad utramque vero lau-

dem quanta vis in exemplo operaque clericorum resideat, vix attinet dicere. Quapropter qui in spem sacerdotii adolescunt, eos ad innocentiam vitae, ad sedulitatem officiorum sanctissimorum sapienti disciplina informari, ipsius reipublicae interest plurimum. Iidem ad ornamenta animi adiungant ea necesse est quae pertinent ad ingenium, scilicet varietatem et copiam doctrinarum. Idque si unquam alias, maxime quidem expedit atque opportunum est aetate nostra; propterea quod in tam celeri ingeniorum cursu, in tanta discendi sciendique cupiditate, contendentibus hominibus ad limatius quotidie genus urbanitatis, profecto dignitas ipsa sacerdotii postulat ut, quotquot in sacris muneribus versantur, sint et habeantur eruditione, auctoritate, existimatione haud sane inferiores, quam ceteri. Est praeterea luctandum pro fidei sanctae integritate cum adversariis apparatissimis, versutis, callidis, persaepe ingeniosis ac doctis, qui undecumque libeat, ex philosophia, ex historia, ex rerum physicarum scientia, ex recentioribus hominum repertis arma mutuari consueverunt. Atqui sacerdotes, quibus hac in re priores sustinendae sunt partes, qui possunt esse dimicationi pares, nisi in aciem descendant eodem instructu ornatuque comitati? Itaque doctrinae opus est dedant se totos, et nullam humanitatis artem contemnere, sed omnes habere comites ac ministras ab adolescentia assuescant.

His de caussis aedes satis amplas sumptu Nostro Anagniae extruendas curavimus, easque alumnis sacri ordinis addiximus, doctrinis optimis in clero provehendis, praesertim Philosophia ac Theologia : idque iis legibus quas dandis in id ipsum litteris dicturi sumus.

Verum in hac voluntate Nostra quidquid inest commodi atque utilitatis, id volumus non Dioecesis Anagninae tantummodo, sed regiones etiam finitimae persentiant. Quocirca Anagninum istud religionis studiorumque optimorum domicilium aeque patere adolescentibus iubemus, quos episcopi Signin us, Ferentinus, Alatrinus, Verulanus, nec non Terracinensis qui et Privernensis et Setinus, huc miserint. Eiusdem autem beneficii consortem esse volumus conterminam Dioecesim Fregellanam, quam *Pontem curvum* appellant.

Alius praeterea Nobis est fructus propositus. Cum enim clericis salutare maxime sit secessum identidem quaerere, ut statis animi meditationibus vacare, seque ad sacrorum munerum

sanctitatem renovare queant, decrevimus maiorem aliquam eius rei praebere facultatem. Videlicet dimissis per autumnales ferias alumnis, istas aedes, usui esse presbyteris volumus pietatis vitaeque potioris studio ad id tempus secessuris.

Intereaque divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxu Augusti MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

LEO PP. XIII.

Episcoporum Litterae ad Romanum Pontificem.

Beatissime Pater,

Quo simus omnes in Te animo, quamque gratam providentiae Tuae geramus voluntatem, vix eloqui datur. Etenim cum nihil esse nobis optatius possit nec plane debeat, quam ut Dioeceses cuique nostrum creditae sacerdotibus utantur iis qui pietate dum praestant, ea polleant scientiae laude qua nunc praesertim temporis opus est ad ministeria sacra pro dignitate atque utiliter gerenda; communibus hisce votis a Te supra spem satisfactum videmus, Leoniano Instituto Anagniae fundato hodieque solemnibus ceremoniis dedicato. Praeclaris utique amplissimisque beneficiis, quibus nos cumulaveras, comprobatum abunde iam erat quanto in Campaniae Ecclesias studio ferreris, quamque actuose Provinciam adamares, quae Tibi natalis cum contigit, novum a Te praestantissimumque decus est mutuata. Quod tamen, Collegii huius institutione, beneficium impertivisti, Tuam ad perennitatem benevolentiam testabitur; Tuaeque erit providentiae monumentum, quod eidem et regundo et conservando sapientissime aeque ac munificentissime prospexisti.

Gratias igitur quas concordi animo effusoque agimus, Tu, Pater Beatissime, benigne habeto. Nostrum autem erit incoeptis optatisque tuis, omni qua potes industria, obsecundare, eosque in Leonianum Collegium cooptandos adolescentes eligere in quibus spes adsit maxima, industrias Tuas in Dioeceseon istarum emolumentum laetissimo fore exitu cumulandas.

Ad pedes Tuos humillime pro voluti, Nobis ac fidelibus cuique nostrum commissis Apostolicam benedictionem instantissime imploramus.

Datum Anagniae in Aedibus Instituti Leoniani die xxvni Octobris MDCCCXCVII.

f Antonius Episcopus Anagninus.
f Petrus Archiepiscopus Ghalcidensis Administ. Apostolicus Ferentini.
f Franciscus Episcopus Alatrinus.
f Paulus Episcopus Verulanus.
f Raphael Episcopus Aquini, Sorae, Pontiscorvi.
f Paulus Aemilius Episcopus Terracinensis, Privernen. et Setin.
f Dominicus Episcopus Ferentin.
Iosephus Parochus Ramacçi pro Vic. Gen. Capitularis Signiae.

EPIPSTOLA ENCYCLICA Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII ad Ordinarios phoederatarum civitatum Canadensium quoad puerorum scholas.

Affari vos, quod perlibenter atque amantissime facimus, vix Nobis licet, quin sua sponte occurrat animo vetus et constans apostolicae Sedis cum Canadensibus vicissitudo benevolentiae consuetudoque officiorum. Ipsis rerum vestrarum primordiis comitata Ecclesiae catholicae caritas est : maternoque semel acceptos sinu, amplexari vos fovere, beneficiis afficere numquam postea desiit. Certe immortalis vir Franciscus de Laval Montmorency, primus Quebecensium episcopus, quas res proavorum memoria pro salute publica felicissime sanctissimeque gessit, auctoritate gratiaque subnixus romanorum Pontificum gessit. Neque alio ex fonte auspicia atque orsus agendarum rerum cepere consequentes episcopi, quorum tanta extitit magnitudo meritorum. Similique ratione, si spatium respicitur vetustiorum temporum, non istuc comineare nisi nutu missuque Sedis apostolicae consuevere virorum apostolicorum generosi manipuli, utique cum christianae sapientiae lumine

elegantiorem cultum atque artium honestissimarum semina allatum. Quibus seminibus multo eorum ipsorum labore sensim maturescentibus, Canadensium natio in contentionem urbanitatis et gloriae cum excultis gentibus sera, non impar, venit. — Istae sunt res Nobis omnes admodum ad recordationem iucundae: eo vel magis, quod earum permanere fructus cernimus non mediocres. Ille profecto permagnus, amor in catholica multitudine studiumque vehemens divinae religionis, quam scilicet maiores vestri primum et maxime ex Gallia, tum ex Hibernia, mox quoque aliunde, auspicato advecti, et ipsi sancte coluerunt et posteris inviolate servandam tradiderunt. Quamquam, si optimam hanc hereditatem tuetur posteritas memor, facile intelligimus quantam huius laudis partem sibi iure vindicet vigilantia atque opera vestra, venerabiles Fratres, quantam etiam vestri sedulitas Cleri: omnes quippe, concordibus animis, pro incolumitate atque incremento catholici nominis assidue contenditis, idque, ut vera fateamur, non invitis neque repugnantibus Brittannici imperii legibus. Itaque communium recte factorum vestrorum cogitatione adducti, cum Nos romanae honorem purpurae Archiepiscopo Quebecensium aliquot ante annis contulimus, non solum ornare viri virtutes, sed omnium istic catholicorum pietatem honorifico afficere testimonio voluimus. — Ceterum de institutione laborare ineuntis aetatis, in qua et christianae et civilis reipublicae spes maximae nituntur, apostolica Sedes numquam intermisit, coniuncto vobiscum et cum decessoribus vestris studio. Hinc constituta passim adolescentibus vestris ad virtutem, ad litteras erudiendis complura eademque in primis florentia, auspice et custode Ecclesia, domicilia : quo in genere eminet profecto magnum Lyceum Quebecense, quod ornatum atque auctum omni iure legitimo ad legum pontificiarum consuetudinem, satis testatur, nihil esse quod expetat, studeatque apostolica Sedes vehementius, quam educere civium sobolem expolitam litteris, virtute conimendabilem. Quamobrem summa cura, ut facile per vos ipsi iudicabitis, animum ad eos casus adiecimus, quos catholicae Manitobensium adolescentulorum institutioni novissima tempora attulere. Volumus enim et velle debemus omni, qua possumus, ope et contentione eniti atque efficere ut fides ac religio ne quid detrimenti capiant apud tot hominum millia, quorum Nobis maxime est commissa salus, in ea praesertim

civitate quae christianae rudimenta doctrinae non minus quam politioris initia humanitatis ab Ecclesia catholica accepit. Cumque ea de re plurimi sententiam expectarent a Nobis, ac nosse cuperent qua sibi via, qua agendi ratione utendum, placuit nihil ante statuere, quam Delegatus Noster apostolicus in rem praesentem venisset: qui, quo res statu essent exquirere diligenter et ad Nos subinde referre iussus, naviter ac fideliter effectum dedit quod mandaveramus.

Caussa profecto vertitur permagni momenti ac ponderis. De eo intelligi volumus, quod septem ante annis legumlatores Provinciae Manitobensis consessu suo de disciplina puerili decrevere: qui scilicet, quod leges Canadensis foederis sanxerant, pueros professione catholica in ludis discendi publicis institui educarique ad conscientiam animi sui ius esse, id ius contraria lege sustulere. Qua lege non exiguum importatum detrimentum. Ubi enim catholica religio aut ignoratione negligitur, aut dedita opera impugnatur: ubi doctrina eius contenmitur, principiaque unde gignitur, repudiantur, illuc accedere, eruditionis caussa, adulescentulos nostros fas esse non potest. Id sicubi factitari sinit Ecclesia, non nisi aegre ac necessitate sinit, multisque adhibitis cautionibus, quas tamen constat ad pericula declinanda nimium saepe non valere. — Similiter ea deterrima omninoque fugienda disciplina, quae quod quisque malit fide credere, id sine ullo discrimine omne probet et aequo iure habeat, velut si de Deo rebusque divinis rectene sentias an secus, vera an falsa secteris, nihil intersit. Probe nostis, venerabiles Fratres, omnem disciplinam puerilem, quae sit eiusmodi, Ecclesiae esse iudicio damnatam, quia ad labefactandam integritatem fidei tenerosque puerorum animos a veritate flectendos nihil fieri perniciosius potest.

Aliud est praeterea, de quo facile vel ii assentiantur, qui cetera nobiscum dissident: nimirum non mera institutione litteraria, non solivaga ieiunaque cognitione virtutis posse fieri, ut alumni catholici tales e schola aliquando prodeant, quales patria desiderat atque expectat. Tradenda eis graviora quaedam et maiora sunt, quo possint et christiani boni et cives frugi probique evadere; videlicet informentur ad ipsa illa principia necesse est, quae in eorum conscientia mentis alte insederint, et quibus parere et quae sequi debeant, quia ex fide ac religione sponte efflorescunt. Nulla est enim disciplina

morum digna quidem hoc nomine atque efficax, religione posthabita. Nam omnium officiorum forma et vis ab iis officiis maxime ducitur, quae hominem iungunt iubenti, vetanti bona malaque sancienti Deo. Itaque velle animos bonis imbuere moribus simulque esse sinere religionis expertes tam est absonum, quam vocare ad percipiendam virtutem, virtutis fundamento sublato. Atqui catholico homini una atque unica vera est religio catholica: proptereaque nec morum is potest, nec religionis doctrinam ullam accipere vel agnoscere, nisi ex intima sapientia catholica petitam ac depromptam. Ergo iustitia ratioque postulat, ut non modo cognitionem litterarum alumnis schola suppeditet, verum etiam eam, quam diximus, scientiam morum cum praeceptionibus de religione nostra apte coniunctam, sine qua nedum non fructuosa, sed perniciosa plane omnis futura est institutio. Ex quo illa necessario consequuntur: magistris opus esse catholicis: libros ad perlegendum, ad ediscendum non alios, quam quos episcopi probarint, assumendos: liberam esse potestatem oportere constituendi regendique omnem disciplinam, ut cum professione catholici nominis, cumque officiis quae inde proficiscuntur, tota ratio docendi discendique apprime congruat atque consentiat. — Videre autem de suis quemque liberis, apud quos instituantur, quos habeant vivendi praeceptores, magnopere pertinet ad patriam potestatem. Quocirca cum catholici volunt, quod et velle et contendere officium est, ut ad liberorum suorum religionem institutio doctoris accommodetur, iure faciunt. Nec sane iniquius agi cum iis queat, quam si alterutrum malle compellantur, aut rudes et indoctos, quos procrearmi, adolescere, aut in aperto rerum maximarum discrimine versari.

Ista quidem et iudicandi principia et agendi, quae in veritate iustitiaque nituntur, nec privatorum tantummodo, sed rerum quoque publicarum continent salutem, nefas est in dubium revocare, aut quoquo modo deserere, igitur cum puerorum catholicorum institutionem debitam insueta lex in Manitobensi Provincia perculisset, vestri muneris fuit, venerabiles Fratres, illatam iniuriam ac perniciem' libera voce refutare : quo quidem officio sic perfuncti singuli estis, ut communis omnium vigilantia ac digna episcopis voluntas eluxerit. Et quamvis hac de re satis unusquisque vestrum sit conscientiae testimonio commendatus, assensum tamen atque approbationem Nostram sci-

tote accedere: sanctissima enim ea sunt, quae conservare ac tueri studuistis, studetis.

Ceterum incommoda legis Manitobensis, de qua loquimur, per se ipsa monebant, opportunam sublevationem mali opus esse concordia quaerere. Catholicorum digna caussa erat, pro qua omnes omnium partium aequi bonique cives consiliorum societate summaque conspiratione voluntatum contenderent. Quod, non sine magna iactura, contra factum. Dolendum illud etiam magis, catholicos ipsos Canadenses sententias concorditer, ut oportebat, minime in re tuenda iunxisse, quae omnium interest plurimum: cuius prae magnitudine et pondere silere studia politicarum rationum, quae tanto minoris sunt, necesse erat.

Non sumus nescii, emendari aliquid ex ea lege coeptum. Qui foederatis civitatibus, quique Provinciae cum potestate praesunt, nonnulla iam decrevere minuendorum gratia incommodorum, de quibus expostulare et conqueri catholici ex Manitoba merito insistunt. Non est cur dubitemus, susceptum id aequitatis amore fuisse consilioque laudabili. Dissimulari tamen id quod res est, non potest : quam legem ad sarcienda damna condidere, ea manca est, non idonea, non apta. Multo maiora sunt, quae catholici petunt, quaeque eos iure petere, nemo neget. Praeterea in ipsis illis temperamentis, quae excogitata sunt, hoc etiam inest vitii quod, mutatis locorum adiunctis, carere effectu facile possunt. Tota ut res in breve cogatur, iuribus catholicorum educationique puerili nondum est in Manitoba consultum satis: res autem postulat, quod est iustitiae consentaneum, ut omni ex parte consulatur, nimirum in tuto positis debitoque praesidio septis iis omnibus, quae supra attigimus, incommutabilibus augustissimisque principiis. Huc spectandum, hoc studiose et considerate quaerendum. — Cui quidem rei nihil obesse potest discordia peius: coniunctio animorum est et quidam quasi concentus actionum pernecessarius. Sed tamen cum perveniendi eo, quo propositum est et esse debet, non certa quaedam ac definita via sit, sed multiplex, ut fere fit in hoc genere rerum, consequitur varias esse posse de agendi ratione honestas easdemque conducibiles sententias. Quamobrem universi et singuli meminerint modestiae, lenitatis, caritatis mutuae: videant ne quid in verecundia peccetur, quam alter alteri debet: quid tempus exigat, quid optimum factu videatur,

fraterna unanimitate, non sine consilio vestro, constituant, efficiant.

Ad ipsos ex Manitoba catholicos nominatim quod attinet, futuros aliquando totius voti compotes, Deo adiuvante, confidimus. Quae spes primum sane in ipsa bonitate caussae conquiescit: deinde in virorum, qui res publicas administrant, aequitate ac prudentia, tum denique in Canadensium, quotquot recta sequuntur, honesta voluntate nititur. Interea tamen, quam diu rationes suas vindicare nequeant universas, salvas aliqua ex parte habere ne recusent. Si quid igitur lege, vel usu, vel hominum facilitate quadam tribuatur, quo tolerabiliora damna, ac remotiora pericula fiant, omnino expedit atque utile est concessis uti, fructumque ex iis atque utilitatem quam fieri potest maximam capere. Ubi vero alia nulla mederi ratione incommodis liceat, hortamur atque obsecramus, ut aucta liberalitate munificentiaque pergant occurrere. Non de salute ipsorum sua, nec de prosperitate civitatum mereri melius queant, quam si in scholarum puerilium tuitionem contulerint, quantum sua cuique sinat facultas.

Est et aliud valde dignum, in quo communis vestra elaboret industria. Scilicet vobis auctoribus, iisque adiuvantibus, qui scholis praesunt, instituere accurate ac sapienter studiorum rationem oportet, potissimumque eniti ut, qui ad docendum accedunt, affatim et naturae et artis praesidiis instructi accedant. Scholas enim catholicorum rectum est cum florentissimis quibusque de cultura ingeniorum, de litterarum laude, posse contendere. Si eruditio, si decus humanitatis quaeritur, honestum sane ac nobile iudicandum Provinciarum Canadensium propositum, augere ac provehere pro viribus expetentium disciplinam institutionis publicam, quo politius quotidie ac perfectius quiddam contingat. Atqui nullum est genus scientiae, nulla elegantia doctrinae, quae non optime possit cum doctrina atque institutione catholica consistere.

Hisce omnibus illustrandis ac tuendis rebus quae hactenus dictae sunt, possunt non parum ii ex catholicis prodesse, quorum opera in scriptione praesertim quotidiana versatur. Sint igitur memores officii sui. Quae vera sunt, quae recta, quae christiano nomini reique publicae utilia, pro iis religiose animoque magno propugnent: ita tamen ut decorum servent, personis pareant, modum nulla in re transiliant. Vereantur ac

sancte observent episcoporum auctoritatem, omnemque potestatem legitimam: quanto autem est temporum difficultas maior, quantoque dissensionum praesentius periculum, tanto insistant studiosius suadere sentiendi agendique concordiam, sine qua vix aut ne vix quidem spes est futurum ut id, quod est in optatis omnium nostrum, impetretur.

Auspicem coelestium munerum benevolentiaeque Nostrae paternae testem accipite apostolicam benedictionem, quam vobis, venerabiles Fratres, Clero populoque vestro peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Decembris, Anno MDCCCLXXXXVII Pontificatus Nostri vicesimo.

LEO PP. XIII.

MOTU PROPRIO SSmi. D. N. Leonis Papae XIII, quo Ordini Benedictino concreditur regendum Collegium Athanasianum ; quod Romae patet iuventuti graecae erudiendae ad Sacra.

Sodalium Benedictinorum Ordinem, quem Nos in fidem clientelamque Nostram suscepimus, quam benevolenti amantique animo complecteremur, amplissime superioribus annis testati sumus, quum Anselmianum Collegium in Aventino ab inchoato excitavimus. Quo quidem in opere hoc plane Nobis gratulamur quod fructus iam gigni optimos perspiciamus, quibus Ordo ipse in pristinum decus veteresque laudes restituendus certo praecipiatur.

Iam modo studii Nostri in Benedictinam Familiam propensiorisque voluntatis testimonium mens est praebere aliud : decretum nimirum habemus Collegium Athanasianum, quod iuventuti graecae ad sacra erudiendae in Urbe patet, regendum moderandumque attribuere. Id etenim Collegium, cui Gregorius XIII decessor Noster, ecclesiarum orientalium commodo magnifice prospiciens, in nobilissimo Urbis loco sedes amplas posuit, Nostras ad se curas convertit, quod cum propositis cohaeret maxime, quae Nos diu tenemus ac peragimus in earundem ecclesiarum utilitatem. Siquidem, quum dudum evigilemus enixeque contendamus pro orientalium bono, in spem tum antiquae amplitudinis, tum coniunctionis, eorum qui dissident, cum Romana

Ecclesia; permagni plane interest ut, qui e graecis ephebis ad sacerdotium destinantur, quorumque erit sacrorum doctrinis populares imbuere, coniunctionem que Nobiscum vel servatam firmare vel ineundam suadere ac provehere ; ii ad fontem ipsum catholicam veritatem hauriant, et unitatis centrum, quod in Sede Apostolica divinitus constitutum est, venerari coram atque adamare adsuescant. Hoc igitur laboris quum Benedictinorum navitati committimus, quod earum Nobis apprime est commendamus ipsis, quantamque in eis habeamus fiduciam diligentiae ostendimus. Quoniam vero, ut Benedictini Ordinis unitati consuleremus aptius, Abbatem Primatem eidem praeficiendum voluimus, eumque sedem Romae perpetuo habere iussimus ; Primati ipsi, qui quoquo tempore fuerit, Graecorum Collegii procurationem, ex peculiari mandato Nostro, Nostroque nomine ac Successorum Nostrorum, gerendam damus, ad nutum videlicet Apostolicae Sedis et ad leges quae infra scriptae sunt.

I. Collegii aedes, quas Gregorius XIII decessor Noster fundavit ; item quae Collegio bona data attributaque fuerunt, erunt, in ditione Pontificum Romanorum perpetuo sint.

II. Primas rectorem, qui Collegio praesit, proponet; eligendi iure Pontifici Maximo reservato. Monachi ceteri, qui Collegio adcenseantur, a Primate destinabuntur.

III. Alumnos cooptandi, item noxios indocilesve abigendi Rectori potestas erit, conscio annuenteque Primate. Monachorum vero erit ad alumnorum disciplinam adhibere curam, magisterio pietatis fungi, ephebos virtutibus, moribus sacerdotio dignis excolere.

IV. Alumni universi, excepto nemine, tum qui litteris dent operam, tum qui in philosophicas ac theologicas disciplinas incumbant, Collegii Urbaniani scholas celebrabunt.

V. Si qui epheborum recens cooptatorum scholis Urbanianis continuo frequentandis haud fuerint; iis erudiendis magisterium in Collegio adsit, quo ad maiora percipenda praeparentur. — Praeterea e Monachis designentur, quibus adiutoribus alumni ea quae in publicis scholis audierint privatim recolant. Item constituantur qui alumnos eosdem in liturgia, patrologia, iure ecclesiastico, quod apud graecos obtinet, demum sermone graeco, tum veteri tum recentiore, quotidiano usu exercendos curent.

VI. Sacra, tam quae in communi alumnorum sacrario, seu

domi seu ruri, quam quae in templo Athanasiano fiant, non nisi graecorum ritu atque idiomate peragi fas esto. Eiusdem in perlitando ritus Monachis Collegio addictis copiam damus.

VII. Abbas Primas ad Nos de disciplina alumnorum, de studiis deque re oeconomica, dato libello, quotannis referet: cuius libelli exemplum Cardinali Praefecto Sacri Consilii christiano nomini propagando transmittendum curabimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 15 Decembris anno 1897, Pontificatus Nostri vicesimo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ABELLINEN.

MATRIMONII.

Die 21 Augusti 1897.

Sess. 24, cap. 5, de ref. matr.

COMPENDIUM PACTI. Die 22 Iunii 1882 Evelina Venetiis nata an. 1864, in oppido *Prata* ubi videtur matrem habuisse domicilium, matrimonium rite contraxit cum Equ. Stanislao.

Hoc matrimonium, infausto omine initum, miserrimum evasit. Siquidem sponsa, cui maxime vir displicebat, uti fertur, infenso animo nupsit, utpote a matre coacta, quae hoc coniugium valde exoptabat, ut suum animum gratum viro manifestaret ob susceptos favores.

Nuptialibus solemnitatibus absolutis, sponsi Neapolim petierunt, et, si eorum dictis standum erit, prima nocte mulier accersita a suo viro ad matrimonium consummandum se negavit, imo cum ipso dormire renuit. Postea, viro urgente, plura tentamina habita sunt, quae tamen in irritum semper cessisse coniuges asserunt. Huius rei, praeter ani-

morum repugnantiam, ea videtur fuisse causa, quia mulier, utpote vaginismo affecta, impar erat ad officia matrimonialia obeunda.

Praeterea, quatuor annis transactis, coniuges edocti de. impossibilitate ducendi, hoc modo, vitam coniugalem, mutuo consensu, obtenta a tribunali civili Beneventano favorabili sententia, separati sunt, quin amplius restaurata esset vita coniugalis.

Interea Evelina Italiam reliquit et ad exteras regiones profecta est. Dum in civitate *Seraievo* commorabatur, per aliquod tempus vaginismo, quo laborabat, a quodam medico illius civitatis curata fuit : et de hac re fidem facit ipse medicus.

Praeterea Evelina an. 1894 Italiam repetiit et in hac infelici conditione constituta recursum habuit ad S. Sedem, enixe expostulans, ut matrimonium suum nullum declararetur ratione vis et metus ; vel saltem ut dispensatio concederetur a matrimonio rato et non consummato.

Ad munus conficiendi processum super asserta nullitate et inconsummatione subdelegata fuit Curia Neapolitana. Constituto tribunali, coniuges prae primis excussi fuerunt; percontati fuerunt testes septimae manus tam viri, quam mulieris, inter quos praestat depositio matris actricis. Iussu tribunalis corpus mulieris plures medici examinarunt, qui licet illam affectam esse vaginismo affirmant, tamen aliquam laesionem hymenis invenerunt.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Rogatus, ait ille, de mea sententia, haec mihi observanda videntur ad duplex Dubium quod proponi solet :

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu ; et quatenus* negative :

II. *An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato.*

Ad I. dubium : *negative* mihi respondendum esse videtur.

Profecto, extra controversiam est, metum reverentialem irritare posse matrimonium ; limitant tamen DD. « dummodo minae aut verbera aut alius metus gravis illis adiungatur » Sánchez, *I. IV, disp. VI, n. 7,* aut saltem, ut addit idem Doctor *I. c. n. 14,* filius timeat « probabiliter diuturnam fore indignationem et semper habiturum... patrem valde infestum et indignatum, obiecturumque passim illam inobedientiam ». Cum Sánchez concordant passim DD. atque ipsa huius S. C. praxis.

Cum autem metus sit factum internum, ita ut nonnisi ex eiusdem externis manifestationibus cognosci possit, hinc generatim ad probandam metus existentiam, recursus fit ad circumstantias quae sive praecesserunt, sive comitatae sunt, sive demum matrimonium sunt sequutae.

Iamvero in casu praesenti, incipiendo a circumstantiis quae matrimonium sequutae sunt, non videtur ex his aliquid concludi posse ad probandam metus existentiam.

Et sane ; 1. investigando ad tramitem *Inst. S. C. S. Officii ad Epp. Orientales in causis matrimonialibus :* « utrum libenter et sine oppositione ad officia matrimonialia sese exhibuerit, an iisdem obstiterit » ; quamvis ex testimonio ipsorum coniugum atque etiam aliorum testium ex auditu ab iisdem certum sit, mulierem obstitisse matrimonialibus officiis tamen ex earumdem personarum testimonio caussa huius resistentiae in morbo quo mulier laborat est reponenda ; atque huic eidem caussae attribuenda est separatio personalis inde sequuta ceu vir autumat.

2. Praeterea adnotanda est circumstantia, quae difficile cum metu componi posse videtur, mulier enim postquam a marito separata fuit sese subiecit speciali curae, ut sese a vaginismo curaret, ac sic sese aptam redderet ad obeunda matrimonialia officia.

Tandem veniendo ad circumstantias, quae matrimonii celebrationem praecesserunt, ex his concludi certo potest, ma-

trimonium, saltem ex parte mulieris non fuisse contractum ex propensione atque affectu, qui necessarii sunt ut matrimonium felicem habeat exitum, non vero *saltem certo* concludi potest matrimonium contractum fuisse sub tali metu qui matrimonium nullum reddat.

Ad II. dubium ; mihi respondendum esse videtur : *non satis constare de inconsummatione.,*

De existentia caussarum ad postulandam dispensationem, nulla potest esse quaestio. Evidens est ex universo processu *antypathia* et *animorum dissociatio ;* sicut etiam ex parte saltem Evelinae *aliqualis difficultas ad matrimonialia officia obeunda,* ceu testatur medicus Novi.

Tota igitur quaestio reducitur ad probandam inconsummationem.

Porro inconsummatio triplici argumentorum genere probari solet sc: I° argumento, ut ita dicam, *metaphysico,* desumpta ex absoluta impossibilitate, qua fuerunt coniuges una simul conveniendi ; 2° argumento *physico,* desumpto ex certis indiciis inconsummationis, post institutam mulieris corporis inspectionem ; 3° argumento *morali,* quod consistit in iurata coniugum confessione de non consummatione septimae manus testimonio corroborata, nec non aliis adminiculis atque praesumptionibus.

Atqui in casu nostro non potest fieri recursus ad primum argumentum, cum sponsi una simul cohabitaverunt quatuor annorum spatio ; recursus ergo fieri debet ad argumentum physicum et morale.

Iam vero *quoad argumentum physicum,* ex peritorum attestationibus hoc unice concludi posse videtur, certo mulierem corruptam esse, caussam autem corruptionis ex sententia aliquot Doctorum *probabiliter* non fuisse copulam carnalem, sed operationem sic dictam *massaggio,* cui dicitur mulier subiecta fuisse.

Quoad vero *argumentum morale* maritus deponit utique sub iuramento matrimonium non fuisse consummatum, aliqua tamen addit quae efficaciam depositionis imminuunt ;

mulier vero nullimode *explicite* et *directe* de inconsummatione deponit, eiusque autem testimonium ex iis quae eadem mulier narrat non videtur nimis attendendum ex defectu saltem scientiae.

Quare cum ex argumento physico et morali pro inconsummatione non certo, sed solum probabiliter concludi posse videtur, ad propositum dubium, mihi respondendum esse videtur : *non satis constare de inconsummatione.*

VOTUM CANONISTAE. Memor verborum quae habentur in *Instructione* Supremae Universalis inquisitionis 10 Iunii 1885 « matrimonium semper validum praesumitur, nisi evidentes rationes nullitatem eiusdem demonstraverit » humillime quod sentio submitto, ait canonista.

An in matrimonio inter Stanislaum et Evelinam consensus defecit?

Sponte confìteor. Temerario iudicio saepe laboravi dum evolverem hunc processum. Omnes testes conspirant ad demonstrandam severitatem dominae matris in filias suas, ad exagerandam repugnantiam Evelinae a contrahendo matrimonio cum Stanislao quin recordati sint de hospitalitate facta sponso ante nuptias per plures hebdomadas prope cubiculum Evelinae, quae futuro sponso inserviebat uti humillima famula procul ambo ab oculis matris, quae licet optima fuerit, in periculo tamen constituebat filiam. Quomodo concordari potest filias vixisse velut claustralis et tamen plura itinera perlonga confecisse sine comitatu ? Evelina abhorruisse a futuro sponso, et in visitationibus eius omnia convenientia adimplevisse quae solent puellae cum iuvenibus exercere. Sed ad alia transeamus. Sacramentum matrimonii, quod conficitur mutuo consensu, scilicet mutua voluntate non solum interius, sed etiam exterius annuente, maxima libertate debet confici. Voluntas humana per se libera est. Homo non flectitur, nec repugnat si caret illustratione mentis, nec cogitur ad actum. Mens est prima motrix, suis luminibus voluntatem vel inclinat vel opponit. Etiamsi homo fuerit in abysso vel in profundo maris, semper in

corde suo ait YOIO vel nolo. Sub ferali bipenni martyres invicti noluere tirannis annuere. Voluntas essentialiter libera est et domina omnium actuum suorum. Nulla vis potest physice eam flectere vel cogere ad aliquem actum eliciendum.

Verum aliud est de sua essentia esse liberum, aliud est esse in statu liberae electionis. Respectu liberi arbitrii quoad suam essentiam illud est in potentia liberae electionis. Quando voluntas flectitur ad aliquid, vel aliquid respuit, est in actu electionis, et inclinans se vel resistens, elicit actum perfectae libertatis. Aliquando moraliter ipsa subiit influxum mentis : vel mens decepta efficit ut actus voluntatis sit effectus deceptionis. Hinc est, quod phantasmatibus tristibus agitata eligit quod in aliis circumstantiis libera ab huiusmodi phantasmatibus vel praevisionibus non amplecteretur. Haec maiorum praevisio deducta a ratiocinatione est quaedam vis. Sed quia innuens in affectus efficit ut voluntas quodammodo patiatur, hinc dicitur passio. Praevisio mali gravis agitans et torquens voluntatem, débilitât vim libertatis, ac proinde voluntatis ; ita ut velit id quod sponte nunquam vellet. Quasi seligens minus malum ; et appétit quia trahitur ab apparente forma exigua bonitatis.

Unde pariter error et metus sunt dirimentia impedimenta sacri contractus, cum error sit substantialis et metus de malo gravi diminutio libertatis. Quod de timore dicimus semper intelligendum est de metu gravis mali incusso ab extrinseco de iusta non iniusta causa.

Vires liberae voluntatis, et ab alia vi poten fiori aggressae, puta a metu mali gravis certi et futuri, non destruantur sed minuuntur. Sed praevisio levis mali non sic ; sed a viribus voluntatis premitur et succumbit. Verum tamen in libello supplici dato iudicibus Huius Ordinis et prout deducitur ex processu, hic agitur de metu reverentiali, unde sponsi deducunt defuisse consensum. Quid in iure definitum invenitur de consensu matrimoniali ? Innocentius II ait : « Cum locum non habet cum metus et coactio intercedit

necesse est ubi assensus cuiusdam requiritur coactionis materia reputatur.... Sponsi animus est indagandus ne per timorem dicat sibi placere quod odit, ne sequantur exitus, qui de invitis solent nuptiis provenire ». De coactione hic intelligitur quae destruit libertatem actus. Coactus enim tum non est agens primum et principaliter. Si patitur vim non est agens sed patiens ; est instrumentum in manu alterius agentis, non operatur voluntate sua sed iuxta voluntatem alterius ; actus emanat a vi et voluntate alterius extrinseci agentis. Vis vero moralis est attractio voluntatis, sed non est ipsa voluntas quae trahit ad se obiectum volitum ab alio subiecto quod vere cupit unire obiecto volito voluntatem alicuius. Metus vero respicit malum imminens sibi non aliis. Sed metus reverentialis respicit leve malum imminens superiori puta dolorem cordis, puta spretum commendati. Hinc in iure nec mentio aliqua est de metu reverentiali ; S. Alphonsus doctor Ecclesiae de metu reverentiali tractans scribit : « Est quo quis veretur resistere ei, cui subest ». Plurimi cum divo Alphonso, inter quos Sánchez cum aliis quos ipse citat, opinantur quod metus reverentialis matrimonium non solvit. Hoc habetur in Iure (Interpositus Cap. de trans, *probare oportet talem metum suae salutis periculum fuisse vel cruciatus) et contingat.* Pontius addit quod metus reverentialis potest dici gravis si adsunt minae gravis mali, et mìnans suo crudeli animo certe reducere potest et vult ad actum suas minas. Unde idem Pontius concludit quod purus metus reverentialis sine apprehensione alterius mali gravis, non est metus, sed quaedam erubescentia quae non dimanat ab extrinseco, sed potius ab intrinseco.

Divus Thomas affert rationes unde nullitas matrimonii coacti a metu gravis mali resultat et unde validitas matrimonii in metu reverentiali confirmatur. Ipse enim ait « vinculum matrimoniale est perpetuum, unde illud quod perpetuitas repugnat matrimonium tollit ; metus autem qui cadit in virum constantem, qui solummodo dici debet gravis, tollit

perpetuitatem contractus quia potest propter huiusmodi metum repeti restitutio in integrum et ideo haec coactio metus quae cadit in constantem virum tollit matrimonium et non alia». Metus reverentialis non cadit in virum constantem, quia levis est ac proinde non tangit contractum, ac proinde non solvit contractum nec repeti potest restitutio in integrum ac proinde matrimonium non solvit. Prosequitur Divus Thomas : « Matrimonium est vinculum perpetuum » iuxta illud Matthaei « Relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae ».

Unde quando ob metum contrahitur matrimonium oportet de se esse nullum, alias, cum metu non potest mutuus amor consistere. « Nemo enim adhaerere solet ei quam tenet invitus ». Metus vero reverentialis praeterquam levis est, revera non producit metum personae quando agitur de puero, metu reverentiali agitur sive minis, sive obiurgationibus, sive conviens. Non est etiam levissimus timor, sed est quaedam reverentia laesa in hoc, quod inferior superioris voluntati non adhaeret. Displicentia superioris non est malum grave, nec tangit inferiorem sed superiorem in levissimo gradu. Non intelligo igitur quare irritandum quod est vinculum perpetuum propter minimum et temporaneum defectum, qui iniuste observari non licet in actu tam libero. Potius dici debet non bene agere illum qui in matrimonio cogit quacumque facultate, et abutitur sua auctoritate, spretu libertatis alterius.

Praeterea quando verba consensus sponte pronuntiantur, nec signa dant vel timoris vel repugnantiae, praesumuntur sincere et libere prolata in celebratione matrimonii. Sacerdos qui vice Parochi adstitit matrimonio Evelinae nihil de hoc in testimonio quod dedit indicavit, quomodo asseritur defuisse consensum ? Ubi sunt indicia ? haec potius contra assertum militant. Quando Evelina Neapoli iacebat infirma, frater suus ait illi : « Questo sarebbe il momento propizio « di spezzare ogni relazione ». Qua re Evelina hoc agere noluit ? Adhuc erat puella et vero fungebatur famulatu erga

sponsum suum in pluribus illis hebdomadibus quando Stanislaus fuit eius hospes et degebat prope cubiculum ipsius ? Si oderai sponsum quare hoc officium non resignabat sorori suae ? de qua re loquebatur tota die cum sponso ? Si immediate post matrimonium levi sincope affecta fuit Evelina, nemo adstantium animadvertit et brevissimo colloquio cum matre habito resanavit. Quaenam fuit tam miraculosa matris collocutio ? Duo testes deposuerunt de matrimonio in themate. Aloysius Baccari ait : « Solo posso assicurare che nei tempi primi seguenti il matrimonio menavano una vita galante ed aristocratica ed in generale dal loro fare pareva che fossero stati in armonia ed esser pure una coppia felice. In seguito si parlava nella città di disturbi sorti fra loro aggiungendosi pure l'almanaccare chi dei due non fosse atto nell'uso matrimoniale ».

Mater Evelinae si proposuit matrimonium cum Stanislao, hoc fecit quia sperabat in divitiis eius, dicebat Evelinae quod futurus eius sponsus erat dives et benignus corde. Non aderat quando sponsus eam ducere faciebat vitam elegantem et aristocraticam ?

Alter testis, Ioseph Cerrotti : « Stanislao uscito dal collegio, orbato del padre e della madre si diede al bel tempo e fra le altre sciocchezze fece quella del matrimonio con la Signora Evelina con una leggerezza tale da far sorprendere tutti ». Si nolebat contrahere matrimonio taedium antiquum fuisset ab ea protractum multo in longius tempus. Non poterat insimul esse elegans et aristocratica et taedio affecta, et repugnans cohabitare cum Stanislao. Ipsimet actus prodigalitatis Stanislai erga sponsam, in sponso praesupponere faciunt antecedentem amorem qui consummatus fuit sigillo matrimoniali. Nunquam apertis verbis negative respondit sponso cum ei interrogarci an eum amaret, nulli consanguineo vel affini cor suum aperuit. Quando mater Evelinae proposuit matrimonium ipsa puella erat, et nesciebat si Stanislaus virtute polieret nec indolem eius experta fuit, nec vituperavi!. Pulchritudinem eius non laudavi t nec mur-

muravit de eius deformitate. Qua ratione consensus vel dissensus ?

Quoad consummationem ait consultor, cum medici omiserint inspectionem relate ad corpus Stanislai, criterium certum dari nequit ad definiendum utrum matrimonium Evelinae cum Stanislao fuerit ratum, et non consummatum. Inspectio enim viri, impotentiam cui tribuendam esse determinare poterat si mulieri aut viro, et facilis via patefacta esset pro definitione validitatis vel nullitatis matrimonii (ut in themate) ratione impotentiae. Inter tot difficultates non obstante inspectione medicorum ortae quid sentiendum opinor plane dicam.

Medici non originem morbi non diagnosim iudicarunt eius, neque sanabilitatem aut incurabilitatem ; insuper non determinarunt fuisse ab eiusmodi morbo afïïictam Evelinam ante vel post matrimonium nil certi statuerunt, sed inter ambages agitabantur. Haec omnia inveniuntur legendo in processu depositiones doctorum.

Ex tot dubiis hoc certum habemus Evelinam laborare morbo qui dicitur vaginismus, difficilis curatione, doloribus circumdatus, videtur antecedens, et quia insanabilis, dici debet perpetuus. Sed tenetur mulier reddi apta ad copulam viro suo debitam ? De hoc modo hic sermo erit a nobis, qui nitimur opinionibus scriptorum. Forsitan vaginismo laborabat Evelina, sed pro certo non habeo. Opinionem huiusmodi consolidare cogitur Testis Matildes Locapio.

Quaenam ratio poterat inclinare iudices ad irritandum matrimonium nisi impotentia? Impotentia mulieris sistit in vaginismo ? Haec impotentia efficit ut vir coire nequeat. Atroces dolores certa signa erant vaginismi ? Ipsum remedium quod doctor reperiit, id est massaggio, indicabat morbum vaginismi ?

Sed et alia dubia mea, quae exurgunt de testimoniis ut in processu, Evelina oderat virum suum quia excipiebat in domum suam plures iuvenes, et postea exibatforas ad deamhulandum eamque linquebat solam cum iuvenibus clauso

ostio, in diebus praesertim, in quibus erant multa hilaritate affecti. Forsitan vere Stanislaum impotentem esse, et mendacia esse dolores, quaerimonias, clamores, forsitan periculo exponebatur fornicandi ; sed peccatum Evelinae si accidisset referebatur in opprobrium mariti. Sed poterat Stanislaus credere propter iuvenum conformitatem gradatim habere copulam Evelinae, postea concipere et vice iuvenis adulteri sibi vindicare conceptum.

Insuper dissensiones permultae fuerunt quibus praesto erat mater Evelinae et suam eis imponebat auctoritatem. Ex contextu apparet originem horum fuisse zelotipiam, laborabat Evelina a coniuge suo non propter dolores alioquin non oportebat vocare matrem ad pacificationem, sed opus erat praestare remedium. Sed dolores cum dissentionibus interventu matris modo cessabant. Ergo non dolores sed aliae causae producebant rixas.

Verum perscrutari desiderantes quod sub velamine quorumdam factorum absconditur et involvitur inter apparentias et verisimilitudines aliquando se invicem repugnantes ea quae opinamur subiicimus. Aut est ineptus ad matrimonium Stanislaus, aut non est apta ad coitum Evelina. Erat hoc dilemma vulgi quando post vitam aristocràticam et elegantem ortae sunt rixae et discordiae.

Testes iudicant in processu huiusmodi instrumentum solidum scilicet il massaggio quod non est nisi manus hominis. Medicus enim non italus per unum annum tetigit continuo membra genitalia mulieris ut dilatarentur ad copulam facilius habendam, et Evelina affirmat ad meliorem transiisse statum suae salutis. Non obstantibus observationibus et argumentis nihil certi pro themate sive in affirmativo, sive in negativo responso concludere doctoribus peritis fas fuit, sed dubium perseveravit. Adest unus testis, qui coniectura aliqua potest morbum Evelinae indicare scilicet vaginismum.

Si doctores periti concluserunt dubitantes an matrimonium huiusmodi aliquo perpetuo impedimento laboraverit, mihi quoque permittant inter dubia agitari et perscrutari.

Tangendo manu sua anni spatio et per plures menses chirurgus vaginam sponsae, vel hymenaeus debebat omnino laceran et vagina dilatari, quin dubitamus se exposuisse periculo mortis. Sed nil de istis rebus, hymene dilaceratum in tribus partibus nunquam in iisdem, nil replicatum, nullum ex adminiculis quae possunt corroborare opinionem perfectae consummationis. Tria vulnera in hymenaeo, sed in tribus diversis locis tantummodo, inspecta inveniuntur. Digiti non habent motum unicum et unicam directionem. Possunt eam habere, sed attente, et tamen propter circumstantiam vel infirmae vel medici directio potuit mutari. Ad modum exempli : Si vir impotens sit, potest immittere in vaginam membrum quod eiecto in labiis semine restat non solum refrenans eiaculationem sed etiam festinans introductionem membri. Hoc respicit virum et in tali circumstantia dolores Evelinae fuerunt dolores alterius subiecti. Irritaverunt ovarium non ordinate se moventes imo inflammaverunt, et cuius naturae sit exsudatum nescimus.

Ipsi periti doctores deponunt Stanislaum immisisse membrum in vagina : in hunc locum immiserat suum membrum Stanislaus assuetus cum meretricibus coire eo modo quo non licebat, sed libebat ei mihi videtur non perfectam completam et plene satisfacientem copulam habere, sed talem ne proles potuerint emergere.

Denique in hac secunda quaestione praesentis thematis ad tutamen vinculi matrimonialis mihi videtur resolvendum ut sequitur. Nisi prius inspiciatur vir, nil definiatur. Si vir impotens omnino est, recurratur ad Supremam Sedem. Si vero mulier, si infirmitas sit incurabilis ut usque adhuc patuit, et adhibitis remediis, quae ad mortem potius quam ad sanitatem perducunt et non fuerit hac infirmitate oppressa mulier post nuptias, adeant sponsi et recurrant ad Apostolicam Sedem pro dispensatione ; si vero fuit consequens standum. Relate ad primam quaestionem, relate scilicet ad extorsionen! consensus propter timorem reverentialem matrimonium validum fuisse affirmo.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Eques Stanislaus et Evelina matrimoniale vinculum, quod die 22 Iunii 1882, ille in aetate annorum 22, haec 18 constituti, contraxerunt, dissolvere cupientes, contendunt *a)* Evelinam metu reverentiali a matre fuisse ad matrimonium adductam, *b)* matrimonium opere incompletum mansisse.

Sed incassum laborant. Etenim, quod attinet ad primum, metus incussio est quid facti ; et proin per facta, prout scitissimum est, probetur oportet. Iam vero ne unum quidem factum prostat in actis, quod metum gravem, seu *reverentialem* necessariis -praeditum conditionibus, intercessisse demonstret.

Quinimo parochus, qui Stanislaum et Evelinam iugavit, parochiali inseruit codici : « *Testor insuper praedictos mutuo cum amore et perfecta libertate matrimonium contraxisse et celebrasse* ».

Quo vero ad matrimonii assertam inconsummationem, satis superque est advertere in probatis non viri impotentiam esse nec mulieris. Et quod magis est, ex tot medicis, qui Evelinae corpus perlustrarunt, nemo, nec ipse peritus Ioannes Pamlikoff, cuius testimonium Evelina exhibet ultima hora, physicam Evelinae virginitatem exploratam habet.

Quibus animadversis, proposita fuerunt dirimenda

Dubia

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu.* Et quatenus negative :

II. *An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato, et non consummato.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 21 Augusti 1897, censuit respondere :

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Ex deductis non constare de non consummatione matrimonii.*

BONONIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 8 Maii 1897.

Sess. 24, cap. 5 De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Maria Christina puella 20 annorum, servata Tridentina forma, *die 26 Aprilis an. 1880* in Ecclesia Cathedrali Foroliviensi matrimonio iuncta est Francisco 24 annos nato.

Infelicissimae praesertim pro Christina illico nuptiae evaserunt, namque maritus impotentia coeundi laborasse videtur, qua de causa ipse in toto cohabitationis tempore, numquam, uti modo asseritur, officia coniugis adimplere valuit, etsi nihil intentatum reliquerit ad viripotentiam acquirendam.

Quamvis ex huiusmodi miserrimo statu mulier mala uteretur valetudine, ac plurium consilio exhortaretur ad petendam sui matrimonii dissolutionem, tandem recedere a talami communione, annuente viro, contenta fuit. Ast progressu temporis cum nulla amplius Christinae efiulgeret spes circa mariti potentiam ad actum coniugalem, et ceteroquin , ut ista refert, ex parte parentum et viri familiarium ipsi aerumnae atque molestiae augerentur, deliberavit tandem solutionem coniugii petere.

Itaque sub initio *Septembris anni 1895,* derelicto Francisco, Forum Livii petiit, apud matrem se recipiens; atque eodem mense Summo Pontifici direxit preces, ut suum matrimonium, ob viri impotentiam numquam consummatum, benigne dispensaret.

Emus Bononiensis Archiep., cui a S. Congr. preces remissae fuere, per Iudicem delegatum ad iuris tramites conficere curavit processum ac Romam acta transmittens haec S. C. C. significanda esse duxit:

« . . . . Pro veritate testari gestio tum Actricem, tum Franciscum religione, pietate ac honestate vitae esse omni-

mode commendandus, et Testes omnes qui examinati fuerunt, nemine excepto, tum pro eorum qualitatibus personalibus, tum pro bona fama, qua gaudent apud omnes, plenam mereri fidem, et medicos qui uti testes in causa comparuerunt inter praestantiores pro eorum scientia in hac civitate haberi ». Et inferius ait: ...... Cum pro meo iudicio, nullum supersit dubium circa inconsummationem huius matrimonii, et iudicem impossibile esse ut animi istorum coniugum, eorumque parentum reconcilientur, liceat mihi preces meas adiicere illis, quas alias SSmo exhibuit et in praesens per me renovat Actrix, nempe quod si hoc matrimonium solvi haud queat titulo absolutae impotentiae viri, consulendum sit SSmo pro dispensatione titulo matrimonii rati et non consummati, et dum in spem adducor quod hoc obtineri possit, partes mei officii esse censeo certiorem etiam reddere istam S. Congregationem, nullam admirationem esse ad venturam, si hoc dissolvatur matrimonium cum permultis perspectae sint et habitualis debilitas, et recens infirmitas eiusdem Francisci ».

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Advocatus loquens de non consummatione, antea contendit hanc probare ex iurata oratricis assertione. Ipsa enim Iudici respondet: pro certo teneo matrimonium meum cum Francisco nullimode consummatum fuisse. Idque firmavit sub iuramenti fide, tribuens causam Francisci ineptitudini. Talis autem oratricis affirmatio, iuxta advocatum eo magis est attendenda, quod nec vir eidem contradicere audeat, quamvis aegre admodum ferat causam ab uxore promotam. Instanter enim percontatus a Iudice, an suum cum Christina matrimonium fuerit consummatum, se continuo hac responsione munivit: nempe fecisse conatus omnes, sed affirmare per certas probationes non posse utrum consummatum reapse fuerit. Ast huiusmodi ignorantia consummationis proprii matrimonii in Francisco est aperta inconsummationis confessio.

Quanti vero, prosequitur, ex Canonum doctrina, ac S. C. C. praxi habenda sit iurata mulieris fides, nemo est qui ignoret, maxime si, prout in casu, agatur de muliere eximia honestate ac pietate praestante. Quod quidem testes septimae manus omni exceptione maiores, ab eadem producti, omnes con testan tur, ac insimul unanimi voto declarant, non solum se habere moralem persuasionem, ipsam confessam esse veritatem ; sed etiam tempore non suspecto se didicisse matrimonium non fuisse consummatum.

In casu vero nullam affirmât orator adesse necessitatem ad testes appellandi, cum irrefragabile physicum argumentum virginitatis habeatur, ut videre est in depositione Antonii Capurri qui extraiudicialiter Christinam inspexerat. Huic consonat medicus Ioseph Ravaglia et Aloisius Rodolfi atque Fridericus Fabbri.

Has insuper medicorum depositiones adamussim confirmant periti, qui ex Tribunalis mandato et iuxta S. C. praescripta corporalem mulieris inspectionem peregerunt.

Obstetricum iudicium, observat patronus, a medico Caietano Modonesi, qui ex officio eas ante inspectionem instruxerat, confirmatur, tenens et ipse : quod Christina etiam nunc reperiatur in statu perfectae virginitatis.

Neque interest, quod peritus Raphael Montebugnoli a citato dissentiat, siquidem eius assertiones advocato attendibiles haud videntur. Affirmat in primis medicus Montebugnoli, se non posse iudicium in re tanti momenti emittere solae obstetricum relationi obnixum. At hoc est contra S. C. instructionem, qua de causa inutile putat orator eius peregrinam theoriam re feilere. Existimat insuper integritatem hymenis argumentum omnino tutum non praebere de inconsummatione matrimonii. At hoc pariter, urget procurator, directe est, nedum contra receptissimam insigniorum anathomiae et medicinae forensis auctorum doctrinam, sed etiam contra S. C. C. praxim, quae constanter in eo praecipue signo regulam normamque certam recognovit pro virginitate dignoscenda.

Asserit denique in casu ea signa vulgo *dentellature,,* in hymene reperta, esse posse etiam non congenita. At respondet advocatus huic hypotheticae assertioni obstare unanime testimonium trium obstetricum aliorumque medicorum, qui genitalia Ohristinae oculis conspexerunt, quique omnes signa in eius hymene reperta congenita esse iudicant, propriumque iudicium firmis rationibus convalidan!.

Verum dato etiam quod praedicta signa congenita non sint, certum tamen est, eadem maritali copulae minime tribuenda esse, sicuti obstetrices et periti uno ore testantur. Ceterum ipsa S. Congregatio non una vice controversias pro dispensatione resolvit, ubi laesiones et rimulae hymenis opponebantur. Sic in *Pragen.* Dispensationis matrimonii 29 Maii 1869; in *Ianuen.* Dispensationis matrimonii 9 Iunii et 22 Septembris 1886; et in *Meliten.* Dispensationis matrimonii 26 Septembris 1891.

Neque in casu iuxta patronum ad Pontificis animum movendum pro elargienda dispensatione deficiunt causae et quidem gravissimae. Nam inter causas dispensationis eminet impotentia viri, ut videre est apud Schmalzgrueber, *De divortiis n. 55;* et Cosci, *De sep. thor. lib. 1, cap. 16, n. 294.* Atqui in themate Francisci impotentia, inquit, evidentissime resultat. Franciscus enim frustra per quindecim annos matrimonium consummare expertus est; ac frustra etiam medicamenta ad suam curandam genitalium debilitatem adhibuit. Tempore non suspecto ipse in litteris ad uxorem eiusque matrem datis non obscure fatetur suam impotentiam; atque eum impotentem non tantum uxorem, sed omnes quoque testes septimae manus dicunt.

Hisce orator adiungit argumentum ex medicorum opinione desumptum. Medici enim Rodolfi, Roncati et Venturoli, quibus tum ante, tum post matrimonium recursum habuit Franciscus pro viripotentia obtinenda, unanimiter coram Iudice deposuerunt, ipsum physica impotentia indubitanter laborare. Nec alio modo testati sunt ceteri quinque medici a Curia Bononien. inter celebriores selecti, qui, prae-

via diligenti inspectione, unanimiter sub iuramento deposuerunt, Franciscum, saltem relativa, laborare impotentia.

Cui gravissimae dispensationis causae et aliae adiungi possunt, concludit patronus, uti animorum dissociatio, dempta omni reconciliationis spe : « Impossibile esse, testatur Emus Archiepiscopus Bononien., ut animi istorum coniugum, eorumque parentum reconcilientur ».

ANIMADVERSIONES DIPENSORIS S. VINCULI. EX alia parte vinculi defensor animadvertit in primis Franciscum et Christinam concordes affirmare per 15 annos matrimonii consummationi operam navasse, sed inter se discrepare quoad successum. Mulier enim asseverat modo absoluto matrimonium ob viri impotentiam numquam fuisse consummatum; vir autem, etsi non audeat inficiare uxoris affirmationem, tamen ad repetitas perstringentesque Iudicis instantias semper respondet, se nec asserere nec negare consummationem posse, existimat vero in seipso capacitatem ad actum coniugalem non deficere. Fatetur namque ad uxoris contactum membri erectionem expertum esse atque valuisse illud in eius pudenda introducere, an vero per hoc consummaverit matrimonium nescire.

Itaque actrix Christina cum contra se habeat etiam praesumptionem iuris et de iure apodicticis argumentis necesse est, iuxta defensorem, quod demonstret matrimonium non fuisse consummatum. At argumenta quae in medium adducit oratrix, impotentiam scilicet mariti et suam virginalem integritatem haud invincibilia videntur defensori.

Siquidem ex quinque salutaris artis peritis, qui de mandato Iudicis recognoverunt Francisci corpus, ne unus quidem certa impotentiae argumenta deprehendit.

Quoad vero physicam Christinae virginitatem, neque haec explorata compertaque omnino est, ait sacramenti assertor. Namque medicus Fabbri, qui actricis corpus exploraverat, dubius haesit ob laesionem parvam in hymene repertam.

Nec peritus Fabbri mentitur : nam unus ex peritis, qui Iudicis mandato iudicium ferre debebant super obstetricum

relationibus, ita de Christinae integritate corporali loquitur: obstetricum iudicium quoad Christinae virginitatem habere videtur valorem magnae probabilitatis, nullius tamen certitudinis.

Hisce delibatis, suppositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 8 Maii 1897 censuit respondere: *Affirmative.*

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

Episcopi statuum foederatorum Americae Septentrionalis concedere valent *Sanationum in radice* **in casu disparitatis cultus, excepto cultu iudaico.**

Beatissime Pater,

Ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus expono: Dionysius (non baptizatus) tribus annis elapsis matrimonium contraxit cum Maria Iosepha (catholica) coram magistratu civili. Pars acatholica omnino renuit consentire conditionibus ab Ecclesia requisitis in matrimoniis mixtis, praesertim relate ad baptisma et catholicam prolis educationem, quamvis uxori liberum sit facere quid vellet relate ad puellarum educationem. Huic conditioni ante matrimonium Maria Iosepha consensit. Nunc eam poenitet id fecisse; attamen quum vir sit bonus paterfamilias et optimus provisor pro prole, haud sperandum se virum derelicturam. Quare ad validandum matrimonium et prolem legitimandam et pro bono spirituali matris et filiorum rogo cum ***sanatione in radiée,*** dispensatio ***disparitatis cultus*** concedatur, quum vir renuat dare consensum, et mulier sciat suum matrimonium esse invalidum.

f GULIELMUS ENRICUS, ***Archiepiscopus Cineinnaten.***

RESPONSUM.

Feria VI, die *3* ***Iunii 1892.***

Sanctissimus D. N. Leo divina providentia PP. XIII in audientia r. p.d. Assessori S. O. impertita, attentis peculiaribus

circumstantiis in casu concurrentibus et indubiis resipiscentiae signis Oratricis catholicae, Mariae Iosephae, benigne remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae r. p. d. Ordinarii Cincinnatensis, ut, quatenus utraque pars in consensu de praesenti perseveret, sanare valeat in radice matrimonium initum ab ipsa catholica Maria Iosepha cum acatholico non-baptizato, dummodo Oratrix spondeat serio se curaturam totis viribus educationem totius prolis in religione catholica, et dummodo perseveret partium consensus. Ipse vero Ordinarius in hoc sibi commisso munere explendo declaret se agere nomine Sanctitatis Suae et tanquam ab Apostolica Sede specialiter delegatum. Serio moneat Oratricem de gravissimo patrato scelere; *salutares poenitentias ei imponat,* a censuris absolvat simulque declaret ob praesentem dispensationis gratiam a se acceptatam matrimonium heri validum, legitimum et indissolubile iure divino, et prolem susceptam et suscipiendam legitimam habendam esse. Oratrici etiam gravissime imponat ac declaret obligationem, qua semper tenetur curandi pro viribus conversionem viri ad catholicam fidem et prolis utriusque sexus tam natae quam nasciturae in catholica religione educationem. — Cum autem de matrimonii validitate in foro externo constare debeat, idem Ordinarius nomen cum consueta personali indicatione tam mulieris quam viri in Regestis describi iubeat, simulque autographum documentum praesentis concessionis, communicationis, acceptationis, absolutionis et declarationum Oratricis ut supra facturam, servetur in Curia Cincinnatensi, et exemplar authenticum eidem Oratrici sedulo custodiendum tradatur. Contrariis non obstantibus.

I. CAN. MANCINI S. *R. et U. I Not.*

Romae, 20 Iunii 1892,

Illustrissime ae Reverendissime Domine,

Amplitudo Tua Uteris datis die 24 superioris mensis aprilis sanationem in radice expetebat matrimonii contracti a Maria Iosepha catholica cum Petro Dionysionon baptizato, necnon matrimonii contracti a Maria N. cum quodam Henrico M. pariter non baptizato. Rescriptum S. Officii quoad sanationem matrimonii Mariae Iosephae iam paucos ante dies ad te misi, nunc vero heic adnexum mitto rescriptum eiusdem Supremi Tribunalis circa sanationem alterius matrimonii supra memorati. Tibi autem ex parte eiusdem S. Officii summopere commendandum habeo ut velis omni sollicitudine adniti quo proles in catholica religione educetur. Iisdem vero uteris Amplitudo Tua duo proponebat dubia: primum erat utrum recta fuerit dispensatio a te aliquando concessa cum *sanatione in radiée* circa matrimonia nulla ex impedimento *disparitatis cultus* cum pars non bapti-

zata reniieret satisfacere conditionibus de educatione prolis etc., dum pars catholica promitteret se, in quantum fieri posset, curaturam ut filii Aliaeque baptizarentur et in religione catholica educarentur.

Alterum dubium erat num non obstante speciali clausula de iudaeis in facultatibus quas habes, recte dispensaveris nonnunquam cum mulieribus catholicis ut inire possent matrimonium cum iudaeis, qui cupientes huiusmodi nuptias contrahere in scriptis Iudaismo renuntiaverint.

Haec dubia delata pariter fuerunt solvenda ad Supremum Tribunal Sancti Officii, et illi Emi Patres Inquisitores Generales in Congregatione feriae V, loco IV, die 2 vertentis mensis iunii, sequentes dederunt resolutiones a Summo Pontifice adprobatas :

Ad I. *Quatenus urgeret necessitas, consensus perseverarci, et impositum fuerit matri onus baptismi et educationis prolis totis viribus curandae, potuisse uti facultatibus.*

Ad II. Quod ad praeteritum, *supplicandum Sanctissimo pro sanatione in radice,* quatenus opus sit (quibus precibus Summus Pontifex annuit). Quod ad futurum, recurrat (Ordinarius) in singulis casibus, expositis omnibus circumstantiis.

Haec tibi erant per me significanda: interim omnia fausta felicia Tibi a Domino precor.

Amplitudinis Tuae

Addictissimus Servus,

M. CARD. LEDOCHOWSKI, PRAEF.

IGNATIUS *Archiep.* TAMIATHEN. *Secret.*

Domino Gulielmo Eider, Archiepiscopo Cincinnatensi.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Quoad Libros ab Ordinariis locorum prohibitos.

Feria VI die 6 Decembris i895.

Proposito dubio : utrum qui habent generalem facultatem legendi libros in Indice librorum prohibitorum contentos, legere licite possint etiam libros ab Ordinario proscriptos, sine speciali eiusdem Ordinarii licentia ? Emi Patres responderi mandarunt : *Negative.*

ac nonnisi Episcopis in casu magnae necessitatis eam concedere fas erat, ut scribit S. Alphonsus lib. VII, n. 299. « Tantum « in casu *magnae necessitatis*.... posse eam concedere etiam « Episcopum ». Hoc autem potius concedebant ex iuris interpretatione et ex conscientiae dictamine, quam legis alicuius ecclesiasticae sanctione

Leo igitur XIII aliquantulum benigniorem erga Episcopos, aliosque potestatem quasi episcopalem habentes sese praebuit, dum eis ex praescripto iuris facultatem tribuit eiusmodi licentias concedendi, quamvis in casibus tantum urgentibus, qui in subiecta materia casibus *magnae necessitatis* aequipollent.

Accedit, quod Cardinales, Episcopi, aliique Praelati libros proscriptos legere non poterant, nisi opportunis facultatibus sese communiverint, ut patet tum ex cit. Urbani VIII Constitutione, tum aliis quae possent afferri.

Qua de causa S. Ligorius proposita sibi quaestione: «An « ipsi Episcopi possint legere libros prohibitos? »

Respondet: «Videbatur affirmandum: omnes enim Epi« scopi, ubi formale tribunal S. Officii non adest, sunt Inquisi« tores nati, qui valent via ordinaria procedere contra delin« quentes in materia fidei. Sed omnino negandum cum Sylvio, « Barbosa, Bonacina.... ex Bullis Iulii III *Cum meditatio,* Pauli IV *« Quia in futurum,* Pii IV *Cum pro munere,* relatis ab aucto« ribus praefatis; in quibus tam Episcopis, quam Inquisitoribus « interdicitur librorum vetitorum lectio, *praeterquam* (excipitur) *« Senioribus et Commissariis* haereticae pravitatis. Intelliguntur « to *Commissariis* illi tantum Inquisitores, quibus commissa « est aliqua particularis causa, quique legere possunt tantum « libros illam materiam concernentes, et tantum pro tempore « quo commissio viget. *loc. cit.* ».

Si autem Episcopi aliique iurisditione quasi episcopali pollentes libros proscriptos legere non poterant nec possunt, evidens est nec illos legendi aliis dare posse facultatem.

Ne tamen error subrepat, inquirendum est quinam sint qui iurisdictione quasi episcopali polleant.

Animadvertendum ergo est, *iurisdictionem quasi episcopalem* non esse confundendam cum *ordinaria;* haec enim ad plures extenditur quam illa; plurimi enim sunt qui iurisdictione ordinaria gaudent, ex. gr. Parochi, Rectores locales Conventuum etc. quin tamen polleant iurisdictione quasi episcopali.

Porro Legislator minime hac in paragrapho loquitur de iurisdictione ordinaria, sed de iurisdictione quasi episcopali; ad hanc •igitur limitanda lex est.

Itaque hac quasi episcopali iurisdictione gaudent qui, exceptis iis quae ad ordinem pertinent episcopalem, reliqua quae iurisdictionis sunt, veluti suo iure exercent, quibusdam exclusis.

Hi vero praelati sunt Abbates territorium separatum unius vel plurium oppidorum habentes, et ab Episcopi iurisdictione plane independentes; ut sunt ex. gr. Abbates Montis Cassini, S. Pauli de Urbe, aliique.

Sunt etiam Abbates illi sive saeculares sive regulares Romano Pontifici immediate subiecti, qui in Clerum seu regularem seu saecularem eam exercent auctoritatem, quam a Regulis et Constitutionibus Ordinis, aut apostolicis privilegiis consecuti sunt.

Sunt quoque illi qui dicuntur *in Dioecesi,* quatenus potestatem exercent in Clerum et populum certi loci, qui in Dioecesi alterius Episcopi continetur, propterea territorium ab ea separatum non habent eorumque iurisdictio potius personalis est quam localis.

Sunt Superiores generales Regularium; quibus accensentur etiam provinciales.

Vicarii Capitulares, Sede episcopali vacante, cum per mortem Episcopi huius iurisdictio ad Capitulum de volvatur; qui tamen eam exercet Vicario capitulari mediante.

Demum Vicarius generalis, non qua praelatus est, sed qua unum tribunal cum Episcopo constituit et eamdem cum illo iurisdictionem exercet.

Attamen Superiores regulares sive generales sint, sive provinciales, Abbates qui tantum in monachos, aut Clerum saecularem, non autem in populum, potestatem habent, ex praesentis paragraphi concessione excludendi sunt.

Etenim Legislator inferius ita se exprimit: « Quod si iidem « (id est Episcopi aliique Praelati iurisdictione quasi episcopali « pollentes) generalem a Sede Apostolica impetraverint facul- « tatem ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique li- « centiam impertiri valeant etc. ».

Hi ergo Praelati iurisdictione quasi episcopali pollentes, de quibus Legislator loquitur, sunt illi, qui possunt, ob obtentas a S. Sede Apostolica facultates, *fidelibus* concedere licentiam le-

gendi retinendique libros prohibitos. Sed *fidelium* nomine non veniunt neque Religiosi Ordinum regularium, neque ecclesiastici Cleri saecularis, sed homines saeculares et in statu laicali degentes, qui non subsunt Superioribus generalibus aut provincialibus Regularium, aut aliis Abbatibus, dummodo iurisdictionem in territorium aliquod non exerceant; eos igitur Leo XIII sub praesenti paragrapho non comprehendit, ideoque collata hac facultate uti non possunt.

Legislator, scilicet, iurisdictionem quasi episcopalem stricto sumit sensu; ideoque ad illos praelatos non est extendenda qui in christianam plebem nullam habent iurisdictionem. Qua de causa Superiores generales Regularium, aliique nullam in christianam plebem iurisdictionem exercentes, opportunas facultates a S. Sede Apostolica impetrare compelluntur, si suis subditis alicuius libri proscripti licentiam concedere desiderant.

Libri singulares iidem sunt ac libri determinati; *hi, vel illi;* ex.gr. Gioberti - *R Gesuita moderno;* Bovio Giovanni, *S. Paolo;* Mantegazza Paolo, *Epicuro.* Renan. *Vie de Jésus.*

Casus autem *urgentes* illi sunt, quibus pressi Christi fideles non possunt aliquid agere vel consequi, nisi librum illum prohibitum legant. Ex. gr. si aliquis iuvenis non posset examen proxime subeundum parare, nisi legat librum auctoremque proscriptum : vel nisi aliquis refutare perniciosum errorem possit, in incontinenti refutandum, nisi legat opus illud ab Ecclesia reprobatum; et alia huiusmodi.

Qua de causa si tempus necessarium suppetat petendae a Sede Apostolica licentiae, Episcopi aliique praelati petitas facultates concedere nequeunt; deesset enim ratio *casus urgentis.*

Haud raro tamen contingit, quia et necessarium est, ut Episcopi in dissitis praesertim regionibus commorantes, a Sede Apostolica generalem facultatem obtineant, ut fidelibus suae curae commissis libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant. Hi tamen duplici conditione ligantur; ut scilicet facultatem *cum delectu, et ob iustam et rationabilem causam* concedant.

Quid vero dictio *cum delectu* in nostra Constitutione significet, explicatione indiget.

Illa itaque dictio, sicut integra fere paragraphus, desumpta est ex Instructione Clementis VIII, *De prohibitione librorum,* % 2. « Qui quidem (Episcopi et Magister S. Palatii Apostolici)

« gratis eam (licentiam legendi et retinendi libros, quos Regulae « Tridentinae permitti posse statuebant) et scripto manu sua « subsignato tribuent, de triennio in triennium renovandam ; ea « in primis adhibita consideratione, ut nonnisi viris dignis, ac « pietate et doctrina conspicuis, *eum delectu,* eiusmodi licentiam « largiantur; iis autem in primis, quorum studia utilitati publi- « eae et sanctae catholicae Ecclesiae usui esse compertum ha- « buerint ».

Lectione autem Clementini paragraphi patere videtur, dictionem *eum delectu* ad unos libros, non ad personas esse referendam; etenim cum lectio librorum concedenda referretur ad aliquot ex iis libris proscriptis, quos Regulae Tridentinae permittebant *(si qui erunt qui librum unum aut plures ex prohibitis qui ad praescriptum Regularum permitti possunt),* utique Episcopis et Magistro S. P. Apostolici investigandum et decernendum erat quinam hi libri essent, ut illorum tantum et non aliorum lectionem concédèrent. De cetero dictionem eiusmodi ad personas non esse referendam ex eo constat, quod hae apprime determinatae habeantur, *et veluti detectae,* in iis dotibus atque qualitatibus, quibus instructae esse debebant, ut illos legendi libros licentiam consequi possent.

Leo XIII autem, cum benigniorem se circa librorum prohibitorum lectionem exhibere vellet, non tam libros, quam personas designasse dictione *cum delectu* videtur. Hoc autem demonstratur ex novis facultatibus Episcopis concedendis a S. Indicis Congregatione post Constitutionem *Officiorum ac munerum* confectis: etenim dum in ea libri nonnulli tantummodo' ratione materiae excipiuntur, plane designantur personae quibus licentia concedenda ab Episcopis est, scilicet: *Quamobrem concedere possis viris dumtaxat probis eruditisque licentiam legendi retinendique libros a Sede Apostolica prohibitos quoscumque (et ephemerides), iis exceptis, qui haeresim vel schisma propugnant, aut ipsa religionis fundamenta evertunt, quorum lectionem iis tantum permittere valeas, quos doctrina, pietate, fideique zelo praestantiores esse perspectum habeas; librorum vero de obseoenis ex professo tractantium lectionem nemini permittas.*

Qua de causa dictio *cum delectu* magis personas quam libros complectitur; si enim libros complecteretur eodem sensu quo complectitur in Instructione Clementis VIII, aut etiam alia

aliqua mitiori significatione, non possent Episcopi fidelibus concedere generalem facultatem libros quoscumque prohibitos legendi, sed possent tantummodo licentiam concedere aliquot libros et opera determinata legendi, plura vel pauca ad concedentis arbitrium.

Neque contra expositionem nostram urgenda est exceptio librorum de obscoenis ex professo tractantibus, quibus etiam pii homines et docti prohibentur; etenim haec exceptio non constituit sensum dictionis *cum delectu,* quae indicat libros determinatos et determinata opera, atque concessionem generalem libros quoscumque prohibitos legendi penitus excludit; quae tamen in allegata S. C. Indicis licentia tribuitur.

Accedit, quod si in secunda parte paragraphi dictio *cum delectu* libros significaret, Episcopis tribueretur eadem, plus minus, facultas quae in superiori parte tribuitur; facultas scilicet concedendi licentiam fidelibus *pro singularibus libris ;* quod contextui et verbis repugnat.

Ut lectores intelligunt, in prima paragraphi parte Episcopi ordinaria facultate utuntur, cum a iure eis concessum sit *pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus* licentiam concedere; perspectis igitur libris petitis, et casuum urgentia, hanc facultatem semper concedere possunt, atque etiam aliis delegare, in iis autem quae statuuntur in secunda parte paragraphi utuntur potestate delegata; ideoque ea uti debent ad arbitrium concedentis, tum quantum ad substantiam, tum quantum ad durationem conditionesque appositas per S. Indicis Congregationem.

Ex quo sequitur, non debere, nec posse Episcopos aliosque praelatos iurisdictione quasi episcopali pollentes, qui a Sede Apostolica impetrarunt facultatem ut fidelibus libros quoscumque proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam quibuscumque, nullo facto discrimine, concedere; sed inter eos secernere primum debere viros *probos et eruditos,* quibus quoslibet libros proscriptos legendi licentiam concedant, *iis exceptis, qui haeresim vel schisma propugnant, aut ipsa religionis fundamenta evertunt;* hos vero libros illis tantum concedere posse, *qui doctrina, pietate, fideique zelo praestantiores esse perspectum* habeant; exceptis semper libris de obscoenis ex professo tractantibus. Atque sedulo advertant, eiusmodi selectionem, quantum ad essentiam attinet, non remitti

ipsorum arbitrio, sed constituere legem et conditionem pro concedenda facultate: *certis tamen servatis legibus ac conditionibus* ~

Neque in verbo *fidelibus* praesentis paragraphi Episcopi fiduciam collocent, quod cum generale sit, nulla conditione limitatur; animadvertere enim primum debent, in subiecta materia fidelium nomine non quidem omnes, sed illos esse tantum intelligendos, qui obtinendae et in usum deducendae licentiae sunt capaces; deinde vero per hanc paragraphi partem secundam, nullam eis facultatem concedi, sed tantummodo moneri ut a S. Sede Apostolica opportunam facultatem postulent, qua fidelibus sibi concreditis praedictam licentiam concedere valeant; quinam autem hi sint fideles, non ab Episcopis, sed a S. Sede Apostolica decernitur; atque idcirco illius vocabuli extensio tanta est, quanta in facultatibus concessis asseritur.

Loquimur autem de facultatibus novissimis iam typis impressis, et fortasse plurimis Episcopis iam concessis. Non enim inficiamur, Romanum Pontificem amplissimas concedere posse facultates, quae tot fideles complectantur, quot sunt utendae illius capaces.

In praxi tamen: *In praesenti paragrapho tantum extenditur vocabulum fidelium, quantum extenditur in facultatibus,, quae ab Apostolica Sede conceduntur.*

Scrupulis tamen angi non debent Episcopi in qualitatibus licentiam eiusmodi postulantium discernendis, neque eis agendum in pondere et mensura. Satis enim erit si viros eiusmodi eruditos et probos, aut doctrina, pietate fideique zelo praestantiores, vel per semetipsos, vel ex eorum operibus publicatis, vel etiam fide dignorum relatione testimonioque cognoscant. Attamen quomodocumque dotes a Legislatore requisitas perspectas habere debent.

Nedum tamen *eum deleetu,* sed etiam *ex iusta et rationabili eausa* esiusmodi facultates concedere debent Episcopi : ita ut doctrina, pietas, fideique zelus licentiam postulantium posthabendae sint, nisi cum iusta et rationabili causa coniungantur. Causae autem ex ipsis dotibus per S. C. Indicis in qui illis licentiam petunt requisitis erui possunt.

Pietas et probitas, ut patet, numquam a reliquis dotibus separatae esse debent.

Eruditi autem illi censentur, qui plurimarum rerum cognitione nitent, non accurato studio, aut profonda investigatione

parta, sed auditu aut simplici lectione; causa hinc iusta et rationabilis obtinendae licentiae pro his esse poterit cura atque solertia augendarum cognitionum, sive in propriam, sive in aliorum utilitatem; idque praesertim si eruditi huiusmodi sint directores, aut scriptores praecipui ephemeridum atque diariorum catholicorum, in quibus eruditio non modicam partem obtinet; aut sint professores humaniorum literarum, etc.; his autem pro iusta et rationabili causa subest etiam necessitas praelectionum parandarum, quae aliquando sine lectione librorum prohibitorum non ea amplitudine, rerumque delectu parari possunt ut ab auditoribus desideratur. His sed vero prudentissime Legislator facultatem denegat legendi libros, qui haeresim aut schisma propugnant, aut ipsa religionis fundamenta evertunt; etenim qui una eruditione praestant, solida plerumque et profunda rerum cognitione destituuntur: natant quodammodo in aquarum superficie, quin profundos gurgites tentare valeant.

Doctrina vero praestant, ut plurimum, variarum scientiarum publici professores, aliique earum cultores eximii. Pietate autem fideique zelo, atque doctrina excedunt Episcopi, plurimi Ecclesiae praelati, virique ecclesiastici tam saeculares quam regulares non pauci, insignes verbi divini praedicatores, Academiarum variarum Socii et Scriptores periodicorum illorum qui sibi praestituere finem polémicas contra errores invalescentes instituendi, et pro veritate contra incrédulos impiosque decertandi; atque etiam alii. Hinc causam iustam et rationabilem pro licentia concedenda ex eorum officio, professione et occupationibus mutuabuntur Episcopi.

His vero una fit reservatio librorum de obscoenis ex professo tractantium, qui nullam umquam utilitatem, sed plurimam maiorum congeriem incredibilemque animarum ruinam semper intulerunt, non aliorum qui haeresim aut schisma propugnant, aut ipsa religionis fundamenta evertunt: quia cum in fidei dogmatibus sint apprime versati, et Ecclesiae auctoritati atque sententiae firmiter adhaereant, nullum subire supponuntur animae periculum.

Quid autem si Episcopi temere, et sine iusta et rationabili causa, petitam licentiam concedant? valida ne censenda est? poenas incurrunt aliquas?

Relate ad poenas, nulla profecto obstringuntur, cum nulla

in trasgressores huiusmodi statuta fuerit; attamen nescimus quomodo gravi peccato excusari possint, cum legem in re gravi, et plurimorum maiorum parente transgrediantur.

Licentia tamen concessa invalida est existimanda; cum enim Episcopi in huiusmodi facultatibus concedendis non ordinaria, sed delegata utantur potestate, eis transgredí non licet conditiones ab delegante pro eiusmodi facultate concedenda praescriptas, praesertim si conditiones modo absoluto et imperativo, ut in casu, praescriptae fuerint. Tantum enim delegata potestas extenditur, quantum delegantis voluntas; cum ergo constet, deleganti voluntatem illam esse, ut delegatus *cum deleetu* tantum, *et ex iusta et rationabili causa* concedat facultates libros prohibitos legendi, manifestum est delegati potestatem his arctari limitibus, cum ultra illos non extendatur voluntas delegantis.

64. Duplicem sanctionem paragrahus 26 continet: l.ne qui facultatem apostolicam legendi et retinendi libros prohibitos consecuti sunt, idcirco putent se legere et retinere posse libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas. Alia est, qua iidem gravi praecepto obstringuntur libros vetitos ita custodire ut ad aliorum manus non perveniant; ne scilicet, aliis eos vendant, commodent, ad legendum porrigant. Utraque sed vero lex antiquo vel iure vel consuetudine praescripta reperiebatur.

Etenim quantum ad prohibitionem legendi retinendique libros ab Episcopis proscriptos, huiuscemodi decretum a S. Congregatione Indicis promulgatum fuerat:

« Feria VI, Die 6 Decembris 1895.

« Proposito dubio : utrum qui habent generalem facultatem « legendi libros in indice librorum prohibitorum contentos, legere licite possint etiam libros ab Ordinario proscriptos, sine « speciali eiusdem Ordinarii licentia ?

« Eminentissimi Patres responderi mandarunt: *Negative* ».

Id vero plane rationi conforme erat atque regulis iuris; etenim nunquam per facultatem generalem intelligitur Legislator legi particularis loci derogare, nisi expressam de ea mentionem iniiciat; quod plurimis quidem demonstratur, sed etiam quia quaslibet particularium locorum leges, statuta, consuetudines Princeps ignorare supponitur.

Qui itaque facultatem legendi desiderant etiam libros quoslibet et ephemerides ab Episcopis proscriptos, aut ab his facultates opportunas petant, cum ipsi sint qui Dioecesanis libros a se prohibitos legendi licentiam concedant; illi enim possunt legem relaxare qui condiderunt; aut sin minus in supplici libello ad Sedem Apostolicam exhibendo id exprimant oportet; nullimode tamen gratiam se consecutus arbitrentur, nisi in Apostolico Indulto *expressa facto, fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos.*

Advertendum tamen est,' iis quibus concessa fuit facultas libros prohibitos legendi, concessa censetur etiam licentia legendi proscriptas ephemerides; non tamen viceversa, cum in libros proscriptos durius Legislatores agere soliti sint, quia maioris sunt auctoritatis, ad fidem moresque depravandos aptiores, et diutius manent. E contra non omnes emunt ephemerides perniciosas articulos legendi, multo minus meditandi, sed notitias politicas cognoscendi causa : neque illas emunt ut conservent, sed maior lectorum pars post lectionem, ad viliores usus adhibent; catholici autem dum haereticos articulos legunt, ira excandescunt, et auctores contemnunt; plurimi notitiarum lectione contenti, nihil aliud legunt. Cum porro non quivis numerus haeresim contineat, vel articulos completos, hinc cum numeri aliqui fere semper pereant, post lectionem reliqui redduntur inutiles. Qui vero emunt et legunt libros manifestorum haereticorum, eos malo animo emunt leguntque. Et quoniam obolo non emerunt, post lectionem non proiiciunt, sed custodiunt et servant.

Praeceptum de libris prohibitis ita custodiendis ut ad aliorum manus non pervenirent continebatur in ipsa librorum prohibitione; cum enim prohibitio complecteretur et complectatur interdictum legendi et retinendi libros noxios, hoc ipso complectebatur prohibitionem eos aliis tradendi ut legerentur; sin minus prohibitio inutilis plane et ridicula fuisset, et fere nesciretur quanam fuisset de causa lata.

Attamen quod implicite in prohibtione continebatur, expresse in licentiis concessis S. Indicis Congregatio monebat his verbis: *sub custodia tamen ne ad aliorum manus perveniant.* Utramque porro sanctionem Legislator noster sartam tectamque in novo iure conservava.

Qua de causa qui publicarum bibliothecarum custodes po-

siti sunt, sedulo invigilent, ne libri prohibiti in manus eorum veniant, qui legitima facultate illos legendi destituuntur. Oporteret illos separato in cubiculo custodire, cuius nemini pateat accessus, atque illis tantummodo tradere, qui aut legitimam facultatem exhibent, aut illam esse consecutus certo custodes et Bibliothecam sciant; aliis minime, ne gravi peccato et plurimorum maiorum congerie rei fiant. Qui vero in sua particulari bibliotheca libros prohibitos retinent, ne illos alicui commodent qui munitus legitima facultate non fuerit, neve visitantibus similibus illos legere permittat.

65. Sacra Indicis Congregatio solita est accurato primum examini, deinde proscriptioni illos subdere libros qui ad eam denunciantur, atque in denunciatione causae et motiva exponuntur, ob quae condemnationem mereantur. Non enim per seipsam in cognitionem devenire potest omnium noxiae lectionis librorum, qui in universo publicantur orbe. Porro idipsum Episcopis contingere solet; non omnes perniciosos libros immediate cognoscere possunt; opportunis ergo denuntiationibus Christifideles efficere debent, ut eorum notitia et pravitas ad iudicium episcopale deferatur. Denunciatio igitur necessaria est, ne libri noxii impune cum incredibili animarum ruina circumferantur.

Omnium porro Christifidelium est pravos libros denunciare sive Episcopis, sive Apostolicae Sedi, quo nomine intelliguntur Congregationes etiam Supremae Inquisitionis, Indicis, et S. Congregationis de Propaganda Fide pro regionibus ei subiectis. Cum singuli mala coercere iuxta proprias vires facultatesque teneantur, idcirco legislator a denunciatione neminem excipit (1);

(i) Felix Grimaldi in libro *Les Congrégations Romaines* **pag. 267 scripsit : « L' Index est un tribunal ; et en vertu de ce mode d'être, pour qu'il s'occupe d'une « publication quelconque, il faut et il suffit que cette publication lui soit déférée « par une personne ayant Jurisdiction dans l'Eglise. Cette personne fait l'office de « ministère public. Si un simple Prêtre ou même un laïque voulait dénoncer un « ouvrage, il est assez probable que l'Index ne s'en occuperait pas ». Haec minime vera sunt. Etenim apud S. I. Congregationem a quibuscumque, et quidem utriusque sexus hominibus, denunciationes acceptantur; unum exigitur, ut denunciator causas exponat ob quas librum proscriptione dignum iudicat, et errores indicet, quibus sit liber aspersus. Librum deinde cum animadversionibus a denunciatore paratis Rñius Congregationis Secretarius ad unum vel plures consultores mittit, qui in ea scientia sint versati de qua liber agit. Hi autem rem suam agunt ad tramites Constitutionis** *Sollicita et provida* **a Benedicto XIV lata, quae ut antea ita, et nunc est Codex practicus**

gradus tamen quosdam exprimit circa personas, quae Huiusmodi denunciationes agere debent.

Atque inter vulgares catholicos illos recenset qui doctrina praevalent; cum enim hi scientiis studiisque delectentur, et libros nocturna versent manu atque diurna, facilius in pravorum librorum cognitionem deveniunt, atque cum doctrina sint exculti, tutius possunt errores detegere, et exponere.

Praecipuam tamen denunciandi obligationem Legislator pertinere decernit ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, Locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum catholicarum, doctrinae laude florentium. Rectores scilicet omnium universitatum catholicarum in quibus variae scientiae accurate traduntur; etenim adiunctum illud *doctrinae laude florentium* non infert exceptionem, ita ut indicet esse Universitates aliquas catholicas quae doctrinae laude non floreant, quarum idcirco Rectores non teneantur pravos libros denunciare, sed est *explicatio um,* indigitans scilicet universitates quaslibet doctrinae laude florere, ut de cetero exploratum est.

Id vero nedum ex ipsa re intelligimus, et ex eo quod sin minus indigitandae fuissent hae Universitates doctrinae laude non florentes, ut illarum Rectores scirent se sub lege non comprehendi, sed etiam ex antiquo iure, ex quo adiunctum illud desumptum est. Etenim in Instructione quae praemissa legitur Indici librorum prohibitorum, *De prohibitione Librorum* § III. scriptum reperimus: «Illud etiam catholicae fidei conservandae « necessitas extra Italiam, maxime cum ab Episcopis, et Inqui- « sitoribus, tum a publicis Universitatibus *omni doctrinae laude « florentibus* postulat, ut eorum librorum indicem confici et pu- « blicari curent » etc. ; quo loco verbao *mni doctrinae laude florentibus* sunt maxime explicativa, et nullam exceptionem instituendam indicant: a pari igitur idipsum in novo iure tenendum est.

S. Congregationis Indicis. Omnino insuper veritate abhorret, denunciatorem agere partes publici Ministerii. Denuntiatio enim, ei motiva proscriptionis in ea inducta, omnino posthabentur, si Consultores ad librum examinandum deputati, ea iusta non iudicaverint; Vota autem ab his confecta subiiciuntur iudicio totius Congregationis, quae aliquando illa approbat, aliquando reprobat iuxta perspectam veritatem obiectivam. Denunciato!- hinc spectari potest ut ille qui prima indicia praebet errorum in libro contentorum; de cetero neque Congregationibus, aut Sessionibus interest, neque ulterius interrogalur, neque de iis quae in opus denuntiatum decernuntur aliquid novit.

Sed praeter Rectores Universitatum catholicarum speciali titulo ad denunciandos pravos libros tenentur Nuntii, Delegati Apostolici, Locorum Ordinarii.

Nuneii porro sunt Legati missi non Cardinales, qui a Romano Pontifice mittuntur ad unam vel plures provincias, ut ibi munus legationis obeant. Eorum est supremam quoad spiritualia atque ecclesiastica negotia inspectionem habere, principes et populos in Fide catholica et debita Sanctae Sedi Apostolicae obedientia et reverentia conservare, Constitutiones Pontificias in usum deducere, ad Romanum Pontificem notitias deferre de iis quae vel promovere vel detrimentum inferre religioni et Ecclesiae catholicae videntur, circa vitiorum correctionem, disciplinam ecclesiasticam stabiliendam, statuta condere etc. Nuntiis autem accensendi sunt etiam *Internuntii.*

Delegati Apostolici dicuntur qui per modum specialis commissionis destinantur a Romano Pontifice vel ad universalitatem causarum, vel ad speciales causas; idcirco non agunt auctoritate ordinaria.

Ordinarii locorum autem sunt Episcopi, aliique praelati iurisdictionem quasi Episcopalem in territorium separatum, vel in subditos laicos habentes; qua de causa hac in paragrapho comprehendi nequeunt Superiores Ordinum regularium, cum hi uti locorum Ordinarii nec existimentur, nec sint sed veniant tantummodo sub nomine Praelatorum Ecclesiae.

Nuntiis itaque, Delegatis Apostolicis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis atque Universitatum Catholicarum Rectoribus asserit Pontifex speciali titulo pertinere officium ad Sedem Apostolicam, vel ad Episcopos pravos libros denuntiandi. Hi igitur munere commisso strenue fungantur; atque cum de re gravissima agatur, et innumerabilium maiorum scaturigine, sedulo inquirant an, et quinam libri in regno, in provinciis, in Dioecesibus circumferantur, ut doctrinae quam continent accepta notitia, ii ad quos spectat, prescriptionem decernere possint.

Neque hi putent nullo obstringi peccato si eiusmodi munus posthabeant; cum enim animarum pastores sub gravi teneantur greges sibi commissos a venenatis arcere pascuis, non intelligimus quomodo Nuncii, Locorum Ordinarii, Universitatum catholicarum Rectores gravi culpa excusari possint si negligenter aut nullimode munere suo fungantur.

Speciali autem titulo ad hos pertinere denuntiationes insti-

tuere Legislator affirmât. Hic porro titulus vel desumendus est ex officio et munere quod hi exercent, vel ex legislatoris voluntate, vel ex utroque capite, ut putandum est. Si ex officio, obligatio profecto est gravis, cum ex neglecta in pravos libros inquisitione et denuntiatione, gravissima et aliquando irreparabilia mala, animarum praesertim ruina, subsequantur; ex hoc autem sequitur constare de voluntate legislatoris onus eiusmodi Episcopis, Nuntiis, Universitatum Rectoribus sub gravi imponendi ; non est enim supponendus legislator imponere voluisse sine culpa, quod sub gravi ab ipso, quod exercetur, officio imponitur; atque de cetero solemni utitur phrasi,: *speciali titulo pertinet,* cum qua loquendi ratione coniuncta praesertim cum obiecto gravi conciliari nequit aliquid imponendi sine culpa, aut cum levi culpa, voluntas; quin illud addamus, de ferendis sub levi culpa legibus aut mandatis sollicitos non esse legumlatores.

Neque quis universitatum Rectores excusare nitatur, quod libri perniciosi ab ipso Instructionis publicae ministerio praescripti sint, quos proinde removere cum in ipsorum non sit potestate, nec eos denuntiare teneantur, cum inutile essent opus acturi. Etenim non agitur de eiusmodi re, sed de denuntiandis noxiae lectionis libris; hi autem nedum in Universitatibus, sed undique circumferuntur; quoscumque igitur noxios libros denuntiet oportet sive ad Episcopum, sive ad Apostolicam Sedem, quamvis ipsi illos qui in textum praelectionum quarumcumque adsciti sunt, e manibus professorum auditorumque auferre nequeant. Rectores catholicarum Universitatum munere fungantur suo, atque praesulibus Ecclesiae, Romano praesertim Pontifici, dimittant ea agere quae opportuna erunt iudicaturi.

Hac autem gravi culpa excusandi sunt homines vulgares, atque alii qui Nuntii, locorum Ordinarii, Universitatum Rectores non sunt, cum speciali titulo ad denuntiationem non teneantur, neque Legislatoris voluntate adeo premantur, ut alii; non constat, scilicet, an sub gravi eiusmodi onus Romanus Pontifex eis imponere voluerit, cum nullum in paragrapho adsit indicium, quo comperiamus eum voluisse denuntiationis onus sub gravi omnibus indiscriminatim imponere.

66. Paragraphus ista insinuât modum servandum in instituenda denuntiatione librorum, quorum lectio noxia censetur; nec inculcat praeceptum. *Expedit* enim neque necessitatem, ne-

que legem; sed id quod utilius, quod melius, quod magis ad rem confert, indicat. Neque cum verbo *licere* converti posse, nisi in subiecta materia et ex intentione principis; clamat enim Paulus: *Omnia mihi lieent, sed non omnia expediunt.* 1. Cor. VI. 42. Dictionaria de cetero et usus sensum utriusque Verbi apprime determinant.

At summopere conferre ut in pravorum librorum denuntiatione nedum libri titulus, sed etiam causae exponantur, ob quas liber censura dignus existimatur, nemo est qui non intelligat. Cum enim I°. denuntiatio ex rationabili causa instituenda sit, causae autem denuntiationis in erroribus reponantur, quibus liber aspergitur, aequam profecto rem agit, qui causas allegat, quibus liber noxius censetur.

2°. Denuntiator, non est quidem actor, cum nec sessionibus, nec iudicio intersit, nec aliquid ipsi compertum sit de iis quae circa librum denunciatum aguntur, sed est ad summum index, qui iudici aperit delinquentis crimina; hic autem ne calumniator appareat, de indicatis criminibus iudicem certiorem facere, et aliquatenus persuadere debet.

3°. Quilibet denuntiator aut levioris criterii, aut malevoli animi a se suspicionem amovere debet; amovebit autem, si causas inferat, quibus liber denuntiatus proscriptione dignus censetur.

4°. Quamvis S. Congregationis Indicis Praefecti quaslibet et a quibuslibet factas denunciationes acceptent, eas tamen praecipue expediunt, quas iustis causis niti cognoscunt.

5°. Penes nostram Congregationem, haec est vetusta consuetudo, et qui librum denuntiant, causas allègent.

Neque id operis difficultate premitur, cum minime difficile sit ea quae liber contra fidem et mores continet detegere atque scripto referre, tomum, caput, paginam in quibus errores leguntur diligenter indicare.

Denuntiatio autem fieri debet ad Eminentissimum S. Congregationis Indicis Praefectum, vel eiusdem Secretarium; at potest etiam, fieri ad Supremam Inquisitionem, ad S. Congregationem de Propaganda Fide, si agatur de personis et locis eius iurisdictioni subiectis, vel etiam, si causa intercedat, ad ipsum Romanum Pontificem. Porro omnes ad quos facta est denuntiatio curant ad S. Congregationis Indicis Praefectum eam remittere, nisi Suprema S. Officii Congregatio (si denuntiatio ad

eam facta fuerit) velit per seipsam iudicium in librum denuntiatum instituere; quod est in eius potestate.

Animadvertant tamen denuntiatores, una cum animadversionibus opus mittere ad eos ad quos denunciatio dirigitur; etenim testis veritatis censurae est opus; neque S. Congregationis Indicis Praefecti denunciationem executioni mandant, nisi opus in quod censura facta est prae manibus habeant; quandoquidem tum opus, tum censuram, seu denunciationem, examinandum postea committunt uni, vel pluribus consultoribus, iuxta ea quae praescribuntur in cit. Const. Benedicti XIV *Sollicita ac provida.* Votum autem ab his confectum atque typis impressum distribuitur Consultoribus totius Congregationis tum *parvae* seu *preparatoriae,* tum Eminentissimorum Cardinalium. Die autem indicta, universi, singillatim interrogati, sententiam suam super vota Consultorum, quibus etiam animadversiones denunciatoris adnectuntur, liberrime pronuntiant;; atque opus quod in aula ubi Congregatio agitur expositum tenetur, aut dimittendum, aut condemnandum, aut corrigendum decernitur iuxta pluralitatem suffragiorum.

Ut denunciatores in deferendis ad Romanam Sedem noxiis libris quamlibet ex animo formidinem abiiciant, Legislator securos reddit, praecipiendo iis ad quos denunciatio defertur, ut denuncia torum nomina silentio altissimo premant; idque prudentissime, ne odia, ne iurgia, ne praeconcepta exoriantur iudicia, et intempestivae querelae (1). Sciant insuper denuntiatores, penes S. Indicis Congregationem universos Consultores, Eminentissimos Patres, ipso Eminentissimo Praefecto atque Secretario non exceptis, nec ipsis Secretariae aut Congregationis famulis, antequam officium suscipiant, obstringi ad emittendum iuramentum de secreto servando circa ea quae in Congregatione geruntur; quod sine gravi peccato transgredi nemini licet. Qua de causa universi ad Congregationem pertinentes de iis omnibus quae in ea aguntur loqui non possunt nisi inter se, aut cum iis personis, quae ad S. quidem Congregationem non pertinent, sed eodem iuramento, ob aliquam specialem causam, ligantur; quod sint, ex. gr. auditores Cardinalium ad Congregationem pertinentium, etc.

67. Fuit semper Episcopis potestas pro sua Dioecesi libros

(i) **Id tamen ipse Benedictus XIV praescripserat in Const.** *Sollicita %* **12.**

proscribendi quos noxios iudicarent; ipsi enim a Spiritu Sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei; idcirco in locis sibi subiectis quae religioni, quae Christi fidelibus utilia promovere, quae noxia arcere debent.

Hinc libros noxios prohibendi facultate nedum privati numquam fuerunt, sed e contra a Romanis Pontificibus saepe provocati et moniti ad eiusmodi munus strenuo et attento exequendam animo, ut pluribus constat documentis atque ipsis Regulis Tridentinis. Inutile non erit eiusmodi documenta in. lectorum nostrorum notitiam deferre.

Praetermissis itaque antiquioribus, Leo XII, die 26 Martii 1825, Episcopos, monuit ut usi auctoritate qua a Christo instructi fuere, perniciosos libros e manibus subditorum suorum a veliere studeant, eosque quid salutare, quid mortiferum edoceant. « Sanctitas Sua mandavit in memoriam revocanda esse « universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis aliisque in Ec- « clesiarum regimen praepositis, ea quae in Regulis Indicis « Sacrosanctae Synodi Tridentinae iussu editis, atque in observationibus, Instructione, Additione, et generalibus Decretis « Summorum Pontificum Clementis VIII, Alexandri VII. et Be- « nedicti XIV auctoritate ad pravos libros proscribendos abo- « lendosque Indici librorum prohibitorum praeposita sunt, ut « nimirum, quia prorsus impossibile est libros omnes noxios « incessanter prodeuntes in Indicem referre, propria auctoritate « illos e manibus fidelium evehere studeant, ac per eos ipsimet « fideles edoceantur quod pabuli genus sibi salutare, quod no- « xium ac mortiferum ducere debeant, ne ulla in eo suscipiendo « capiantur specie ac pervertantur illecebra » (1).

Crescentibus autem Ecclesiae calamitatibus etiam propter pravorum librorum colluviem, et nonnullis prohibitiones spernentibus Episcoporum aut praetextu defectus iurisdictionis, aut alio quaesito colore, Pius Papa IX die 24 Augusti 1864 literas edidit *Inter multipliées* Indicis Congregatione mediante promulgatas, quibus in Episcoporum memoriam revocat onus quo premuntur et pravos libros ad Sedem Apostolicam denunciandi, et eos proscribendi, prout necessarium et opportunum iudicaturi forent. Has epistolas ad lectorum nostrorum notitiam integras deferimus, easque ex Commentariis nostris in Constitutionem *Apostolieae Sedis,* Tom. 1, pag. 136 excribimus.

(1) Index librorum prohibit. XL VIII. Edit. 1881.

Ulme ae Rme Domine

« Inter multiplices calamitates, quibus Ecclesia Dei luctuosis « hisce temporibus undique premitur, recensenda profecto est « pravorum librorum colluvies universum pene orbem inun- « dans, qua per nefarios ac perditos homines divina Christi Re- « ligio, quae ab omnibus in honore est habenda, despicitur, boni « mores, incautae praesertim iuventutis, penitus labefactantur, « et socialis quoque consuetudinis iura et ordo susdeque vertitur « et omnimode perturbatur. Neque ut vetus ipsorum mos erat « id praestare tantum nituntur libris magno apparatu scientiae « elaboratis, sed et parvis qui minimi veneunt libellis, et per « publicas atque ad hoc confectas ephemerides, ut non littera- « tis modo et scientibus virus illud insinuent, sed rudioris cuius- « que et infimi populi fidem simplicitatemque corrumpant.

« Qui autem super gregem Christi vigilias agunt legitimi Pa- « stores, ut hanc perniciem a populis sibi commissis avertant, « ad Sacram Indicis Congregationem quoscumque ex iis libris « de more deferunt, zelo adlaborantes, ut Romanae Sedis habito « iudicio et proscriptione, a vetita lectione talium fideles deter- « reant. Neque iis difficilem se praebuit et praebet S. Congregatio, « quae quotidianam operam studiumque impendit, ut officio sibi « a Romanis Pontificibus demandato satisfaciat. Quia tamen ex « toto Christiano Orbe increbrescentibus denuntiationibus prae- « gravatur, non id praestare perpetuo valet, ut promptum et « expeditum super quavis causa ferat iudicium, ex quo fit ut « aliquando serotina nimis sit provisio et inefficax remedium, « cum iam ex lectione istorum librorum enormia damna pro- « cessere.

« Ad hoc incommodum avertendum non semel Romani Pon- « tifices prospexerunt, et ut aliarum aetatum exempla tacea- « mus, aevo nostro per sa. me. Leonem XII mandatum editum « est, sub die 26 Martii 1825, ad calcem Regularum Indicis « insertum, et hisce Litteris adiunctum, vi cuius Ordinariis lo- « eorum praecipitur, ut libros omnes noxios in sua Dioecesi « editos, vel diffusos, propria auctoritate proscribere, et e ma- « nibus fidelium avellere studeant.

« Cum autem huius Apostolici mandati provida Constitutio « praesentibus fidelium necessitatibus et tuendae doctrinae mo- « rumque incolumitati optime respondeat, SSiïio Domino Nostro

« Pio Papae IX placuit eius memoriam esse recolendam, teno- « rem iterum vulgandum, et ab Ordinariis locorum observan- « tiam exigendam, quod excitatoriis hisce nostris litteris, nomine « et auctoritate Apostolicae Sedis sollicite praestamus. Queis « si debita obedientia respondeat (sicuti pro certo habemus), gra- « vissima mala removentur in iis praesertim Dioecesibus in qui- « bus promptae coercitionis urgeat necessitas.

« Ne vero quis praetextu defectus iurisdictionis, aut alio « quaesito colore, Ordinariorum sententias et proscriptiones « ausu temerario spernere, vel pro non latis habere praesu- « mat, eis Sanctitas Sua concessit, sicut Nomine et Auctoritate « Eius praesentibus conceditur, ut in hac re, etiam tamquam « Apostolicae Sedis Delegati, contrariis quibuscumque non ob- « stantibus, procedant.

« Ad Apostolicum autem iudicium ea deferantur opera vel « scripta, quae profundius examen exigant, vel in quibus ad « salutarem effectum consequendum, Supremae Auctoritatis « sententia requiratur.

« Interim tibi Illme et Rme Domine copiosa divinorum « charismatum incrementa ex animo precamur, et ad pergrata « quaeque officia nos paratissimos exhibemus ».

Datum Romae die 24 Augusti 1864.

Harum igitur vi literarurh Episcopis potestas asseritur libros noxios in propria Dioecesi proscribendi nedum propria, sed etiam auctoritate a Romano Pontifice delegata.

Neque haec delegatae potestatis collatio eo sensu intelligenda est, ut ea uti Episcopi possint tantummodo in casibus gravioribus aut urgentioribus, vel cum *iure proprio* rem definire non possunt ***(a);*** etenim nullimode hic sensus ex recitatis literis extunditur, sed plane contrarius, cum Episcopis in proscribendis noxiis libris quibuslibet et propria auctoritas asseratur: *auctoritate propria* (mandatum Leonis XII), et ne a quibuslibet haec propria Episcoporum auctoritas contemnatur, sive praetextu defectus auctoritatis, sive alio quaesito colore, a Romano Pontifice confertur Episcopis potestas delegata, non pro hoc vel illo casu, sed ad commissum officium exercendum, et

(a) Quae videtur esse sententia cl. G. Péries scribentis: « Au reste, eneas de « péril urgent, le chef du diocèse peut procéder de suite en qualité de délégué du « Saint Siège, quand même ses pouvoirs ordinaires ne s'étendraient pas jusqu'à lui « permettre de décider la question *iure proprio. L'Index,* **p. 134.**

ut omnes Episcoporum iudiciis obstringantur. Hinc per eiusmodi dispositionem duobus Pius Papa IX consultum voluit, et Episcoporum auctoritati, quam nemo in Dioecesi existens contemnere posset, et auctorum nomini ; hi enim si proscriptionem ab Episcopis proclamatami iniustam putaverint, possunt ad Romanum Pontificem appellare ; etenim a sententia delegati potest ad delegantem, appellatione interposita, provocari.

Haec sed vero confirmantur omnia ex epistolis quas eadem **S.** Indicis Congregatio Pii IX auctoritate ad omnes Metropolitas misit die 2 Aprilis 1873 ; quibus consilium ab iis expetit, eosque simul sollicitat ut repagulum opponant perniciosis libris et ephemeridibus, quae catholicum orbem invadunt. « Non parva sane « spes affulget, inquiunt Patres, fore ut salutares fructus perci- « piantur, pluraque a mentibus cordibusque fidelium iuvenum « praesertim avertantur mala, si Ecclesiae Praesules non solum « animum intendant tot pestiferis libris ac ephemeridibus pro- « scribendis, verum etiam si in suis visitationibus et epistolis -« pastoralibus ad Clerum et ad populum arguant et increpent « adversus inundantem errorum colluviem, et maxime si litte- « ras ad animarum curam habentes omni cum prudentia con- « scriptas mittere curent, hortantes eos ut fideles fortiter sua- « viterque monitos habeant, ut velint omnino sese abstinere a « pravorum librorum ac Ephemeridum lectione, cum ipsa in « fidei, morum, societatisque damnum aperte vergat.

« Quod si omnis ab Episcopis est adhibenda cura, ut docti « probatique utriusque Cleri viri verbis ac scriptis sana doctrina « refertis errores publice grassantes impugnent atque con- « fodiant, pariter ab eisdem non est praetereundum examen « Operum videlicet et Ephemeridum, quae fidem moresque di- « recte impetunt; atque in rebus gravioris momenti, transmissis « etiam doctorum virorum votis, certior facienda est S. Indicis « Congregatio, ut supremum Iudicium ab Apostolica Sede con- « firmandum de his proferre valeat » *(a).*

Animadvertant autem Episcopi, per eiusmodi sanctiones sibi in memoriam revocatum fuisse, ut proscribant libros et ephemerides, *quae fidem moresque directe impetunt;* qua de causa libri proscribendi manifestos errores continere debent. Abstineant hinc oportet illorum proscriptione librorum qui continent propositiones aut dubias, aut ab Ecclesia tolera tas : eiusmodi

(a) Excriptum ex folio authentico.

enim iudiciis ipsa S. Indicis Congregatio temperare se debet,, ad tramites Constitutionis *Sollicita et provida,* qua § 17 Benedictus XIV universos Consultores Patresque monet ut in librorum censura unice prae oculis habeant *Ecclesiae Sanctae dogmata, et communem catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, et orthodoxorum Patrum, atque doctorum consensu continetur....* At si ita agendum a S. Indicis Congregatione est, multo magis ab Episcopis, qui etiam in eo periculo versantur, ne ab auctoribus praeter aut veritatis aut iustitiae leges damnatis, appellatione ad R. Sedem interposita, prolata condemnatio cassetur.

Optime et vere hac in re scripsit cl. Arndt *loc. cit. :* « Attamen non tanta Episcopo competit potestas ut quasi locum « Concilii universalis, vel Romani Pontificis in iudicando doctrinas obtineat. Non potest ergo ipse librum prohibere ob « propositiones, quas Ecclesia non damnavit, nec reiecit. Dubiae « proinde propositiones, quae tamen ab Ecclesia tolerantur, non « possunt prohibitionem iustificare. Verum cum propositiones «periculosae proponuntur, quae quam proxime ad damnatas « sententias accedunt, Episcopo fas est librum in sua Dioecesi « vetare ». Hinc minus vere quis affirmaret, Episcopos fore consultis acturos, si libris qui fidem impetunt aliquantisper posthabitis, animum mentemque ad illos convertant qui disciplinam moresque labefactant; etenim Pius Papa IX eos monet ne praetermittant *examen operum et ephemeridum quae fidem moresque directe impetunt;* legislator autem noster praecipit eis, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegatis, *ut libros aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel difusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant;* generice prorsus, nullaque facta exceptione.

In libros igitur manifeste perniciosos, vi huius Constitutionis, Episcopi omnimoda gaudent potestate, ita ut ad eiusmodi libros vel ephemerides proscribendas nulla necessitate ducantur ad Apostolicam Sedem recurrendi, cum illos tum propria, tum delegata potestate proscribere possint. Et nedum illos qui in propria Dioecesi typis impressi sunt aut imprimuntur, sed etiam illos qui aliunde adducti, in ea publicati et divulgati fuere: lex enim utrumque casum complectitur cum dicat: *edita vel diffusa.*

Si tamen in respectivis Dioecesibus libri circumferantur, *qui subtilius examen exigunt,* vel quia de rebus tractent difficilioribus, aut recenter inventis; aut de scientiis quidem, quarum notitia et cognitio communis est, attamen vel nova methodo, vel argumentis deductis ex antiquis idiomatibus linguisque primigeniis, vel ex scientiis naturalibus, in quibus homines idonei et exculti in Dioecesi non reperiantur; vel si opera divulgata ab auctoribus prodierint, qui nihil antiquius habent quam Episcoporum auctoritatem spernere, idque experientia constaret, vel ab aliis qui propter officia quae exercent, et potestatem qua praestant, ipsis Episcopis possent periculum creare; aut hos dedeceret in Superiorum suorum libros iudicia exercere, ut si libri proscribendi prodierint a propriis Metropolitanis, Primatibus, Patriarchis, aut damnatio libri foret turbas et contentiones excitatura; his in casibus et similibus monentur Episcopi, ut proprio iudicio dimisso, noxios hos libros ad Apostolicam Sedem deferant, ab eaque sententiam expectent. Id autem praecipit Pontifex, non quia hos etiam libros diiudicandi Episcopos potestate privet, sed prudentiae causa; etenim hisce in circumstantiis ad salutarem effectum consequendum, omnino supremae auctoritatis sententia requiri videtur.

Diximus Episcopos pro sua Dioecesi posse libros quoscumque noxios proscribere sive in ea impressos, sive ex aliis partibus adductos, atque fideles eis commissos teneri obedientiam debitam praestare, nullaque posse ratione libros ab iis proscriptos legere nisi opportuna et legitima facultate sese communierint.

Attamen in singulis Dioecesibus, vel fere, Regulares sunt Episcoporum iurisdictione exempti, et propriis Superioribus regularibus subiecti. Quaerendum est igitur

I°. An Regulares exempti proscriptione librorum ab Episcopis indicta teneantur?

2°. An Superiores Regulares potestate gaudeant libros proscribendi pro suis subditis regularibus?

Quantum ad 1. quaestionem attinet cl. Vermeersch censuit negative esse respondendum. « Habent enim regulares proprie « dicti, ita scribit pag. 30, (et etiam quarumdam Congregationum « alumni, v. g. C. SS. Redemptoris) generale privilegium Ex« emptionis. Inter exceptiones autem, factas huic privilegio, quas « tamen diligentissima cura collegerunt auctores, nullibi indi-

« catur praesens casus. Nec materiam istam praetermiserunt, « cum diserte doceant Regulares quoad praeviam censuram « subdi Episcopis. Facultas autem procedendi etiam ex apostolica delegatione cuius haec est generalis vis, ut tribuat Epi- « scopo expeditiorem potestatem, non extendit *de se* ad per- « sonas non subiectas efficaciam legis Episcopalis, nisi constet « in hunc finem delegationem datam fuisse. In casu autem prae- « senti, in hunc potius finem videtur dari, ut certius possint Epi- « scopi attingere *omnium* libros, ut statim subiicimus. Hac pro- « scribendi facultate uti valent Episcopi circa libros etiam ex- « emptorum, vel externorum. Nec obstat librum esse editum « extra dioecesim, vel ab alio antistite probatum. In posteriore « tamen casu usus potestatis non erit prudens sine gravissimis « causis ».

Idipsum scribit cl. Professor Péries Op. cit. pag. 164, qui tamen cl. Vermeersch innititur, cuius verba etiam citat *(a).*

Contraria tamen sententia nobis vera videtur (et viri doctissimi dabunt veniam); Regulares scilicet exemptos (nam de non exemptis nulla est quaestio) obstringi prohibitione librorum et ephemeridum ab Episcopis pro suis Dioecesibus indicta.

Et I°. Librorum noxiorum a quibuscumque prohibeantur eadem est ratio; etenim idcirco prohibentur ne fides, ne honesti corrumpantur mores; haec ratio tum R. Pontifici suppetit, tum Episcopis, aliisque locorum Ordinariis. Sed prohibitionibus a Romano Pontifice indictis sive immediate, sive mediantibus Congregationibus quibus hanc contulit potestatem subiacent Regulares; ergo subiacent etiam prohibitionibus quas Episcopi promulgent.

2°. Episcopis competit libros noxios proscribere nedum delegata, sed etiam *auctoritate propria.* Certum est autem Regulares universos aliquando potestati Episcoporum fuisse subiectos, ac nonnisi decurrentibus saeculis exemptionem fuisse consecutos, quibusdam capitibus exclusis, in quibus semper subiecti Episcoporum potestati fuere. Quoniam igitur ad affir-

(a) «Les réguliers exempts ne sont pas obligés détenir compte des con- « demnations de livres ou de journaux faites par l'évêque du diocèse où ils résident « puisqu'ils ne sont pas ses sujets *subditi* ». Uterque insuper arbitratili" potestatem, eamdem competere Praelatis Regularibus quoad suos subditos.....« Eademque facultas ut patet, competit Praelato regulari quoad suos subditos ». Verm. pag. 29.

mantem spectat probare, oporteret ut Regulares aliquam Pontificiam Constitutionem afferrent qua se consecutos etiam eiusmodi privilegium, saltem implicite demonstrarent, non obstringi scilicet prohibitione librorum ab Episcopis lata; nos quamvis non unam sed plures Constitutiones Pontificias pervolutaverimus ad Regulares spectantes, numquam in iis eiusmodi privilegium indigitatum reperivimus. Manet ergo integra Episcoporum auctoritas in Regulares circa huiusmodi prohibitionum observantiam donec hi authenticum decretum afferant, quo demonstrent etiam eiusmodi privilegium a Romano Pontifice fuisse consecutos; stat enim integra Episcoporum auctoritas. Sed impossibile est ut eiusmodi pontificium decretum proferant. Etenim

3°. Omnium Canonistarum sententia exploratissimum est, Regulares etiam exemptos subiacere Episcoporum auctoritati in iis quae ad fidem spectant; sed exploratissimum pariter est libros noxios, ut plurimum prohiberi quia fidei morumque disciplinam labefactant; res ergo est quae ad fidem pertinet: subiacent ergo Regulares eiusmodi Episcoporum iudiciis.

4°. Omnes similiter Sacrorum Canonum expositores decernunt, Regulares subiici Episcoporum auctoritati quoad censuras ecclesiasticas ab iis indictas; easque observare teneri : idque tum aliorum, tum praesertim Concilii Trident, auctoritate *Sess. XXV De Regularibus et Monialibus Cap. XII* statuentis : « Censurae « et interdicta nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam « ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus « in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur ». Sed Episcopi aliquando libros noxios sub censura proscribunt, et proscribere possunt; hanc ergo Regulares observare tenentur; nequeunt igitur legere libros ab Episcopis sub censura proscriptos quin ipsam incurrant. Dicturi ne erunt teneri se prohibitione tantum librorum noxiorum ab Episcopis promulgata sub censuris, non aliis? Ergo falsum est Regulares exemptos esse simpliciter et in universum a proscriptione librorum ab Episcopis indicta; quo autem argumento demonstrant se non obstringi aliis prohibitionibus sine censura promulgatis?

5°. In relata Constitutione *Inter multipliées* Pius Papa IX definit, Episcopis potestatem competere noxios libros proscribendi *propria auctoritate.* Ne quis vero praetextu defectus iurisdictionis, proscriptiones eorum contemneret, eis praecipit ut *hac in re procedant etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati.*

Porro nemo laicus, aut ecclesiasticus Cleri saecularis poterat Episcoporum prohibitiones contemnere, postquam Romanus Pontifex statuerat, eis eiusmodi proscriptiones decernere, *propria auctoritate* competere, neminemque eam posse contemnere *praetextu defectus auctoritatis.* Hi ergo qui eiusmodi praetextum inducebant erant prorsus Regulares, qui se exemptos, et idcirco non subiectos eiusmodi prohibitionibus comminiscebantur. Sed horum sententiam Romanus Pontifex vocat *praetextum,* vocat *quaesitum colorem;* ergo Pius Papa IX censuit, Regulares subiectos fuisse prohibitionibus noxiorum librorum ab Episcopis propria auctoritate indictis. Atqui ne eiusmodi opiniones perdurarent, neque quis de cetero proscriptiones eiusmodi ab Episcopis latas *ausu temerario* spernere, vel pro non latis habere praesumeret, eis Pontifex concedit ut in re agant tamquam Apostolicae Sedis delegati, *contrariis non obstantibus quibuscumque:* ergo saltem (ut modesti simus), post eiusmodi Pii IX Apostolicas literas, Regulares tenentur observare librorum proscriptiones ab Episcopis indictas.

6° Feria VI, die 6 Decembris 1895 ad S. Indicis Congregationem « Proposito dubio: Utrum qui habent generalem facul-
« tatem legendi libros in Indice librorum prohibitorum contentos,
« legere licite possint etiam libros ab Ordinario proscriptos, sine
« speciali eiusdem Ordinarii licentia? Emi Patres responderi
« mandarunt: *Negative* » *(a).*

T Leo XIII in hac Sua Constitutione *Officiorum* mandat ut Regulis a se editis *catholici homines toto orbe religiose pareant.* Neminem igitur excipit. At in his ipsis Regulis § 26 praecipit : *Omnes qui facultatem Apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos.* At nemo negaturus erit Regulares indigere facultate Apostolica ut legere libros prohibitos possint : hi ergo nequibunt legere aut retinere libros et ephemerides ab Episcopis proscriptas nisi in Apostolico Indulto facta eis fuerit *potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos.* Regulares igitur nequeunt legere libros ab Episcopis proscriptos sine apostolica

(a) Acta S. Sedis Tom. XXX, pag. 374.

facultate, aut sine Episcoporum proscribentium venia. Subiacent ergo proscriptionibus librorum ab Episcopis indictis.

Supponere profecto non possumus, Leonem XIII Regularibus privilegium huiusmodi, quod aut numquam consecutos, aut a Pio IX noverat abrogatum, conservare voluisse, quin aliquam de re mentionem iniiceret, praesertim cum § 35 illos censurae ab Episcopis instituendae subiiciat, atque § 36 libros publicare praeter Episcopi facultatem interdicat.

8°. Tandem ut hac 'de re magis evaderemus certi, praestantissimus Sacrorum Canonum Professores ipsosque Regularium Superiores interrogavimus, qui sententiam a nobis propugnatam retinendam esse responderunt.

Post haec alicui difficultati occurramus oportet.

Et I°. illi quam urgere Regulares possent ex verbis ipsius paragraphi: *et e manibus fidelium auferre studeant;* nos enim paullo superius diximus, fidelium nomine viros regulares non venire; cum ergo R. Pontifex praecipiat Episcopis ut noxios libros e manibus fidelium auferre studeant, hoc ipso ab eiusmodi lege religiosos viros exclusisse dicendus est. Attamen recusandum est eiusmodi argumentum, cum in eo consequentia magis pateat quam praemissae; sequeretur enim neque Ecclesiasticos Cleri saecularis eiusmodi prohibitionibus subiacere ab Episcopo indictis, cum nec ipsi fidelium nomine intelligantur. Optime sed vero legislator unos simpliciter fideles hoc in loco nominat, tum quia pro his libri noxii gravioris sint periculi, tum quia nonnisi potestate adhibita plerumque coercentur. Pro viris religiosis autem sat est voluntatem superioris ab Episcopo moniti, si necessarium fuerit, cognoscere ut obedientiam debitam praestent, quin potestatem iudiciariam aut coercitivam adhibere compellatur.

Attamen, nonne in praesenti casu potestas delegata Episcopis collata videtur, ut certius possint attingere omnium libros, cum hac proscribendi facultate uti valeant circa libros etiam exemptorum vel externorum?

R. Eiusmodi interpretatio admittenda non videtur I°. quidem quia numquam Regulares in ea opinione versati sunt, neque illud privilegium commenti, quo putaverint aut putent, Episcopis non fuisse vel non esse facultatem libros prohibendi noxios, si a Regularibus prodierint. 2°. Quia Romani Pontifices delegatam etiam potestatem in librorum proscriptione concedunt

Episcopis, ne qui propriam eorum auctoritatem, *praetextu, quaesito colore, ausu temerario* spernebant, possent delegatam posthaberi 3°. Quia sensus literalis et finis tum a Leone XII, tum a Pio Papa IX, tum a Leone XIII intentus huic interpretationi contradicunt, ut ex lectione patet. 4°. Quia nemo dubitavit aut dubitare potest quin Episcopi libros noxios aliunde in suas Dioeceses adductos prohibere potuerint aut possint; id enim officio episcopali inhaerere dignoscitur.

Altera quaestio componi facillime poterit si dicamus, Praelatos quidem regulares suis subditis regularibus pro auctoritate quam in eos habent, et pro voto obedientiae, quo erga superiores suos subditi obstringuntur, posse interdicere librorum lectionem quos perniciosos censent, non autem posse prohibitionem iuridicam et authenticam inferre et edere, prout a Romano Pontifice, a S. Congr. Indicis, ab Episcopis infertur et editur. Concessae sibi huiusmodi facultatis nullus Praelatus Regularis decretum Pontificium afferre poterit; ex propria et inhaerente sibi auctoritate non extunditur, cum satis ad interdicendos subditis regularibus libros noxios sit auctoritas quam eis Regula concedit; ne tamen dubium de re superesset, interrogavimus Praelatos Regulares, an sibi hoc sive ius, sive privilegium vindicent, aut putent sibi inhaerere, et negative responderunt; qua de causa nescimus quonam argumento demonstrari possit, in librorum proscriptione superioribus regularibus eamdem potestatem competere, quae competit Episcopis.

TITULUS II.

De Censura Librorum.

68. Iis absolutis quae ad librorum prohibitionem spectare videbantur, ad eorumdem censuram statuendam se Legislator convertit, decernendo a quibus et quomodo illa conficienda sit, quinam libri censurae subiiciendi, quodnam typographorum et editorum officium circa impressionem librorum ecclesiasticae censurae subiectorum; demum decreta a se edita communit opportuna sanctione.

Censura presse sumpta, ut diximus, est iudicium de orthodoxia aut heterodoxia libri vel scripti cuiuslibet. Verum hac in

re censores etiam ad aliud animum intendant oportet. Cum enim Pontifex statuat, a quibus libri nonnulli approbandi sint ut publicari possint, considerare debent, an hi libri auctoritate eorum publicentur ad quos impressionem et publicationem permittere spectat. Aliter; Iudices ad censuram instituendam deputati id a principio observent, an pro tali librorum genere ipsi, vel alii sint censores competentes et a iure requisiti.

Porro relate ad editiones et versiones Sacrorum Bibliorum, hac § 30 Pontifex in memoriam revocat quae statuerat § 7\ In ea vero paragrapho sermo est de versionibus Sacrarum Scripturarum in lingua vernacula, atque statutum fuerat I°. eiusmodi versiones nullis communitas adnotationibus, quamvis a viris catholicis confectas, ab uno Romano Pontifice permitti posse. 2°. Si autem editae fuerint sub vigilantia Episcoporum, cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus, et ex doctis catholicisque Scriptoribus, approbatio sufficit Episcoporum.

Censores itaque in huiusmodi SS. Bibliorum Versionibus in lingua vernacula examinandis prae oculis habere debent quae et quot loca commentariis et adnotationibus communita fuerint, an difficiliora rite explanata, ex quibus Patribus commentaria desumpta, ex quibus viris catholicis adnotationes. De cetero solliciti non sint si auctores videant etiam ex viris heterodoxis declarationes aut notitias desumpsisse aliquas, in iis praesertim quae notiones topographicas, ethnograficas, archeologicas respiciunt, et notitias his nostris diebus haustas ex monumentis quae in Assyria, Palaestina, ChaJdea detecta sunt et deteguntur. Censores enim ad id praecipue advertant, ut sarta tectaque sint catholica dogmata quae in Sacris Bibliis traduntur, eorumque sensus genuinus.

69. Necessario eiusmodi lex renovata fuit; si enim iterum in lucem edere fas esset libros ab Apostolica Sede semel proscriptos, inutilis proscriptio redderetur, cum in novis editionibus ea legere fideles possent quae in praecedentibus prohibitis condemnata fuerant. Clemens VIII haec iam animadverterat in Instructione Indici praemissa librorum prohibitorum. « Ad fidei « catholicae, inquit, conservationem non satis est quinam ex iam « editis libris damnatae lectionis sint, cognoscere, nisi illud etiam « caveatur, ne vel iidem denuo pullulent libri, vel similes alii « emergant, et propagentur, qui incautas fidelium mentes oc-

« culto veneno inficientes, iusta ac merita danmatione digni « iudicentur ».

Renovatam fuisse hanc legem diximus; ea enim iam promulgata a Clemente VIII fuerat § VI. *de prohibitione librorum,* qua praescripserat: « In universum de malis et perniciosis li« bris id declaratur atque statuitur, ut qui certa aliqua lingua « initio editi, et deinde prohibiti ac damnati a Sede Apostolica « sunt; iidem quoque, in quamcumque postea vertantur lin« guam, censeantur ab eadem Sede, ubique gentium, sub eis« dem poenis, interdicti et damnati ». In memoriam vero Episcoporum revocata fuerat a S. Congregatione Indicis die quarta Martii 1828, Leone XII Pontificatum universae Ecclesiae gerente *(à).* Stat igitur immotum, libros ab Apostolica Sede proscriptos iterum typis amandari et divulgari non posse.

Sedulo tamen advertendum est, hos libros ab Apostolica Sede proscriptos eos non esse intelligendos qui regulis generalibus comprehenduntur, sed illos qui nominatim, et proprio titulo in Indicem relati fuere; verba enim *ab Apostolica Sede proscriptos* determinatum quid significant, atque ita exploratum certumque ut de lata prohibitione nemo dubitare possit; atque idcirco quibuslibet prohibetur quominus hos libros iterum edant et evulgent. Id autem intelligi non posset de libris comprehensis sub regulis generalibus, cum de illis nullum speciale iudicium pronunciatum fuerit, nullaque conceptis verbis proscriptio; ideoque eorum pravitas, saltem a plurimis, non dignoscatur, aliorum diversa sit de illorum pravitate sententia; ita ut de nova librorum huiusmodi impressione in certum crimen editores et typographi semper vocari non possent. Demum mos est ut qui velint cognoscere, an liber aliquis prohibitioni subiaceat, Indicem librorum prohibitorum legant.

Attamen ipse Legislator veniam concedit prohibita opera iterum excudendi, si singularis aliqua intercedat exceptio. Haec autem numquam petitur ex defectu auctoritatis, sed ex aliqua ratione ipsi operi proscripto inhaerente. Exempla petantur ex prohibito Galilaei *Dialogo duorum maximorum Sgstematum* circa motum telluris, quae sententia cum solidis argumentis tunc defendi non posset, atque adversari obvio et literali Sacrarum Scripturarum sensui videretur, die 22 Iunii 1633 a Su-

(a) Index libror. prohib*. XXIV.

prema Inquisitione proscripta fuit. Sed astronomicis et naturalibus scientiis prope diem incrementum sumentibus, detectisque solidissimis argumentis quibus telluris motus demonstratur^ anno quidem 1758 expunctum fuit ex Indice decretum prohibens quominus ab aliquo haec sententia doceretur ; anno 1822 permissa fuit librorum impressio, in quibus, non ut hypothesis sed ut thesis, telluris motus traderetur, anno demum 1835, Gregorio XVI sedente, in nova Indicis impressione omissus fuit praedictus Galilaei Dialogus. Eadem sed vero Copernici causa est, cuius liber *De reoolutionibus Orbium* a S. Congregatione Indicis prohibitus fuit die 5 Martii 1616, Paulo V Pontificatum supremum gerente, atque deinde ex Indice expunctus.

Idipsum factum fuisse novimus circa librum V de Romano Pontifice a doctissimo Ven. Cardinali Bellarmino exaratum, in quo *Cap. IV,* repudiata sententia de potestate directa Romanorum Pontificum in temporalia principum, *Cap. VI,* indirectam defendit; atque idcirco hic liber proscriptus fuit. Re tamen me lius deinceps considerata, atque comperta veritate sententiae a Bellarmino assertae et propugnatae, liber ex Indice expunctus fuit.

Atque idipsum confidimus futurum de libris in Indicem ea de causa relatis, quia veluti certam Immaculatam Conceptionem B. M. Virginis defendentes, haereticos traducebant illos qui contrariam sententiam tuebantur, quod ante definitionem certe illicitum erat. Id vero officii Romanus Pontifex sibi erit sumpturus.

Nullus sed vero Editor aut Typographus privata auctoritate -suscipere audeat iterum libros imprimere in Indicem relatos, quamvis evidentissimae sibi rationes suppetere videantur; sed obtenta prius a S. Indicis Congregatione facultate, et servatis conditionibus ab ea praescriptis.

69[a]. *{a)* Ad hanc § 32 neque Decreta pertinent quae a S. Rituum Congregatione prodierint, neque facta supernaturalia quae non spectant ad illos Servos Dei aut Beatos quorum causa agitur coram Congregatione praedicta; aut ab illis acta sunt post causam absolutam, atque Supremo Apostolicae Sedis iudicio per solemnem Canonizationem definitam ; et plane sunt a

(a) **Typographi errore factum est, ut repetit! fuerint numeri 69 et 71. Secundus ergo indicabimus 69[a]. 71[a].**

discussa causa independentia; de his enim iudicare ad Episcopum pertinet, ut supra demonstravimus in nota 51, pag. 105. Qua de causa stricto sensu est huius legis dispositio exponenda; prohibetur scilicet, quominus absque dictae S. Congregationis licentia ea publicentur, quaecumque demum sint, quae utcumque pertinent ad bea tifica tionem et Canonizationem Servorum Dei, quorum causa adhuc est sub iudice.

Ut rem exemplo declaremus. Penes S. Rituum Congregationem proponitur et agitur causa de valore actorum processualium tum ab Ordinario loci, tum de mandato Sedis Apostolicae confectorum, de veracitate et idoneitate testium, de fama sanctitatis Servorum Dei, de non cultu eis praestito, de virtutibus in gradu heroico quas exercuerunt, de miraculis eorum intercessione et invocatione patratis. In his vero agendis a Defensoribus Summaria et probationes proponuntur, a Promotore fidei animadversiones, semel, bis, ter, prout necessarium iudicaverit, a defensoribus responsiones ad illas elidendas, a Consultoribus observationes et iudicia. Haec autem prorsus sunt quae pertinent ad Causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei, et haec publicari prohibentur, posthabita venia Sacrorum Rituum Congregationis.

Prohibetur tamen eiusmodi actorum publicatio, causa Servorum Dei coram S. Rituum Congregatione pendente, ut diximus, non postquam per solemnem Canonizationem consummata fuit; quamvis nemo existimare debet, postea liberum esse cuilibet ea publicare, nulla requisita potestate; etenim eiusmodi publicationes redeunt ad ius commune. Sciendum videlicet est, a die traditionis Actorum processualium S. Rituum Congregationi ad solemnem usque Canonizationem, omnia subdi potestati Promotoris Fidei, ita ut praeter huius facultatem, nihil, prorsus nihil, de Servo Dei publicari queat, non vita, non biographia, non aliud aliquid, quodcumque illud sit; haec autem Promotoris auctoritas cessat post actam Canonizationem, eique auctoritas communis subrogatur sive Episcoporum, sive Magistri S. Palatii Apostolici. In re ipsum sollertissimum Promotorem Fidei iuterrogavimus.

Neque sententia haec contradicere deprehenditur obvio sensui legis a Leone XIII statutae, qua cum dicatur: *Quae ad causas .Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus*

tuendis praepositae publicari nequeunt, suspicari quis posset eiusmodi prohibitionem perpetuam esse, cum etiam post actam Canonizationem verum sit, haec acta ad Causas Servorum Dei *utcumque* pertinere. Etenim non ita res est.

I°. Quia Legislator tempore praesenti loquitur de iis actis quae ad Causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent; causa autem est a causando; consequenter de iis actis Legislator loquitur, quae ad illos pertinent Dei Servos, quorum causa sub iudice est; peracta autem Canonizatione causae illae plane absolutae dicendae sunt, neque, nisi improprie, causae dici possunt; eo scilicet sensu, quod aliquando de veritate aut de iustitia Causarum illarum dubitatum, et idcirco per Iudices inquisitum est.

2°. Quia cum ex lectione legis exploratum minime sit, Legislatorem prohibitionem eiusmodi voluisse ad tempora extendere quae Canonizationem subsequuntur, iura clamant: *in dubio quod minimum esse sequendum.*

3°. Quia post absolutam Canonizationem pro eiusmodi lege observanda non eaedem militant rationes, quae militant dum Causae sub iudice sunt.

4°. Cum in antiqua legislatione publicationes eiusmodi constituerent ius speciale, non est censendus Legislator hoc speciale ius abrogasse quin de re subditos aperte et opportune moneret; nihil autem monuit. Certum est autem antiquo iure, eiusmodi actorum publicationem minime prohibitam fuisse post actam solemnem Canonizationem, sed tantum pendente Causa.; quod demonstratur tum ex facto, tum ex iure. Et ex facto quidem, quo constat publicata fuisse plurima Sanctorum Acta, visiones, revelationes etc., non requisita S. Rituum Congregationis licentia. Postrema fortasse publicatio refertur ad ea quae de semetipsa scripsit S. Veronica de Iulianis, a P. Pizzicaria S. I. publici iuris anno 1895-1897 facta, quin in fronte Voluminum, aut in fine appareat licentia concessa a S. Rituum Congregatione, et cum una Curiae Episcopalis et Provincialis Societatis approbatione. Ex iure autem, quia leges de non publicandis actis quae ad causas pertinent Servorum Dei, semper referuntur ad tempus, quo Causa Servorum Dei coram S. Rituum Congregatione pendebat.

Alexander VII die 23 Iulii 1661 sequens edidit decretum: « Sanctitas sua extra urbem expresse inhibuit omnibus et sin-

« gulis impressoribus seu typographis ubivis locorum praedi-
« ctas informationes, omnesque alias scripturas pertinentes ad
« causas Beatificationum et Canonizationum imprimi, sub quovis
« praetextu, causa, et quaesito colore, et cum quavis auctoritate,
«licentia et approbatione; et si quae ausu temerario contra
« praesentis decreti tenorem extra Urbem impressae fuerint,
« omni prorsus fide carere voluit et declaravit; mandans prae-
« terea, ac districte praecipiens universis et singulis haereticae
« pravitatis Inquisitoribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis,
«aliisque locorum Ordinariis, ut in sua quisque Dioecesi, vel
« provincia sedulo pervigilet, ne quidquam contra superius dis-
« posita fiat, seu attentetur » *(a).*

Agitur itaque hoc in Decreto de Informationibus, deque Scripturis ad causas Servorum Dei pertinentibus imprimendis, quibus quamlibet abrogat fidem Pontifex si extra Urbem impressae fuerint; erant ergo informationes et Scripturae pertinentes ad illos Dei Servos, quorum causa agebatur. Hoc autem melius ex iis quae sequuntur apparebit.

Etenim constitutum fuit ut unus Typographus Cameralis eiusmodi acta typis amandandi facultatem haberet, numero exemplariorum ad sexaginta constabilito, neque plura conficienda, nisi de expresso S. Congregationis Rituum Secretarii mandato; haec insuper exemplaria omnia, nullo excepto, tradenda erant Fidei Sub-promotori ut ea recognosceret atque sigillo munirei Haec omnia constant ex eodem Benedicto XIV, *lib. eit. nn. 19. 20. 21. 22.*

Erant ergo exemplaria actorum quae pertinebant ad causas Servorum Dei in quae iudicium et sententia nondum pronuntiata fuerat.

Atque Decreti Alexandri VII hunc esse sensum ex decreto colligimus promulgato a S. Rituum Congregatione die 30 Ianuarii 1878; dum praefecturam gereret Eminentissimus Thomas Martinelli Ordinis S. Augustini, vir doctrina, modestia, et pietate conspicuus. Huiusmodi porro est:

« Sacra Rituum Congregatio Causarum Beatificationis Ser-
« vorum Dei et Canonizationis Beatorum, quae eius examini
« proponuntur summam gravitatem perpendens, sui muneris
« esse duxit illa praecavere pericula, quae ex inconsulta evul-

(a) Benedictus XIV De Servor. Dei Beai, et Canoniz. Lib. I, Cap. XIX, n. 22

EX S. CONGREGATONE CONCILII

PARISIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 21 Augusti 1897.

Sess. 24 cap. 5. de ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Anno 1894 die 24 Iulii Parisiis, servata forma Tridentina, initum fuit matrimonium inter Mariam Delphinam 27 annorum tunc natam , et Leonem sua uxore decennio maiorem.

Matrimonium istud, licet pleno consensu partium contractum, haud felicem exitum sortitum est. Siquidem, uti asseritur, *ex nervico morbo* et *umbilicari hernia,* qua laborabat sponsus, coniuges nunquam matrimonium consummare valuerunt. — Ad viri impotentiam arcendam pluries, ut ait mulier, adhibita fuerunt artis remedia, quae tamen minime profuerunt.

His tamen non obstantibus, coniuges per octo circiter menses vitam coniugalem simul duxerunt, quo tempore transacto, mulier marito valedixit ad eum non amplius reversura. Sed Leo post uxoris discessum, spretis Ecclesiae iuribus, tribunal civile adivit, a quo facile obtinere potuit sententiam divortii.

Quapropter mulier volens novas inire nuptias preces Sacratissimo Principi porrexit, expostulans ut matrimonium suum cum Leone solveretur, utpote ratum et non consummatum ob viri impotentiam.

Annuente Summo Pontifice, Archiepiscopo Parisiensi rescriptum fuit, ut ad normam Constitutionis Benedicti XIV et Instructionis S. C. C. conficeretur processus super asserta inconsummatione. Expleto processu , acta ad S. C. C. transmissa fuerunt simul cum relatione Iudicis parisiensis, qui suum iudicium circa inconsummationem matrimonii pandens, oratricem valde commendat.

Disceptatio» Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Advocatus actricis duas in partes orationem suam dispescit, in quarum prima de non sequuta matrimonii consummatione, in altera vero de dispensandi causis disserit.

Primum caput defensor aggrediens, in primis notat ad tramites Sacrorum Canonum, et instructionis S. Congregationis Concilii anni 1840, ad probandam matrimonii inconsummationem tria requiri, quae babentur in Cap. *Proposuisti 4 de Probationibus,* nimirum iuratam coniugum confessionem, testimonium septimae manus, et corporalem mulieris inspectionem.

Revera, ait advocatus, matrimonium non fuisse consummatum adstruit iurata utriusque coniugis fides, egregio septimae manus testimonio roborata. Siquidem actrix Maria Delphina, praestito iuramento, suam, coram iudice, depositionem peragens absque ulla haesitatione affirmat : « Le soir même (du mariage) Monsieur Leon a manifesté son antipathie pour les devoirs conjugaux; il m'a laissée sous prétexte de me laisser reposer, après avoir passé une heure le soir près de mon lit. Il est allé prendre un autre lit dans une autre chambre. Vers six heures du matin je l'ai rappelé et il a passé quelques heures avec moi dans le même lit. Il a essayé de faire l'acte coniugai et n'a pu y réussir. Les jours suivants il a fait lit commun, sur mes supplications, mais en mettant un traversin entre lui et moi. — Absolument, j'aifirme, sur mon honneur et ma conscience que le mariage n'a j'amais été consommé entre mon mari et moi, et que la responsabilité n'en doit être attribuée qu'à mon mari. Il m'a fait prendre une fois des injections et je m'y suis prêtée avec la meilleure volonté possible, espérant par là lui rendre plus facile le devoir coniugai ».

At et ipse Leo item testatus est de inconsummatione. « J'affirme que le mariage n'a pas été consommé. Cette responsabilité retombe sur moi, mais elle est atténuée par

mon état morbide caractérisé par des signes extérieurs que j'ai indiqué au médecin ».

Quanta fides tribuenda sit huic coniugum confessioni, iuxta patronum probatur ex septimae manus testibus, qui uno veluti ore testimonium reddunt utrique coniugi ac praesertim mulieri, tum de singulari pietate, tum de veritate dictorum ; eisque proinde asserentibus matrimonium non fuisse consummatum non solum verum dixisse firmissime credunt, sed, quod maximum est, de non peracta matrimonii consummatione propter viri impotentiam, tanta securitate et intima persuasione testificantur, ut validissimum non consummationis argumentum constituant.

Sane oratricis pater, iuratus, testatur filiam domum paternam quotidie frequentasse, eamdem rem semper aperuisse, post etiam definitivam separationem, nimirum maritum copulam saepius inutiliter tentasse et matrimonium mansisse inconsummatum , eique plenissimam fidem habens absolute affirmat. Hunc effectum tribuit nervico et atrophiae in viri genitalibus. «J'attribue cette conduite à l'état nerveux de Mr. Leon. Il y a en lui une perturbation, ou une atrophie génésique ». Huic concordat actricis mater quae de inconsummatione testatur.

Idem, secundum oratorem, comprobatur ex depositione medicorum Topinard ac Iulii Bourcier, qui ex officio producti non solum veraci ta tem coniugum commendant, sed de matrimonii inconsummatione plene testantur.

His positis, advocatus praetermittens, brevitatis causa, iurata testimonia aliorum testium, qui utriusque coniugis, praesertim mulieris, religionem et veracitatem non solum laudant, sed etiam intimam persuasionem de matrimonii inconsummatione manifestant ob viri impotentiam, concludit nullum dubium esse de inconsummatione huius matrimonii, quum compertissimum esset, iuratam coniugum confessionem, testimonio septimae manus roboratam, in iure haberi uti sufficientem probationem non consummati matrimonii, iuxta *cap. Laudabilem 5, lib. IV, tit. XIV, De frig. et male f...*

Imo, urget advocatus, aliud potissimum inconsummationis argumentum in themate habetur, nam hic agitur de viro qui contra seipsum tam iudicialiter, quam extraiudicialiter fassus est, matrimonium non fuisse consummatum ob suam coeundi impotentiam ; iamvero confessio coniugis in sui praeiudicium plenam facit probationem ; docet Coscius *De separatione thori lib. 1, cap. 16, num. 25.*

Gradum faciens orator ad argumentum ex virginitatis exploratione depromptum, notat quomodo in physico examine omnia iuxta Canones et Benedictinam Constitutionem, nec non S. C. C. methodum servata sint.

Neque minori certitudine aut claritate de matrimonii non consummatione testatus est alter ex peritis cognitoribus Dr Bucquoy, qui primo suam relationem ita concluserat : « Qu'elle porte, dans un état d'intégrité complète les signes-matériels de la virginité. Qu'il n'a été fait aucun tentative efficace pour l'accomplissement regulier et complet de l'acte conjugal ».

Quod autem, animadvertit orator, in hac inspectione omnes cautelae et regulae canonicae servatae fuerint, id evidentissime patet ex testimonio sanctimonialis St. Stanislas.

Neque in casu, iuxta patronum, ad Pontificis animum movendum pro elargienda dispensatione deficiunt causae et quidem gravissimae. Nam inter causas dispensationis eminet impotentia viri, ut videre est apud Schmalzgrueber *De Divortiis n. 55,* et Cosci *De Separatione tori, lib. I, cap. 16, n. 294.* Nam per eam, observat advocatus, cessat praecipuus ille matrimonii finis qui in sobole procreanda et ardore libidinis extinguendo constituitur.

Quod si doctissimus Sánchez *De Matrimon., lib. 2, disp. 16, n. 3* doceat « iustam causam concedendae dispensationis a matrimonio rato esse impotentiam supervenientem ante matrimonium consummatum, quia cessat matrimonii finis » quanto magis, notat orator, concedi debeat in praesenti casu impotentiae praecedentis ? Iam vero Leonis.

impotentiam nuptias praecessisse advocato constat ex agendi ipsius ratione, qui sollicitus fuit prima nuptiarum nocte variis futilibus praetextibus distincto lecto cubare, ut, propriam impotentiam veri tus, periculum uxori eam ostendendi removeret. « Il ne pouvait m'embrasser, testatur mulier, sans éprouver un énervement extraordinaire, et même sans être en état d'érection... Il éprouvait alors une très-grande souffrance parce qu'il ne pouvait jamais aboutir à une érection ». Et vir « Je connaissais les fins du mariage; j'avais la volonté de les atteindre ; un phénomène physique *que* j'ignorais m'en a empêché, ce phénomène est nerveux ».

Sed, prosequitur defensor, non antecedenti solum, verum etiam perpetua laborat impotentia. Enimvero licet Leo obscure responderit iudicis inquisitioni, neque tulerit ulterius urgeri super hoc puncto, veluti monent ipsi actorum moderatores; nihilominus talia habentur in actis indicia ut de insanabili morbo non sit ambigendum.

Nam, ut ait advocatus , adhibita pharmaca et curationes, saltem a tempore contracti coniugii (mense Iulio 1894) ad negatam medico Bourgeois dispensationem a secreto professionali (mense Iunio 1896) certum est per biennium ad nihilum prodidisse.

Hinc, animadvertit defensor, prae aliis dispensationis causis maxime urget in themate dubium circa valorem matrimonii cum valde praesumatur contractum cum impedimento naturali dirimenti. Et hoc grave dubium constituere urgentissimam causam ad dispensandum advertit Card. De Luca *De Matrim, par. 2* disc. 4, n. 8.* Hanc doctrinam confirmat praxis S. O. O. plurimis exemplis quae prostant in thesauro resolutionum eiusdem S. G. Quare, concludit, si dicta Leonis impotentia sufficiens esset ad declarandum irritum matrimonium, a fortiori erit valida ad impetrandum beneficium dispensationis.

Alias dispensationis causas advocatus invenit in periculo incontinentiae, ex eo quod actrix in ipso ineuntis iuventu-

tis fervore versatur, nec non in invincibili eiusdem repugnantia et aversione in virum, ac impossibilitate reconciliationis.

ANIMADVERSIONES VINDICIS S. VINCULI. EX adverso vinculi matrimonialis ex officio tutor contra testimonium medicorum Ferrand et Bucquoy, qui iussu iudicis Mariae corpus recognoverunt et illam virginem affirmarunt, insurgit. Et praeprimis horum testimonium parvipendit, quippe quod destituitur praecipuis circumspectionibus ad evitandas fraudes et deceptiones in gravissimo atque arduo negotio invectis. Porro testimonium huiusmodi ex praescripto legis in fide saltem quinque testium i uniti debet, qui testimonium ita dicere debent, ut quisque nesciat aliorum testimonium *Instr. S. C. C. diei 22 augusti 1840 § Procedendum et seq.* In praesenti autem duo solummodo testes, Ferrand et Bucquoy, negotium ex communi consensu absolverunt, ita ut dici iure possit testimonium unius.

Deinde prosequitur defensor, medici cognitores Ferrand et Bucquoy hymenem quamvis renuntient intactum, ita tamen illum constitutum dicunt, ut Maria facile comprimi absque hymenis laesione possit. Reque vera medicus Ferrand scribit : « Cet examen permet de constater que l'hymen est souple » : medicus Bucquoy refert : « Le bord interne de l'ouverture de Thymen est sans résistance... Cette ouverture de l'hymen se laisse facilement traverser ».

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C C . , re disceptata sub die *21* Augusti 1897 censuit respondere : *Affirmative.*

i

PINNEN.

CONCURSUS

Die 3 Aprilis 1897.

Sess. 24 c. 18 De Ref.

COMPENDIUM PACTI. Ad vacantem Praeposituram curatam loci Ilice Dioecesis Pinnen., regio Patronatui obnoxiam, in aedibus Episcopalibus die 5 Novembris anni 1895 concursus habitus est, at ea ratione fuit absolutus ut duabus quaestionibus aditum aperuerit.

Prima instantia ipsius concursus impetit valorem. Accidit enim ut ex quatuor candidatis ad examen, alter ab ipso periculo subeundo prohibitus fuerit, quidam Florindus Partenza, Praeposturae Oeconomus curatus. Quare hic confugit ad S. C. C. ut sua protueretur iura.

Altera instantia movetur a Sacerdote Aloysio De Galitiis, uno ex candidatis, qui conquestus est *de mala examinatorum relatione* eo quia ipse approbatus non fuerit.

Ad primam quaestionem quod spectat, instans retulit : sese, vacata Praepositum, nominatum ab Episcopo fuisse illius Vicarium curatum : cui nominationi accessit *regium placet;* sese vero ad Episcopale palatium accessisse, periculum facturum die qua locum habere debuit concursus, praevio supplici libello, praedito necessariis documentis ; ast praepeditum fuisse inter concurrentes adesse. Mirum id sibi fuisse, post Bullam ab Episcopo prius habitam in vicarium curatum ; quo munere cum laude functum fuisse sibi constat.

Episcopus sui agendi rationem significavit aiens : solam necessitatem suasisse nominationem Sacerdotis Partenza in oeconomum curatum, deficiente, illo in loco, quolibet alio Sacerdote ; dum alium extraneum mitti nequibat ob libellas 21 in mensem, quas oeconomus regius rependit in paroeciarum vacatione. Presbyterum Partenza, prosequitur Episcopus, ita invisum esse cuncto populo, ut plures recusent ab eo accipere Sacramenta et adsistentiam eius in mortis periculo.

Casus autem accidisse in quibus Curia debuit deputare alienos sacerdotes, ad sacramentum Baptismatis administrandum neonatis, quorum parentes operam sacerdotis Partenza omnino renuerunt.

Verum, uti iam relatum fuit, una cum instantia Sacerdotis Partenza, altera pervenit Sacerdotis De Galitiis recurrentis *a mala relatione examinatorum.* Ut appareret quanti facienda eafcet instantis querela, a Curia expetita sunt acta concursus quae a S. C. C. supposita fuerunt examini Consultoris. Hic, pervolutis actis, persensit, de valore sententiae examinatorum non posse ferri iudicium, quia non apparebat quanam methodo iidem processerint in dimetiendis candidatorum meritis.

Hinc percontatus de methodo examinis haec reposuit Ordinarius : summam punctorum quae dari solent casibus esse novem, idest tres pro quolibet casu ; et unum punctum conciunculae assignatum pariter esse ; ita ut approbandus consequi debeat minimum punctorum 5 ½ ; puncta vero moralium requisitorum, tribuuntur tantum, quando examinandus sit approbatus supra scientiam, aliter posthabentur.

Quam agendi rationem ita iudicavit idem Consultor : « Hanc methodum esse contrariam praescriptionibus S. Tri^ dentini Concilii et instructionibus datis ab hac S. Congregatione res evidentissima est. Examinatores enim tenentur idoneos declarare concurrentes *cumulative* quoad scientiam, aetatem, mores et reliqua moralia requisita. Idque eo vel magis (ni fallor) quando agitur de beneficiis iuris patronatus, prouti in casu verificari nos docet Episcopus ».

Episcopus certior factus de hisce Consultoris animadversionibus , a Pros, examinatoribus exquisivit an vellent a priori sententia discedere et Sacerdotem De Galitiis inter approbatos recensere. Ultro hoc praestiterunt examinatores, et hac ratione oratorem approbatum fuisse refert Episcopus in suis Uteris diei 1 Maii 1896.

Disceptatio Synoptica

Ex officio animadversum fuit, duobus quaestionem contineri dubiis I. nempe : *An concursus sustineatur in casu,* et quatenus affirmative :

II. *An constet de mala relatione examinatorum et quomodo providendum sit in casu.*

In themate validitati concursus obstare videtur exclusio Sacerdotis Partenza. Nam mens Concilii Trid., saepe explicata a S. C. C, est omnibus veniam facere concurrendi ad examen subeundum, ut facilius sit, clericum idoneum eligere ad vacantem eccl. parochialem. Hinc docet Fagnanus *in cap. Cum sit ars, De aet. et qualit. praef. n. 19,* posse Episcopum etiam criminosos et scandalosos describere in albo concurrentium, quia integrum est ei non approbare *in S. Marci et Bisiniani, Concursus die 22 Iulii 1850, § Si.*

Sacerdos vero Partenza, etsi Episcopo non videatur idoneus, qui Ecclesiae parochiali praeficiatur, tamen non exhibetur criminis reus aut scandalosus, neque ab ipso Episcopo indignus habitus est qui oeconomus constitueretur Ecclesiae vacantis.

Praeterea hic Sacerdos iam obtinuerat, ut describeretur in albo concurrentium quando ab aula examinis expulsus fuit. Siquidem tempore utili expetierat ut inter candidatos recenseretur , omnibus exhibitis appositis documentis, neque de reiectione instantiae ullum habuit nuncium, prouti par erat, ne cum omnium admiratione et gravi suspicione collusionis, repelleretur ab ipsa aula examinis.— Trid. Conc. *in Sess. 24, cap. 18, De ref.,* decernit: *Transacto constituto tempore omnes qui descripti fuerint examinentur,* etc. Saepius S.C.C, declaravit, omissionem examinis eius qui intra terminum praefixum in edicto comparuerat, neque fuerat reiectus, ipsum inficere concursum ; nam proposito dubio : *An omissio examinis Antonii Gnol, qui intra terminum in edicto praescriptum comparuerat et descriptus et protestatus fuerat velle se examini subiicere, sit contra formam substantialem dispo-*

sitionis a Sacro Concilio Trid. praescriptae, ita ut concursus ex hoc capite vitietur. S. C. C. respondit: *Omissionem examinis esse contra formam substantialem a Sacro Concilio Trid. in cap. 18, sess. 24, De ref. statutam ac propterea concursum ex hoc capite esse nullum;* in Tarraconen. die 18 Martii 1635. Hanc responsionem passim referunt canonistae et eamdem pluribus auctoritatibus firmat Pignatellius *Consult, tom. I;* unde deducit, communem esse sententiam, irritari omnino concursum quoties aliquis ex concurrentibus iam descriptus ad examen non admittatur.

Quoad aliam quaestionem, in primis examinatorum relatio non videtur fuisse exacta ad receptas regulas, nam solemne est in materia concursus ad paroecias, examinatores non debere seiunctim calcul um dare de scientia candidati, nulla habita ratione de ceteris qualitatibus moralibus ; nam Conc. Trid. in 1. c. iubet: « Peracto deinde examine renuncientur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint *aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis.* Ex hisque Episcopus eligat etc. ». Exinde S. C. C. quoties examinatores de scientia tantum iudicaverint, remissa Episcopi iudicio aestimatione de aliis omnibus qualitatibus, censuit nullius esse roboris huiusmodi examinatorum relationem, uti in *Urbinaten. 15 Iunii 1605,* relata in *Spoletana Concursus, die 8 Apr. 1848, § At.* — Et in *Larinen. Concursus, die 2 Sept. 1758,* extante eodem defectu in examinatorum relatione, proposita fuerunt, inter alia, haec dubia: II. *An constet de mala relatione examinatorum in casu.* Et quatenus affirmative, III. *An sit deveniendum ad, novum concursum in casu,* S. C. C. reposuit: *Ad secundum affirmative. Ad tertium affirmative coram Metropolitano.*

Neque videtur defectus evanuisse malae relationis eo quod examinatores postea approbaverat, longo temporis intervallo, Sacerdotem De Galitiis antea reprobatum. Non constat enim quodnam criterium prae oculis habuerint examinatores in recedendo a decisis ; seu an correxerint iudicium suum, circa

scientiae experimentum, vel potius accesserint rectae iudicandi normae. Sed gravius est vitium imo error secundus videtur peior priore; quia examinatores, tanta interiecta, mora, arbitrati sunt se reformare suam sententiam, quando e contra requiritur, quod quantum fieri potest, *uno contextu,* examen et relatio feratur. Ita ci. Santi *tit. De praeb, et dignit. n. 62* refert cum communi, « examinatores *debent vero ferre suffragium antequam* **CL** *loco examinis recedant ».* Verum hodie, aucta examinis materia, hoc passim non servatur, sed dispositionis servatur intentio, nempe quo citius fieri potest fit examinis relatio, et, prolata sententia, examinatores non secus ac iudices *sive bene, sive male functi sint munere suo,* sententiam corrigere non valent. Exinde canones concesserunt appellationem *a m.ala examinatorum relatione,* at ista fieri posset frustranea, si pro libito examinatoribus integrum esset variare sententiam.

Porro S. C. C. ad impediendos inutiles circuitus, atque ad longiorem praecavendam Ecclesiae viduitatem solet concedere actuum concursus sanationem. Revera refert Pallottini, *tom. 6, V. Concursus, § 2, 9,* « quod si absque culpa et dolo Ordinarii atque examinatorum Synodalium actus concursus nulliter expleantur, solet a Sacra Congr. sanatio nullitatis impertiri in *Policastren, die 18 Sept. 1745, § Adversus.* Item in *Lucana Concursus die 26 Augusti 1854, § Hanc.* — Si vero dubitetur an concursus nullitas revera fuerit commissa, gratia, ut aiunt sanatoria ad cautelam conceditur, iuxta resolutionem in praefata *Policastren, die 18 Septembris 1745 ».*

Praeterea quoad quaestionem dubii II *quomodo sit providendum in casu,* adverti debet quod si nulla declarentur acta concursus, neque sanentur, sed novus indicatur concursus, observanda est dispositio Const. S. Pii V *In conferendis,* praescribens « omnes et singulas collationes, provisiones praeter et contra formam a Conc. Trid., praesertim in examine per concursum faciendo, praescriptam, factas aut in futurum faciendas, nullas, irritas ac nullius roboris etc.

et parochiales Ecclesias... vacare... » easque sic vacantes Sedis Apostolicae dispositioni reservari. Exinde Fagnanus in *cap. Cum sit ars, De aet. et qualit. praef. n. 55,* haec habet « S. C. O. consulta ab Episcopo Carthaginensi an concursus et examen pro parochialibus factum a tribus vel quatuor examinatoribus Synodalibus una cum aliis tribus vel quatuor examinatoribus ab Ordinario tamen deputatis, sit contra formam Trid. Conc. et provisiones parochialium sic ab eo Ordinario factae, sint nullae et Sedi Ap. reservatae; respondit, esse contra formam a Trid. Conc. praescriptam, nulliusque esse momenti, et collationem ad Sedem Apost, vigore Const. Pii V esse devolutam ». Et hinc si novus fiat concursus, iuxta generales normas reservationis ex capite invalidi concursus, acta novi concursus transmittenda sunt ad Datariam, quae per seipsam deliberabit cuinam conferendum sit beneficium; ita ci. Santi */. c. n. 61.*

Quibus animadversis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An concursus sustineatur in casu.*

Et quatenus affirmative :

II. *An constet de mala relatione examinatorum et quomodo providendum sit in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 3 Apr. 1897, censuit respondere : *Ad I et II ; attentis peculiaribus adiunctis, in casu occurrentibus, supplicandum SSmum pro sanatione concursus* (1).

(1) Recole Vol. XI, 125; ubi colligitur, iurisprudentiam esse S. C. Concilii, firmatam innumeris resolutionibus, onus incumbere examinatoribus cumulandi tum doctrinam, tum ceteras qualitates et requisita concurrentium, ut ex omnibus coniunctis iudicium ferre valeant de idoneitate eorumdem. Qui autem plura prae oculis habere cupial quoad concursus, adeat Vol. VII, 340 usque ad 579: Vol. IX, 236; Vol. X, 127.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ANDEGAVEN. Beatificationis et Canonizationis ven. Servae Dei Sororis Mariae a S. Euphrasia Peiletier, fundatricis sororum a Bono Pastore.

Una ex pluribus religiosis feminis quae, saeculo superiore exeunte, clementissimusDeus excitavit in medio nationis gallicae ubi christianae ac civili societati a nefariis hominibus gravissima inflicta fuere vulnera, tantum religione et charitate sananda, clara veluti stella affulsit serva Dei Maria a S. Euphrasia Pelletier, Fundatrix Congregationis sororum a Bono Pastore. De ortu huius Servae Dei merito laetatur insula *Noimoutier* e dioecesi Lucionensi ubi a piis honestisque parentibus Iuliano et Anna Mourin die 31 Iulii 1796 in lucem prodiit, Rosae Virginiae nomine infantulae indito in sacro baptismi lavacro. Rerum caelestium studiosa et pietatis exercitiis sive domi sive in templo iugiter intenta, peculiari devotione prosequebatur Sanctum Philibertum illius insulae Patronum. Historiae sacrae et christianae cathechesi addiscendae operam dedit adeo diligentem, ut singulari praemio adolescentulis proposito meruerit cohonestan. Annum aetatis tertium decimum agens patrem amisit, et in solatium viduae matris duos fere annos mansit. Nam trilustris Turones missa fuit et convictum Dominae Choblet ingressa praeclaram habuit magistram Dominam De Lignac, dein sanctimonialium ursulinarum antistitam, quae Rosae Virginiae ingenium ac virtutem probavit et laudibus extulit. Eo in loco paulo post puellam perturbavi! amantissimae genitricis obitus, qui tamen eius sancto proposito stimulos addidit ad novum vitae statum in Congregatione Nostrae Dominae a charitate Refugii amplectendum. Ex libris ac litteris S. Teresiae animas Christo lucrari didicit, atque opportunis consiliis adiuta, Deo favente, die 20 Octobris anno 1814 ex aedibus Dominae Choblet ad proximam domum Refugii transiit. Verum puellae votis per aliquod tempus obstitit tutor Dominus Marceau ut clarior pateret divina vocatio et firmius Servae Dei propositum. Illuxit tamen auspicatissima dies Nativitatis B. M. Virginis anno 1815, qua haec columba, audita voce divini sponsi, ad eum convolavit. Tunc nomen Mariae a Sancta Euphrasia cum religioso habitu accepit et biennali tirocinio cum laude expleto, etiam religiosa vota laetissimo nuncupavit. Inde pietatis magistra mulieribus poenitentibus data, et postea, etsi iunior ceteris, ipsius domus antistita renuntiata fuit. Interim claustralem feminarum coetum a Sancta Magdalena instituit aptisque regulis munivit. In civitate Andegavensi, ex pecunia per legatum relicta et vigilantissimo Praesuli tradita, domus Refugii fundamenta iecit, eamque non modo erectam vidit, sed cum quinque sororibus anno 1829 incolere coepit. Turones reversa pro munere suo explendo, illi enim

religiosae domui adhuc praeerat, statim ac potuit, anno scilicet 1831 Andegavensem domum revisit, gubernavit et sacra aede auxit. Ampliato etiam instituto Nostrae Dominae a charitate Refugii, atque coetu a S. Magdalena, brevi tempore alias ordinavit consociationes, unam *a Providentia* pro orphanis puellis, alteram *a Praeservatione* pro adolescentulis periclitantibus, tertiam *a Beata Virgine Perdolente* pro feminis a coetu poenitentium consecratis. Quae fundationes maiora quoque coepere incrementa in aliis Galliarum dioecesibus, opera et studio Famulae Dei, instantibus locorum Ordinariis. Ineunte anno 1835, ad unitatem servandam, approbante per Apostolicas Litteras P. M. Gregorio XVI, universae congregationi a Bono Pastore nuncupatae, generalis antistita praeposita fuit, simulque domus princeps et sedes tirocinii constituta in civitate Andegavensi. Iucunditas autem Famulae Dei cumulata fuit cum Romam arcessita et ad pedes eiusdem Pontificis pro voluta, devoti gratique animi sensus aperuit; atque Apostolica Benedictione recreata in ipsa alma Urbe curam et regimen feminarum in custodiis degentium a sua Congregatione suscipi vidit, sub auspiciis illius Principis iustitiae et dementiae consulentis. Andegavum reversa de Congregationis suae firmitate et amplitudine semper sollicita, pro qua nec curis nec laboribus unquam pepercit, saevi cancri morbo lente consumpta et Ecclesiae sacramentis refecta, die 24 Aprilis anno 1868, obdormivit in Domino, centum et decem domus religiosas et fere novendecim millia alumnarum ex instituto principe et ex aliis coetibus Congregationis Boni Pastoris veluti suam haereditatem, relinquens. Quum vero sanctimoniae fama, quam Famula Dei adhuc vivens adepta fuerat, post obitum magis in dies increbuerit, Processus Ordinarius super ea rite confectus et in Urbem delatus, Sacrae Rituum Congregationi exhibitus fuit. Hinc ad humillimas preces Rmi Dñi Antonii Savelli Spinola Causae Postulatoris, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per decreta 11 Februarii et 17 Maii 1895, probatis scriptis Servae Dei ut ad ulteriora procedi possit, ab interventu et voto Consultorum super dubio introductionis ipsius Causae in Congregatione Ordinaria proponendo et discutiendo dispensare dignatus est. Quare instante praedicto Postulatore, nomine etiam universae Congregationis sororum a Bono Pastore, atque attentis Litteris Postulatoriis nonnullorum Emorum S. R. E. Cardinalium et plurium Sacrorum Antistitum atque Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium, nec non religiosarum communitatum, piarum consociationum atque illustrium virorum ex variis regionibus, infrascriptus Cardinalis Sacrae Rituum Congregationi Praefectus et huiusce Causae Relator, in Ordinariis Comitiis, subsignata die, ad Vaticanum habitis sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* » Atque Emi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post

relationem ipsius infrascripti Cardinalis Ponentis, audito R. P. D. Ioanne Baptista Lugari, Sanctae Fidei Promotore, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuerunt: « *Affirmative, seu signandam esse Commissionem si Sanctissimo Domino placuerit* ». Die 7 Decembris 1897.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per ipsum infrascriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Rituum Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Venerabilis Servae Dei Mariae a S. Euphrasia Pelletier, die undecima iisdem mense et anno.

CAMILLUS CARD. MAZZELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI S. *R. C. Secretarius.*

RESCRIPTUM quoad cultum tribuendum sacrae Spinae e Corona D. N. I. C.

Rmus P. Commissarius Generalis Fratrum Minorum Observantiam de Provincia Calabriae S. R. Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit, nimirum:

In Conventu Fratrum Minorum Franciscalium de observantia prope Petiliam, Policastrum ac Provinciae Calabriae, abhinc tribus saeculis una colitur Spina Coronae D. N. I. C. Sanguine conspersa et quondam a Rmo Archiepiscopo S. Severinae, in cuius dioecesi situm est oppidum, iuridice recognita et approbata. Haec autem S. Reliquia cum exponitur Fidelium venerationi, super tabernaculum collocari solet, in quo SSmum Sacramentum asservatur et ante ipsam transeuntes utrumque flectunt genu; et ipsi Sacerdotes ante eam expositam celebrantes omnia peragunt, quae ante SSmum Sacramentum expositum fieri solent. Idem vero Rmus P. Commissarius Generalis sua canonica visitatione, haec omnia nonnisi SSmae Eucharistiae ratus convenire ex ecclesiastica institutione, iussit ab his abstineri et omnia peragi ad tramitem Decretorum Sacrae Rituum Congregationis. Quod aegre ferentibus quibusdam, ut efficacius, in casu, omnis abusus eliminetur, et debitus honor Sacrae Spinae D. N. I. C tribuatur, praedictus Orator ab eadem Sacra Congregatione enixe postulavit:

I. Utrum praefati usus approbari, vel saltem tolerari possint?

II. Et quatenus negative, quis sit legitimus cultus eidem S. Spinae tribuendus?

Et ipsa Sacra Congregatio, referente subscripto Secretario, attentis expositis, utrique postulato rescribendum censuit: « Stetur Decretis, praesertim Decreto in *Tridentina* d. d. 12 Mar-

tii 1836, (1) aliisque respicientibus cultum exhibendum ac praescriptum pro Reliquiis viviflcae Crucis aliorumque instrumentorum Passionis Dominicae ».

Atque ita rescripsit. Die 17 Septembris 1897.

LUCIDUS M.[a] CARD. PAROCCHI

L. & S.

DIOMBDES PANICI, *S. R.* C. *Secretarius.*

URBIS ET ORBIS. Indulgetur Congregationi Clericorum regularium S. Pauli Barnabitarum recolere festum natalicium S. Antonii Mariae Zaccaria die V. Iulii.

Ad humillimas preces Rmi P. Aloisii Cacciari, Procuratoris Generalis et Postulatoris Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatas, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, ex ipsius Sacrae Congregationis consulto, concedere dignatus est, ut, translato in diem VII. Iulii, vel, hac impedita, in primam diem subsequentem liberam, iuxta rubricas, festo assignato Ss. Cyrilli et Methodii PP. CC., alterum festum natalitium S. Antonii Mariae Zaccaria Confessoris, cum Officio de Comm. Conf. non Pont. et lectionibus I. Nocturni, de Scriptura occurrente, et II. et III. Nocturni, Oratione ac Missa propriis, iam approbatis et concessis praedictae religiosae Congregationi, die V. Iulii ab universa Ecclesia, sub ritu duplici minori, post annum 1898, singulis annis recolatur. Insuper idem Sanctissimus Dominus noster supradictum Officium cum Missa de S. Antonio M. Zaccaria, sub praedicto ritu, in Calendario Universali et in novis editionibus Breviarii et Missalis Romani deinceps inscribi mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 Decembris 1897.

C. CARD. MAZZELLA EP. PRAENESTIN. *S. R. C Praef.*

L. * S.

D. PANICI *S. R. C. Secret.*

(1) Decretum in *Tridentina* **ad I declarat, Reliquiam SS. Crucis super Tabernaculo, asservante Eucharistiam, non esse exponendam. Alterum in** *Varsavien,* **ad 12 declarat, ante Reliquiam SS. Crucis expositam loco principe in altari, unico genu esse flectendum. Haec autem ab aliis quoque confirmantur Decretis.**

ADDITIONES ET VARIATIONES in rubricis generalibus et specialibus Breviarii et Missalis Romani inducendae ex Decreto diei II Decembris 1897.

ADDENDA ET VARIANDA

IN RUBRICIS GENERALIBUS BREVIARII ROMANI.

I. *De Officio duplici.*

N. 2. Festum duplex celebratur aut de eodem fit commemoratio eo die quo cadit, nisi illud contingat transferri, ut dicetur in Rubrica de Translatione Festorum.	**N. 2. Festum duplex celebratur aut de eodem fit Commemoratio eo die quo cadit, nisi illud contingat transferri « aut penitus omitti », ut dicetur in Rubrica de Translatione Festorum.**
N. 6. Preces ad Primam et Completorium, et Suffragia de Sancta Maria, Sancto Ioseph, Apostolis et Pace, ad Vesperas et Laudes non dicuntur in Officio duplici, ut etiam in propriis eorum Rubricis dicetur.	**N. 6. Preces ad Primam et Completorium, et Suffragia de Sancta Maria, Sancto Ioseph, Apostolis, « Titulo », et Pace ad Vesperas et Laudes non dicuntur in Officio duplici, ut etiam in propriis eorum Rubricis dicetur.**

IL *De Officio semiduplici.*

N. 2. De Festo semiduplici fit eo die quo cadit, aut de illo ponitur commemoratio, ut dicetur in Rubrica de Translatione Festorum.	**N. 2. De Festo semiduplici fit eo die quo cadit, aut de illo ponitur Commemoratio, « vel penitus omittitur », ut dicetur in Rubrica de Translatione Festorum.**

IV. *De Dominicis.*

N. 1. De Dominica semper fit Officium in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagésima usque ad Dominicam in Albis inclusive, quocumque Festo Duplici, vel Semiduplici adveniente: quia tunc Festum transfertur, aut de eo fit commemoratio (ut in Rubrica de Translatione Festorum dicetur), nisi illud Festum sit de principali Titulo vel Patrono alicujus Ecclesiae, vel loci, aut Dedicatione propriae Ecclesiae; quia tunc de huiusmodi Festo fit tantum in Ecclesia vel loco, cuius est Titulus vel Patronus vel Dedicatio, cum Commemoratione Dominicae; quibusdam Dominicis exceptis, ut dicetur in Rubrica de Commemorationibus. Id pariter servatur quoad alia Festa primae classis, in praedictis Dominicis occurrentia. In aliis Dominicis per annum fit de Dominica, etc.	**N. 1. De Dominica semper fit Officium in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagésima usque ad Dominicam in Albis inclusive, quocumque Festo Duplici, vel Semiduplici adveniente: quia tunc Festum transfertur, aut de eo fit Commemoratio «aut penitus omittitur»(ut in Rubrica de Translatione Festorum dicetur), nisi illud Festum sit « Duplex primae classis » ; quia tunc « fit tantum » de huiusmodi Festo, cum Commemoratione Dominicae; quibusdam Dominicis exceptis ut dicetur in Rubrica de Commemorationibus. In aliis Dominicis per annum fit de Dominica, etc.**

VII. *De Octavia.*

N. 3.
ut dicetur in eadem Rubrica de Translatione Festorum. Infra Octavam Epiphaniae fit tantum de Patrono vel Titulari Ecclesiae, et de Dedicatione ejusdem (non tamen in die Octava) cum commemoratione Octavae. Infra Octavam Corporis Christi, etc.

N. 3.
ut dicetur in eadem Rubrica de Translatione Festorum. Infra Octavam Epiphaniae fit tantum « de Duplicibus primae classis (non tamen in die Octava) i, cum Commemoratione Octavae. Infra Octavam Corporis Christi, etc.

VIII, *De Officio S. Mariæ in Sabbato.*

N. S. Dicuntur Preces Dominicales ad Primam et Completorium, ei fiunt Suffragia consueta de sancto Ioseph, de Apostolis et de Pace, et tempore Paschali sola commemoratio de Cruce, ut in secunda Feria post Octavam Paschae. Post Nonam nihil fit de ea, nisi consueta eius commemoratio, cum aliis Suffragiis, quando dicenda sunt in Officio de Dominica.

N. S. Dicuntur Preces Dominicales ad Primam et Completorium, ei fiunt Suffragia consueta de sancto Ioseph, de Apostolis, « de Titulo », et de Pace, et tempore Paschali sola Commemoratio de Cruce, ut in secundia Feria post Octavam Paschsp. Post Nonam nihil fit de ea, nisi consueta ejus Commemoratio cum aliis Suffragiis, quando dicenda sunt in Officio de Dominica.

IX. *De Commemorationibus.*

N. 8. Commemorationes fiunt hoc modo : Post Orationem diei, in primis Vesperis dicitur Antiphona quae posita est ad *Magnificat,* **et in Laudibus quae posita est ad** *Benedictus* **in Communi (si propriam non habuerit) conveniens eius Officio, cuius fit commemoratio. Post Antiphonam dicitur Versus, inde sumendus, unde sumpta est Antiphona, scilicet post Hymnum Vesperarum et Laudum: deinde dicitur Oratio. Si Antiphona et Versus Festi, de quo fit commemoratio, sumenda essent ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, in Festo commemorationis variantur, ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus, et in Laudibus ex primis Vesperis eiusdem Communis, nisi aliter signetur. Et similiter si in secundis Vesperis sanctae Agathae, aut alterius sancta? novem Lectionum fieri debeat commemoratio beatae Mariae, pro eius Officio in sequenti Sabbato celebrando, ne repetatur** *t. Diffusa est gratia,* **dicatur** *t. Benedicta tu, ex* **Laudibus. Si item occurrat, ut eadem sit**

N. 8. Commemorationes fiunt hoc modo: Post Orationem diei, in primis Vesperis dicitur Antiphona quae posita est ad *Magnificat,* **et in Laudibus quae posita est ad** *Benedictus* **in Communi (si propriam non habuerit) conveniens ejus Officio, cujus fit commemoratio. Post Antiphonam dicitur Versus, inde sumendus, unde sumpta est Antiphona, scilicet post Hymnum Vesperarum et Laudum: deinde dicitur Oratio. Si Antiphona et Versus Festi « simplicis », de quo fit Commemoratio, sumenda essent ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, in Festo Commemorationis variantur, ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus, et in Laudibus ex primis Vesperis eiusdem Communis, nisi aliter signetur. « Si vero ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, sumenda essent Antiphona et Versus Festi redacti ad instar simplicis, tunc in primis Vesperis Antiphona et Versus sumantur e secundis; si Festum utrasque Vesperas habeat, in Laudibus e primis Vesperis, et in secun-**

Oratio Festi de quo fit Officium, et ejus de quo fit commemoratio, mutetur Oratio pro commemoratione in aliam de Communi. Si de Tempore fiat commemoratio, de Dominica scilicet, vel Feria, Antiphona et Versus ante Orationem eodem modo sumantur ex Proprio de Tempore, si habuerint proprium, alioquin de Psalterio, Oratio vero ex Proprio de Tempore.

dis Vesperis Antiphona s matur e Laudibus et Versus e primis Vesperis, nisi aliter signetur: excepto casu, quo Commemoratio alicuius S. Virginis facienda sit in Festo alterius S. Virginis; tunc enim in primis Vesperis pro S. Virgine de qua agitur Commemoratio, Antiphona sumenda erit e Laudibus. Quando vero Festum ad instar Simplicis recolendum Commemorationem in secundis Vesperis ob Festum duplex prima?, vel secundae classis immediate sequens non habeat, fit ut supra dictum est de Festis simplicibus ». Et similiter si in secundis Vesperis sanctae « Angelae Mericiae », aut alterius Sanctae novem Lectionum fieri debeat Commemoratio beatae Mariae, pro eius Officio in sequenti Sabbato celebrando, ne repetatur *t. Diffusa est gratia,* dicatur *. *Benedicta tu,* ex Laudibus. Si item occurrat, ut eadem sit Oratio Festi de quo fit Officium, et ejus de quo fit Commemoratio, mutetur Oratio pro Commemoratione in aliam de Communi. Si de Tempore fiat Commemoratio, de Dominica scilicet, vel Feria, Antiphona et Versus ante Orationem eodem modo sumantur ex Proprio de Tempore, si habuerit proprium, alioquin de Psalterio, Oratio vero ex Proprio de Tempore.

N. Ii. Quando contingit fieri plures •commemorationes, servetur hic ordo. De Duplici, licet agatur tamquam Simplex, fiat ante Dominicam, de Dominica ante Festum semiduplex, de Semiduplici, etiam quando reducitur ad modum Simplicis, ante diem infra Octavam, de die infra Octavam, ante Ferias Adventus, Quatuor Temporum, Vigiliarum, et Rogationum, et de dictis Feriis ante Festum simplex. De sancta Maria (quando in secundis Vesperis Festi novem Lectionum, quod Feria sexta celebratum sit, de ea fieri debet Commemoratio pro Officio sequentis Sabbati) fiat ante Festum simplex in Sabbato occurrens. De Festo simplici fit commemoratio ante Suffragia, seu communes Commemorationes

N. ii. « Quando contingit fieri plures Commemorationes, illae semper praeponantur, quae ad Officium pertinent, cuiuscumque sit ritus; exceptis illis, quae ab Officio, de quo agitur, nunquam separantur, uti de sancto Paulo Apostolo in Cathedra sancti Petri etc., prout in Rubricis specialibus suo loco dicetur. Deinde servetur hic ordo: 1. De Dominica privilegiata, 2. de die Octava, 5. de Duplici maiori, 4. de Duplici minori, ad instar Simplicium redactis, S. de Dominica communi, 6. de die infra Octavam Corporis Christi, 7. de Semiduplici, 8. de die infra Octavam communem ad simplicem ritum pariter redactis, 9. de Feria majori vel Vigilia, IO. de Simplici » De sancta Maria (quando in secundis Ve-

de Cruce, sancta Maria, sancto Ioseph, Apostolis et de Pace, et ante commemo ^ rationem cuiuscumque Tituli, vel Patroni Ecclesias, quas etiam pro sui dignitate aliis Suffragiis praedictis praeponeretur. De quibus Suffragar, quomodo et quando facienda sint, habetur inferius propria Rubrica.

speris Festi novem Lectionum, quod Feria sexta celebratum sit, de ea fieri debet Commemoratio pro Officio sequentis Sabbati) fiat ante Festum simplex in Sabbato occurrens. De Festo simplici fit Commemoratio ante Suffragia, seu communes Commemorationes de Cruce, sancta Maria, sancto Ioseph, Apostolis et de Pace, et ante Gommemorationem cuiuscumque Tituli, vel Patroni Ecclesias, quae etiam pro sui dignitate aliis Suffragiis praedictis praeponeretur. De quibus Suffragiis, quomodo et quando facienda sint, habetur inferius propria Rubrica.

X. *De Translatione Festorum.*

N. 1. Si aliquod Festum Duplex occurrat in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagésima usque ad Dominicam in Albis inclusive, in Vigilia Nativitatis Domini, in die Circumcisionis, in tota Octava Epiphaniae, in Feria quarta Cinerum, in tota maiori Hebdomada, et infra Octavam Paschae, in Ascensione Domini, in diebus a Vigilia Pentecostes usque ad Festum Sanctissimae Trinitatis inclusive, in Festo Corporis Christi et eius die Octava, in Festo Immaculatae Conceptionis et Assumptionis beatae Mariae Virginis, in Festo sancti Ioseph Sponsi eiusdem, et Omnium Sanctorum; transfertur in primam diem Festo duplici vel semiduplici non impeditam, exceptis tamen Festis Nativitatis sancti Ioannis Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quae in die octava Corporis Christi celebrantur: excepto quoque Festo quocumque solemni alicuius loci, quod in propria tantum Ecclesia, etiam in aliquibus ex supradictis diebus occurrens, scilicet in Dominicis secunda, tertia et quarta Adventus, et Quadragesimae, Dominica Septuagesimae, Sexagesimae, et Quinquagesimae, et diebus infra Octavam Epiphaniae (ut in Rubrica de Commemorationibus dictum est) celebratur. Si autem Festum Purificationis beatae Mariae

N. 1. Si aliquod Festum duplex occurrat in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagésima usque ad Dominicam in Albis inclusive, in Vigilia « et Festo » Nativitatis Domini, in die Circumcisionis, in « Festo ac » tota Octava Epiphaniae, in Feria quarta Cinerum, in tota maiori Hebdomada, et infra Octavam Paschae, in Ascensione Domini, in diebus a Vigilia Pentecostes usque ad Festum Sanctissimae Trinitatis inclusive, in Festo Corporis Christi, et eius die Octava, in Festo « Saeratissimi Cordis Iesu, in Festis » immaculatae Conceptionis, « Annuntiationis » et Assumptionis beatae Mariae Virginis, « in Nativitate sancti Ioannis Baptistae », in Festo sancti Ioseph Sponsi eiusdem « beatae Mariae Virginis, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli », ac Omnium Sanctorum, transfertur in primam diem Festo duplici vel semiduL. plici non imp editam, exceptis tamen Festis Nativitatis sancti Ioannis Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quae in die Octava Corporis Christi « et in Festo Saeratissimi Cordis Iesu » celebrantur: excepto quoque Festo quocumque solemni alicuius loci, quod in propria tantum Ecclesia, etiam in aliquibus ex supradictis diebus occurrens, scilicet in Dominicis secunda, tertia et

venerit in aliqua Dominica secunda? classis, transfertur in Feriam secundam sequentem, quamvis impeditam. « Idemque est de Annuntiatione beata? Maria? » Item si Festum Nativitatis sancti Ioannis Baptista? venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem cum commemoratione Octava?, ei in secundis Vesperis Corporis Christi fit tantum commemoratio sancti Ioannis: sequentibus autem diebus fit Officium de eadem Octava Corporis Christi, cum commemoratione Octava? sancti Ioannis. Dies autem Octava sancti Ioannis tunc veniens in die Octava Corporis Christi, non transfertur, sed de illa eo anno fit tantum commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus diei Octava? Corporis Christi: et id semper servetur, quando Festum habens Octavam transfertur: ut non ideo dies Octava transferatur, sed ipsa die de ea fiat commemoratio, qua? alias erat Octava, si Festum non fuisset translatum. Quod si Festum post totam suam Octavam transferri contigerit, illo anno celebretur sine Octava: nisi Titularis Ecclesia? privilegio aliter fieri oporteat. Festa tamen duplicia minora, exceptis illis Sanctorum Ecclesia? Doctorum, si occursu Dominica?, vel maioris Festi seu Officii quomodocumque impediantur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus commemoratio, et legitur nona Lectio historica ad Matutinum, si tamen hasc eo die fieri possint; secus huiusmodi Festa duplicia minora eo anno penitus omittuntur, ut in praecedenti Rubrica dictum est num. 7 et 10, et infra de Simplici dicetur num. 8. Iisdem comprehenduntur regulis alia Festa duplicia, quorum translationi in toto anni decursu locus non superest.

quarta Adventus, et Quadragesima?, Dominica Septuagésima?, Sexagesima? et Quinquagesimae, et diebus infra Octavam Epiphania? (ut in Rubrica de Commemorationibus dictum est) « et excepto Festo primario solemni in Festo Saeratissimi Cordis Iesu » celebratur. Si autem Festum Purificationis beata? Maria? Virginis venerit in aliqua Dominica secunda? classis, transfertur in Feriam secundam sequentem quamvis impeditam. Item si Festum Nativitatis sancti Ioannis Baptista? venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem, cum Commemoratione Octava?; et in secundis Vesperis Corporis Christi fit tantum Commemoratio sancti Ioannis: sequentibus autem diebus fit Officium de eadem Octava Corporis Christi cum Commemoratione Octava? sancti Ioannis- Dies autem Octava sancti Ioannis tunc veniens in die Octava Corporis Christi, non transfertur, sed de illa eo anno fit tantum Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus diei Octava? Corporis Christi: et id semper servetur quando Festum habens Octavam transfertur; ut non ideo dies Octava transferatur, sed ipsa die de ea fiat Commemoratio, qua? alias erat Octava, si Festum non fuisset translatum. Quod si Festum per totam suam Octavam transferri contigerit, illo anno celebretur sine Octava: nisi Titularis Ecclesia? privilegio aliter fieri oporteat. Festa tamen duplicia minora, exceptis illis Sanctorum Ecclesia? Doctorum, si occursu Dominicae, vel maioris Festi seu Officii quomodocumque impediantur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus Commemoratio, et legitur nona Lectio historica ad Matutinum, si tamen ha?c eo die fieri possint; secus huiusmodi Festa duplicia minora eo anno penitus omittuntur, ut in praecedenti Rubrica dictum est num. 7 et 10, et infra de Simplici dicetur num. 8. Iisdem comprehen-

duntur regulis alia Festa duplicia, quo rum traslalioni in toto ann idecursufloeus non superest. « Festa tamen duplicia minora, quamquam non sint Doctoris Ecclesiae, si quotannis a digniori Officio impediantur, imponuntur in prima die libera, tamquam in propria sede perpetuo recolenda ».

N. 5. Festum semiduplex occurrens diebus supradictis, et infra Octavam Corporis Christi, et aliis Dominicis per annum, non transfertur, sed ipso die quo cadit, de eo fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, et legitur nona Lectio historica, aut illud penitus omittitur, ut supra de Duplici minóri dictum est.

N. o. Festum semiduplex occurrens diebus supradictis, et infra Octavam Corporis Christi, et aliis Dominicis per annum, non transfertur, sed ipso die quo cadit, de eo fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, et legitur nona Lectio historica, aut illud penitus omittitur, ut supra de Duplici minori dictum est. « Festum tamen semiduplex, si quotannis ab Officio digniori impediatur, reponitur in prima die libera, tamquam in propria sede perpetuo celebrandum, uti de Duplici minori superius cautum est».

N. 6. Si duo vel plura Festa novem Lectionum simul eodem die veniant, fiat Officium de maiori, id est, de Duplici, et de Semidupiici fiat commemoratio, ut supra. At si omnia fuerint Duplicia, vel omnia Semiduplicia, fiat de digniori, seu solemniori, et quae Duplicia minoris solemnitatis sunt, si transferri valeant, transferantur : aliter de eis, quemadmodum de Semiduplicibus fiat commemoratio, iuxta superius explicata.

N. 6. Si duo vel plura Festa novem Lectionum simul eodem die veniant, fiat Officium de maiori, id est, de Duplici, et de Semiduplici fiat Commemoratio, ut supra. At si omnia fuerint Duplicia, vel omnia Semiduplicia, fiat de digniori, seu solemniori, « videlicet, de Festo potioris ritus prae alio ritus inferioris, aut in paritate ritus de primario prae secundario, aut, iisdem primariis vel secundariis, de digniori ratione personae, aut, in paritate dignitatis de fixo prae mobili, aut denique, ceteris paribus, de magis proprio prae minus proprio»; et quae Duplicia minoris solemnitatis sunt, si transferri valeant, transferantur : aliter de eis, quemadmodum de Semiduplicibus, fiat Commemoratio «aut penitus omittantur», iuxta superius explicata.

N. 7. Si plura Festa duplicia ex iis quae transferri possunt, transferenda sint, quod est magis solemne semper prius transferatur, et prius celebretur: alioquin si sunt aequalia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus.

N. 7. Si plura Festa duplicia ex iis quae transferri possunt, transferenda sint, quod est magis solemne semper prius transferatur, et prius celebretur: alioquin si sunt aequalia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus: « quod .etiam serva-

bitur in Festis duplicibus minoribus, et semiduplicibus perpetuo impeditis ».

XI. *De Concurrentia Officii.*

N. 4. Semiduplici Festo, Dominica, ei die infra Octavam concurrentibus cum sequenti Duplici, omnia de Duplici cum commemoratione illorum, nisi Duplex fuerit ex numero maiorum, quas supra in Rubrica de Commemorationibus numerala sunt, in quibus nulla fit commemoratio praecedentis. Semiduplici Festo concurrente cum sequenti alio Semiduplici, cum Dominica, « vel cum die infra Octavam », a Capitulo fit de sequenti, et commemoratio praecedentis, nisi aliter signetur. Semiduplici autem concurrente cum sequenti Feslo simplici, vel cum Officio beatae Mariae in Sabbato, omnia de Semiduplici, cum commemoratione sequentis

N. 4. Semiduplici Festo, Dominica, et die infra Octavam, concurrentibus cum sequenti Duplici, omnia de Duplici cum Commemoratione illorum; nisi Duplex fuerit ex numero maiorum, quae supra in Rubrica de Commemorationibus numerata sunt, in quibus nulla fit Commemoratio praecedentis. Semiduplici Festo concurrente cum sequenti alio Semiduplici, « vel » cum Dominica, a Capitulo fit de sequenti, et Commemoratio praecedentis, nisi aliter signetur. « Eodem vero Semiduplici concurrente cum sequenti die infra Octavam, Vesperae erunt de illo, cum Commemoratione Octava?. ». Semiduplici autem concurrente cum sequenti Festo simplici, vel cum Officio beatae Maria? in Sabbato, omnia de Semiduplici, cum Commemoratione sequentis.

N. 6. Die infra Octavam concurrente cum sequenti Dominica, « vel Semiduplici», a capitulo fit de sequenti, cum commemoratione Octavae. Dies infra Octavam cum Simplici proprie non habet concursum, quia in sequenti die infra Octavam non fit de Simplici nisi commemoratio, quae et eadem ratione in praecedenti die infra Octavam fieri debet.

N. 6. Die infra Octavam concurrente cum sequenti Dominica, a Capitulo fit de sequenti, cum Commemoratione Octava?. « Die vero infra Octavam concurrente cum sequenli Semiduplici, Vesperae erunt de sequenti, cum Commemoratione Octava? ». Dies infra Octavam cum Simplici proprie non habet concursum, quia in sequenti die infra Octavam non fit de Simplici nisi Commemoratio, qua? et eadem ratione in praecedenti die infra Octavam fieri debet.

N. 7. Die Octava concurrente cum alia die Octava, a Capitulo fit de sequenli, cum commemoratione praecedentis, excepta Octava Corporis Christi, concurrente cum Octava sancti Ioannis Baptistae, in qua de sequenti fit tantum commemoratio, et quando aliter in propriis locis notatur. Die Octava concurrente cum sequenti Duplici minori, etiam translato, a Capitulo fit de sequenti, cum commemoratione Octavae (exceptis diebus Octavis Festivitatum beatae Mariae Vir-

N. 7. Die Octava concurrente cum alia die Octava, « ceteris partibus », a Capitulo fil de sequenti cum Commemora tione praecedentis, excepta Octava Corporis Christi, concurrente cum Octava sancti Ioannis Baptistae, in qua de sequenti fit « Commemoratio, etiam occurrente Feslo Duplici prima? classis Saeratissimi Cordis Iesu » ei quando aliter in propriis locis notatur. Die Octava concurrente cum sequenti Duplici minori, etiam translato, « ceteris paribus », a Ca-

ginis, etiam particularibus alicuius Religionis, in quibus de sequenti fit tantum commemoratio). Concurrente vero cum sequenli Duplici maiori, eliam translato, totum Officium fit de sequenti, cum commemoratione Octavae, excepta die Octava Epiphania?, Pascha?, Ascensionis, « et Corporis Christi », in quibus de sequenti fit tantum commemoratio. Si autem sequens Festum etiam translatum, fuerit ex solemnioribus supra enumeratis in Rubrica de Commemorationibus, in secundo ordine num.. 6, totum Officium fit de sequenti, cum commemoratione Octava?.

pitulo fit de sequenti... cum commemoratione Octava? (exceptis diebus Octavis « Festorum primariorum » beata? Maria? Virginis, etiam particularibus àlieujus Religionis, « sanctorum Angelorum, sancti Ioannis Baptista?, sancti Ioseph Sponsi beata? Maria? Virginis et Sanctorum Apostolorum », in quibus de sequenti fit tantum Commemoratio). Concurrente vero cum sequenti Duplici maiori, etiam translato, totum Officium fit de sequenti cum Commemoratione Octava?: excepta die Octava Epiphania?, Pascha?, Ascensionis, «aliisque Festis primariis Domini », in quibus de sequenti fit tantum Commemoratio. Si autem sequens Festum, etiam translatum, fuerit ex solemnioribus supra enumeratis in Rubrica de Commemorationibus in secundo ordine num. 6, totum Officium fit de sequenti, cum Commemoratione Octavas. « Ceteris vero non paribus, quando dies Octava, cum alia die Octava concurrit, Vesperae integra? fiunt de illa, qua? est Festi potioris ritus, aut primarii, aut dignioris ratione persona?, cum Commemoratione alterius. Concurrente autem cum Festo duplici, Vesperas erunt, vel de die Octava, vel de duplici cum Commemoratione alterius, prouti de Octavis inter se concurrentibus dictum est; exceptis Octavis Festorum Domini et B. Maria? Virginis, ut supra».

XII. *De ordinando Officio ex praedictis Rubricis.*

N. 5. In Festis beata? Maria? (omissis iis, qua? propria in illis habentur) Hymni, novem Psalmi, et alia quasdam requirenda sunt ex communi eius Officio, circa finem Breviarii.

N. o. In Festis beata? Maria? (« exceptis » iis, qua? propria in illis habentur) Hymni, novem Psalmi, et alia quasdam requirenda sunt ex communi eius Officio, circa finem Breviarii, « quod inscribitur: In Festis beata? Maria? Virginis per annum ».

XX. *De Hymnis.*

N. 3. Dicuntur autem in Officio de Tempore ut in Psalterio, quando proprii Hymni in Proprio de Tempore non adsunt : qui Hymni de Psalterio in Domi-

N. 3. Dicuntur autem in Officio de Tempore ut in Psalterio, quando proprii Hymni in Proprio de Tempore non adsunt : qui Hymni de Psalterio in Domi-

nicis, et Feriis assignati dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum (Dominica infra Octavam Corporis Christi excepta) et ab Octava Epiphaniae usque ad Dominicam primam Quadragesimae exclusive. In Officio de Sanctis dicuntur ut in Communi Sanctorum, nisi proprii in Proprio Sanctorum habeantur.

nicis, et Feriis assignati dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum (Dominica infra Octavam Corporis Christi excepta) et ab Octava Epiphaniae usque ad Dominicam primam Quadragesimae exclusive. In Officio de Sanctis dicuntur ut in Communi Sanctorum, nisi proprii in Proprio Sanctorum habeantur. « Quando in aliquo Festo adsint tres Hymni proprii historici, et Hymnus proprius in primis Vesperis dici nequeat, tunc hic Hymnus dicitur ad Matutinum, Hymnus Matutini ad Laudes, ac Hymnus Laudum ad secundas Vesperas; si vero secundae Vesperae non sint de hoc Festo, tunc Hymnus Vesperarum coniungitur cum Hymno Matutini sub unica conclusione ».

N. 4. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, in Festo Corporis Christi et per Octavam, et quandocumque fit Officium beatae Mariae tam novem, quam trium Lectionum, etiam tempore Paschali, in fine omnium Hymnorum (praeterquam in fine Hymni *Ave Maris stella.* Et Hymni ad Laudes in Festo Corporis Christi, qui habet ultimum versum proprium) dicitur : *Iesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine, etc.,* ut in eius Officio parvo, etiamsi dicantur Hymni de Sanctis, qui infra Octavas praedictas celebrantur, dummodo Hymni illi sint eiusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, ut Hymnus sanctae Crucis ad Vesperas, et plurimorum Martyrum ad Matutinum.

N. 4, In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, in Festo Corporis Christi et per Octavam, et quandocumque fit Officium beatae Mariae tam novem, quam trium Lectionum, etiam tempore Paschali in fine omnium Hymnorum (praeterquam in fine Hymni *Ave maris stella,* et Hymni ad Laudes in Festo Corporis Christi, « atque Hymnorum in Festo Septem Dolorum beatae Mariae Virginis mense Septembri », qui « habent » ultimum versum proprium) dicitur: *Iesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine, etc.,* ut in eius Officio « per annum », etiamsi dicantur Hymni de Sanctis, qui infra Octavas praedictas celebrantur, dummodo Hymni illi sint eiusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, ut Hymnus sanctae Crucis ad Vesperas, et plurimorum Martyrum ad Matutinum.

XXXV. *De Commemorationibus communibus, seu Suffragiis Sanctorum.*

N. 2. Tempore Paschali fit alia commemoratio de Cruce, ut ibi ponitur in Laudibus Feriae secundae post Dominicam in Albis, et ea solum tunc dicitur; non tamen in Duplicibus, neque infra Octavas.

N. 2. Tempore Paschali fit alia Commemoratio de Cruce, ut ibi ponitur in Laudibus Feriae secundae post Dominicam in Albis, et ea solum tunc dicitur; non tamen in Duplicibus, neque infra Octavas, « neque in Officio votivo de sanctissimo Eucharistiae Sacramento, aut de Passione Domini ».

DtLE TABELLAE

EX RUBRICIS GrENBRALIBUS EXCERPTA

In quarum prima statim videri poterit de quo celebrandum erit Officium, si plura eodem die Festa occurrant.

In secunda vero, quomodo Officium praecedens concurrat in Vesperis cum Officio sequentis diei.

Ex utraque Tabella hoc ordine reperietur quod quaeritur.

Primum inveniatur numerus positus in quadrangulo illo, in quo Festa, de quibus est controversia, sibi invicem occurrunt: deinde legatur regula iuxta dictum numerum descripta, et ex ea clare videbitur quid sit agendum.

Exempli gratia: Quadrangulus, in quo sibi invicem occurrunt Duplex primae classis et Dominica primae classis, erit qui est in angulo superiori primae Tabellae, in quo signatus est numerus 1, quia si ad eum iam Duplex quam Dominica praedicta ex eorum locis recto tramite pergerent, in eo sibi invicem occurrerent. Regula autem iuxta dictum numerum apposita sic habet:

1. *Translatio de primo, Officium de secundo.* **Id est, Duplex primae classis praedictum transferatur, et Officium fiat de Dominica primae classis: quia cum in his regulis dicitur de primo seu praecedenti, intelligitur de Festo in superiori parte Tabellae apposito, ut Duplex praedictum; cum de secundo vel sequenli, de Festo in inferiori parte sub numeris apposito, ut Dominica praedicta.**

In aliquibus autem quadrangulis nullus appositus est numerus, vel quia nullus occursus, neque concursus esse potest, vel quia in propriis locis adnotatur in Breviario quid sit agendum.

Scire tamen oportet quae sint Duplicia primae et secundae classis, et majora per annum, et qua? Dominicae, et Feriae maiores dicantur.

Duplicia primae classis,

in quibus nulla fit Commemoratio quorumcumque Festorum occurrentium, nisi prout supra in Rubricis.

Nativitas Domini.
Epiphania Domini.
Pascha Resurrectionis, cum tribus antecedentibus et duobus sequentibus diebus.
Ascensio Domini.
Pentecostes, cum duobus sequentibus diebus.
Festum Corporis Christi.
« Festum Saeratissimi Cordis Iesu ».
Immaculata Conceptio, « Annuntiatio », et Assumptio B. M. V.
Nativitas S. Ioannis Baptistae.
Festum S. Ioseph Sponsi B. M. V.
Festum Ss. Apostolorum Pelri et Pauli.
Festum Omnium Sanctorum.
Dedicatio propriae Ecclesiae.
Patronus, vel Tilulus Ecclesiae.

DUPLICIA SECUNDAE CLASSIS,

[in quibus de Simplicibus, fit Commemoratio in Laudibus tantum ; de aliis ut in Rubricis.

Circumcisio Domini.
Festum Ssmi Nominis Iesu.
Festum Ssmae Trinitatis.
Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. G.
Inventio Sanctae Crucis.
Purificatio B. Mariae V.
Visitatio B. Mariae V.
Nativitas B. Mariae V.
« Solemnitas SSmi Rosarii B. Mariae. V. ».
Dedicatio S. Michaelis Archangeli.
Festum Patrocinii S. Ioseph, Sponsi B. M. V.
Natalitia undecim Apostolorum.
Festa Evangelistarum.
Festum S. Stephani Protomartyris.
Festum Ss. Innocentium Martyrum.
Festum S. Laurentii Martyris.
Festum S. Annae, Matris B. Mariae V.
Festum S. Ioachim, Patris B. Mariae V.

DOMINICAE MAIORES

DIVIDUNTUR IN DUAS CLASSES.

DOMINICA PRIMAE CLASSIS,

quæ nunquam omittuntur.

Prima Adventus.
Prima Quadragesimae.
Passionis.
Palmarum.
Paschae.
In Albis.
Pentecostes.
Trinitatis.

DOMINICAE SECUNDA CLASSIS,

quæ non omittuntur, nisi occurrente « Duplici primee classis, et tunc de iis fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus ».

Secunda Adventus.
Tertia Adventus.
Quarta Adventus.
Dominica Septuagesimae.

Dominica Sexagesima?.
Dominica Quinguagesiina?.
Secunda Quadragesimae.
Tertia Quadragesimae.
Quarta Quadragesimae.

DUPLICIA MAIORA PER ANNUM,

quæ aliis Duplicibus minoribus præferuntur.

Transfigurado Domini.
Exaltatio sanctae Crucis.
« Dedicatio Archibasilicae Ssmi Salvatoris ».
Duo Festa Septem Dolorum B. M. V.
Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo.
Dedicatio S. Mariae ad Nives.
Festum Ssñii Nominis Mariae.
Festum de Mercede B. M. V.
Praesentatio B. M. V.
Apparitio S. Michaelis Archangeli.
Festum Ss. Angelorum Custodum.
Decollatio S. Ioannis Baptistae.
Cathedra S. Petri Apostoli utraque.
Festum eiusdem ad Vincula.
Conversio S. Pauli Apostoli.
Commemoratio S. Pauli Apostoli.
« Dedicatio Basilicarum Ss. Apostolorum Petri et Pauli ».
Festum S. Ioannis ante Portam Latinam.
Festum S. Barnaba? Apostoli.
Festum S. Benedicti Abbatis.
Festum S. Dominici Confessoris.
Festum S. Francisci Assisien. Confessoris.
Festum Patronorum minus Principalium.

FERIAE MAIORES,

de quibus semper fit Commemoratio.

Adventus.
Quadragesima?.
Quatuor Temporum.
Secunda Rogationum.

CATALOGUS FESTORUM

QVM UTI PRIMARIA, VEL SECUNDARIA RETINENDA SUNT, EX DECRETIS GENERALIBUS S.R. C. DIEI 27 AUGUSTI 1894 ET S FEBRUARII 1895.

FESTA PRIMARIA

IN KALENDARIO UNIVERSALI.

i **i.** *Duplicia primae classis.*

Nativitas Domini.
Epiphania Domini.
Pascha Resurrectionis.
Ascensio Domini.
Pentecostes.
Festum Corporis Christi.
Immaculata Conceptio, «Annuntiatio», et Assumptio B. M. V.
Nativitas S. Ioannis Baptistae.
Festum S. Ioseph, Sponsi B. M. V.
Festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli.
Festum Omnium Sanctorum.
Dedicatio propriae Ecclesiae.
Titulus Ecclesiae.
Patronus Principalis Regionis, vel Dioecesis, aut loci.

§ II. *Duplicia secundœ classis.*

Circumcisio Domini.
Festum Ssmae Trinitatis.
Purificatio B M. V.
Visitatio B. M. V.
Nativitas B.. M. V.
Dedicatio S. Michaelis Archangeli.
Natalitia Undecim Apostolorum.
Festa Evangelistarum.
Festum S. Stephani Protomartyris.
Festum Ss. Innocentium Martyrum.
Festum S. Laurentii Martyris.
Festum S. Annae, Matris B. M. V.
Festum S, Joachim, Patris B. M. V.

i III. *Duplicia maiora per annum.*

Transfigurado Domini.
Dedicatio Archibasilicae Ssmi Salvatoris.
Dedicatio S. Mariae ad Nives.
Festum Ss. Angelorum Custodum.
Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli Apostolorum.
Festum S. Barnabas.

Festum S. Benedicti Abb.
Festum S. Dominici Conf.
Festum S. Francisci Conf.
Festum Patronorum minus Principalium.

1 **IV.** *Alia Duplicia per annum.*

Dies Natalitia, vel quasi Natalitia uniuscuiusque Sancti.

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

S. Gabrielis Archangeli.
S. Raphaelis Archangeli.
Dies Natalitia, vel quasi Natalitia uniuscuiusque Sancti.
Commemoratio Sanctorum, quorum Corpora, vel Reliquia? in Ecclesiis Dioeceseos asservantur.

FESTA SECUNDARIA

IN KALENDARIO UNIVERSALI.

§ **I.** *Duplicia primœ classis.*

Saeratissimi Cordis Iesu.

I **II.** *Duplicia secundae classis.*

Festum Ssmi Nominis Iesu.
Festum Inventionis S. Crucis.
Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.
Solemnitas Ssnli Rosarii B. M. V.
Festum Patrocinii S. Ioseph, Sponsi B. M. V.

§ **III.** *Duplicia maiora.*

Exaltatio S. Crucis.
Duo Festa Septem Dolorum B. M. V.
Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo.
Festum Ssmi Nominis B. M. V.
Festum de Mercede B. M. V.
Praesentatio B. M. V.
Apparitio S. Michaelis Archangeli.
Decollatio S. Ioannis Baptistae.
Cathedra S, Petri Apost, utraque.
Festum eiusdem ad Vincula.
Conversio, et Commemoratio S. Pauli Apost.
Festum S. Ioannis ante Portam Latinam.

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

Officia Mysteriorum et Instrumentorum Passionis D. N. I. C.
Ssmi Redemptoris.
Sancta? Familia? Iesu, Maria?, Ioseph.

Purissimi Cordis Maria?.
Desponsationis, Maternitatis, Puritatis, Patrocinii B. M. V.
Translationis Almae Domus B. M. V.
Exspectationis Partus B. M. V.
B. M. V. Auxilium Christianorum.
Prodigiorum B. M. V.
Apparitionis B. M. V. Immaculata?.
Manifestationis B. M V. Immaculatae, a sacro numismate.
Commemoratio Omnium Ss. Summorum Pontificum.

Item alia quaecumque Festa sive Domini, sive B. M. V. sub aliquo peculiari titulo, sive Sanctorum, praeter eorumdem natalem diem, uti Inventionis Corporum, Translationis, Receptionis, Patrocinii, et hisce similia.

SI OCCURRAT EODEM DIE

Duplex prima? classis,
Duplex secunda? classis,
Duplex per annum maius,
Duplex Doctoris Ecclesia?,
Duplex per annum minus,
Dies infra Octavam,
Dies Octava,
Semiduplex,
Simplex,
S. Maria in Sabbato,
Festa maior,
Vigilia,

1. Translatio de primo, Officium de secundo.
2. Officium de primo, Translat. de secundo.
3. Commem. de primo, Officium de secundo.
4. Officium de primo, Commem. de secundo
5. Nihil de primo,Officium de secundo.
6. Officium de primo, nihil de secundo.
7. Officium de digniori, Commemor. de minus

Officium de digniori, Translatio de minus digno.

1. Notandum, quod Duplex quodcumque, eliam Patroni et Tituli Ecclesia?, vel Dedicationis eiusdem, occurrens in Vigilia Nativitatis Domini et Pentecostes, in die Circumcisionis, in die Octava Epiphaniae, in Feria quarta Cinerumjac in tota maiori Hebdomada, et infra Octavam Pascha? et Pentecostes, in Ascensione Domini,

in Feslo Corporis Christi, in Festis Immaculata? Conceptionis, « Annuntiationis », et Assumptionis B. M. V., « in Nativitate sancti Ioannis Baptistae », in Festo S- Ioseph, SS.. Apostolorum Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum, transfertur, si transferri valeat, aliter de eo fit Commemoratio ipso die quo cadit, vel penitus omittitur, ut ponitur in propriis Rubricis.

2. Infra Octavam Epiphaniae fit tantum « de Duplicibus primae classis occurrentibus » cum Commemoratione Octava?. Alia Festa « novem Lectionum in prima die libera » post Octavam « perpetuo celebrantur : de Simplicibus vero fit tantum Commemoratio, ut supra ».

3. Infra Octavam Corporis Christi, de Semiduplici occurrente fit tantum Commemoratio, neque fit de Duplici translato, nisi sit prima? vel secunda? Classis, et de ea, quocumque adveniente Duplici, fit commemoratio..

4. Infra illas Octavas, in quibus fit de Festis occurrentibus, de Semiduplici occurrente in Dominica, fit Commemoratio, uti alias iuxta Rubricas.

5 De Octava Nativitatis Domini, Epiphania?, et Corporis Christi, semper fit commemoratio, quocumque Festo in illis occurrente.

6. De aliis Octavis, quae non sunt in Kalendario, nihil fil a Feria quarta Cinerum usque ad Dominicam in Albis, et a Vigilia Pentecostes usque ad Festum Ssma? Trinitatis inclusive, et a die 17 Decembris usque ad Epiphaniam.

7. Dies Octava? numquam transfertur: ideo quamquam Nativitas S. Ioannis Baptista? occurrens in die Corporis Christi, transferatur in diem sequentem; non tamen transfertur Octava, sed de ea fit tantum Commemoratio in Officio de Octava Corporis Christi.

8. «Si accidat ut» Patronus «loci», vel Titulus Ecclesia? descriptus sit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, « qui separari queunt », in ea Ecclesia, « vel in loco», fit tantum de Titulari, vel Patrono. Alii si in dicto Kalendario descripti sint sub « ritu » Duplici « maiori, vel » minori, aut Semiduplici, « transferuntur perpetuo in diem primam liberam, et de eis fiat Officium Semiduplex, Si vero sint ex Duplicibus i. aut ii. classis, similiter in diem primam liberam perpetuo transferantur, et de eis fiat Officium sub eodem ritu, ac si propria die celebrarentur ». Si autem in Kalendario omnes sint tamquam Festum simplex, de eis nihil fit.

9. De Feriis Adventus et Quadragesima?, quando de eis non fit Officium, fit Commemoratio in utrisque Vesperis, ei Laudibus cuiuscumque Festi: de Quatuor Temporibus, et Feria secunda Rogationum, ac Vigiliis, in Laudibus tantum. Si vero aliqua Vigilia occurrat in Adventu, Quadragesima, et Quatuor Temporibus, vel in diebus Festorum duplicium prima? classis, sive Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Ecclesia?, de ea nihil fil, nec etiam in Laudibus.

(sequitur)

QUANDO CONCURRIT.

Dominica primae et secundae classis,	0	4	3	4	4	5	3	3	5	3	0
Dominica per annum,	0	04	45	5 4	4 4 4	3 3	55	11	11	1	0
Duplex primae classis,	2	2 2 2	44	2	4 4	44	4	66	44 6	6	4
Duplex secundae classis,	4	44	44	4 4	4 4 4	4 4	44	55	66	3	4
Patronus, seu Titulus Ecclesiae,	2	2 2	2 4 4	22	44	4 4	4	0	0 4 4	00	4
Duplex per annum maius,	4	4	4	4	4	4	6	1	3	1	4
Duplex per annum minus,	4	44	4 5	5 4 4	44	55	55	1	3	1 1	4
Semiduplex,	4 4	44	3	4 4	5	55 5	3	11	11	1 1	5
Dies Octava,	4	4 4 4	o 5	44	44	5 5	3	11	35	1 1	4
Dies infra Octavam.	0	0 0	5 5	4	53	5 3	5	1	1 1 1	i1	5
1. Totum de sequenti, nihil de praecedenti. 2. Totum de praecedenti, nihil de sequenti. 5. Totum de sequenti, Commemoratio de praecedenti. 4. Totum de praeced., Commemoratio de sequenti. 5. Capitulum de seq., Commemoratio de praecedenti. 6. Totum de digniori, Commemoratio de minus digno: « in paritate dignitatis, a Capitulo de sequenti ». Simplex, et S. Maria in Sabbato, Feria et Vigilia non concurrunt.	Sancta Maria in Sabbato.	» o" p P o S? p	» C o F	« w Sj	»	« C 5' 2 p 3 c o œ	ö 2 p g p o' CD	» Si o C» CD o" B o o CE" Ss'	e c 'S 5' Ifj V-	Ö c S! p (r. V''	

1. Notandum, quod in primis Vesperis diei Octavae Ascensionis et Corporis Christi, « aliorumque Festorum primariorum Domini», totum Officium fit de Octava cum Commemoratione praecedentis Festi duplicis, nisi fuerit Festum solemne principale, aut primae vel secundae classis; quia tunc de Festo fieret Officium, et Commemoratio de Octava.

2. In secundis Vesperis diei Octavae « Festorum Domini, si primaria fuerint et solemniora, uti» Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, «aliorumque», de sequenti Duplici, «si concurrat», fit tantum Commemoratio, nisi «hoc» fuerit primae vel secundae classis; quia tunc de « eo » fieret Officium, et de Octava Commemoratio. « Die » Octava Corporis Christi in secundis Vesperis « nulla fit Commemoratio sequentis Duplicis (Saeratissimi Cordis Iesu), nisi concurrat » cum die Octava S. Ioannis Baptistae, « et tunc » Vesperae erunt de Octava Corporis Christi, cum Commemoratione Octavae S. Ioannis.

« 5. Diebus Octavis Festorum primariorum B. Mariae V., etiam particularibus alicuius Religionis, Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph et Sanctorum Apostolorum de praecedenti, vel sequenti Duplici minori fit tantum Commemoratio. »

4. In secundis Vesperis Duplicis primae classis fit Commemoratio de Festis duplicibus et semiduplicibus reductis ad modum Simplicis « tantummodo, si » huiusmodi Commemoratio facienda sit die sequenti. In Duplicibus tamen secundae classis de dictis Festis fit Commemoratio « in utrisque Vesperis ad instar Octavae et Dominicae, uti in Rubricis generalibus de Commemorationibus dictum est »; non

fit vero Commemoratio de die infra Octavam, nisi quando de ea fieri debeat Officium die sequenti.

5. Cum plures fiunt Commemorationes, servetur hic ordo: «Post Orationem Officii currentis, 1. de Dominica privilegiata, 2. de die Octava, 3. de Duplici maiori, 4. de Duplici minori ad instar Simplicium redactis, 5. de Dominica communi, 6. de die infra Octavam Corporis Christi, 7. de Semiduplici, 8. de die infra Octavam communem ad simplicem ritum pariter redactis, 9. de Feria maiori vel Vigilia, 10. de Simplici.

ADDENDA ET VARIANDA

IN RUBRICIS SPECIALIBUS BREVIARII ROMANI

i. *Ad calcem Feriae II. ad Laudes.*

Deinde dicitur Oratio propria. Et quando in feriali Officio fiunt Commemorationes communes de S. Maria, de S. Ioseph, de Apostolis et de Pace, ante eas tam in Laudibus quam in Vesperis fit sequens, etc.

Deinde dicitur Oratio propria. Et quando in feriali Officio fiunt Commemorationes communes de S. Maria, de S. Ioseph, de Apostolis, « de Titulo » et de Pace, ante eas tam in Laudibus quam in Vesperis fit sequens etc.

2. *Die 28. Decembris.*
In Festo Ss. Innocentium Mm.

Si Festum S. Thomae impediatur a Dominica, celebratur eo anno Feria secunda insequenti tamquam in sede propria, et in Sabbato post Orationem Ss. Innocentium dicitur Ant., *t.* et Oratio Dominicae, quae paulo infra habetur. Deinde fit Commemoratio Octavarum: et in II. Vesperis Dominicae fit Commemoratio S. Thomae et Octavarum.

In IL Vesperis S. Thomae Antiphonae et Psalmi de Nativitate quae duplicantur: Capit, et alia de S. Silvestro cum Commemoratione S. Thomae et Octavarum.

Si Festum S. Thoma? « venerit in Dominica, tunc in II. Vesperis Ss. Innocentium fit Commemoratio S. Thoma?, deinde Dominica? (Ant., *t.* et Oratio ut infra) et postea fiunt Commemorationes Octavarum ».

« Die vero Dominica in Officio S. Thoma? legitur ix. Lectio de Homilia, et in Laudibus fit Commemoratio Dominica? ante Commemorationes Octavarum.. In II. autem Vesperis S. Thoma? Antiphona? et Psalmi de Nativitate ritu duplici, Capit, et reliqua de S. Thoma, cum Commemorationibus Dominica? et Octavarum ».

3. *Dominica infra Octavam Nativitatis.*

In II. Vesperis S. Thoma?, quando non venerit in Dominica, Antiph, et Ps. de

« In II. Vesperis S. Thomae omnia decuntur sicut in II. Vesperis diei Nativitatis

Nativitate; Capit. *Fratres, quanto tempore,* ut ad Laudes ; Hymnus, *Jesu Redemptor.*

ritu duplici, Capit, et reliqua de S. Thoma. Deinde fit Commemoratio Dominicae et quatuor Octavarum ».

4. *In die infra Octavam Nativitatis.*

Si dies post Festum S. Thomae fuerit Sabbatum, Officium fit de Octava Nativitatis, hoc modo : In II. Vesp. S. Thomae omnia dicuntur sicut in II. Vesp. diei Nativitatis, sed non duplicantur Antiphonae; et post Orationem Nativitatis fit Commemoratio S. Thomae, deinde S. Stephani et aliarum Octavarum.

Si dies post Festum S. Thomae fuerit Sabbatum, Officium fit de Octava Nativitatis, hoc modo : In II. Vesperis S. Thomae omnia dicuntur sicut in II. Vesp eris diei Nativitatis « ritu duplici : Capit, et reliqua de S. Thoma. Deinde fit Commemoratio Octavae Nativitatis » et aliarum Octavarum.

In Epiphania Domini.

Infra Octavam Epiphaniae si occurrat Festum Duplex ex maioribus vel alicuius Doctoris Ecclesiae, transfertur post Octavam, nisi fuerit Patroni vel Titularis Ecclesiae, vel Dedicatio eiusdem. De aliis vero Duplicibus, de Semiduplicibus et Simplicibus fit Commemoratio iuxta Rubricas.

Infra Octavam Epiphaniae « non fit nisi de Duplicibus primae classis occurrentibus. Alia Festa novem Lectionum prima die libera post dictam Octavam perpetuo celebrantur. De Festis vero trium Lectionum fit tantum Commemoratio » juxta Rubricas.

In die Octava Epiphania.

Si Octava Epiphaniae venerit in Sabbato, in secundis Vesperis Octavae fit Commemoratio Dominicae II. post Epiphaniam. Quando autem Septuagésima etc.

Si Octava Epiphaniae « occurrerit » in Sabbato, « secundae Vesperae erunt de Ssmo Nomine Jesu, cum Commemoratione eiusdem diei Octavae et Dominicae II. post Epiphaniam tantum ». Quando autem Septuagésima etc

Dominica I. in Quadragesima.

Si hac die et in aliis Dominicis Quadragesimae etc.

« Tota expungatur »,

In fine diei Octavee Ascensionis Domini.

Si vero Feria sexta occurrat Festum novem Lectionum, fit de Festo cum Commemoratione Officii ejusdem diei, nisi illud Festum fuerit ex solemnioribus, ut dicitur in Rubricis de Commemorationibus.

Si vero Feria sexta occurrat Festum novem Lectionum, « etiam translatum », fit de Festo cum Commemoratione Officii eiusdem diei, nisi illud Festum fuerit ex solemnioribus « primae classis; tunc enim Commemoratio Feriae semper omittitur. Si autem fuerit Duplex secundae classis, fit tantum Commemoratio in secundis Vesperis ».

9. *Sabbato, in Vigilia Pentecostes.*

Ab hac die usque ad Festum Trinitatis inclusive, si occurrat Festum Duplex ex maioribus vel alicuius Doctoris Ecclesias, transfertur post praedictum Festum Trinitatis. De aliis vero Duplicibus et de Semiduplicibus fit tantum Commemoratio, excepto triduo Pentecostes.

Ab hac die usque ad Festum Trinitatis inclusive, si occurrat Festum Duplex ex maioribus vel alicuius Doctoris Ecclesiae, transfertur post praedictum Festum Trinitatis. De aliis vero Duplicibus, de Semiduplicibus « ac de Simplicibus » fit tantum Commemoratio « sine ix. Lectione (nisi sit Vigilia Pentecostes, in qua dicitur) » excepto triduo Pentecostes.

10. *Dominica Pentecostes.*

Si infra Octavam Pentecostes etc.

« Expungatur integra ».

11. *Ante Festum Corporis Christi, seu ad calcem, Rubricæ post Feriam IV. infra Hebdomadam I. post Octav. Pentecostes.*

In die Octavae non fit nisi de Nativitate S. Ioannis, et de Festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, vel de alio ex solemnioribus, si occurrant, cum Commemoratione Octavae.

« Die vero Octava » non fit nisi « de Duplici primae classis cum Commemoratione eiusdem diei Octavae; et secundae Vesperae dicuntur sine ulla Commemoratione ».

12. *Ad calcem diei 10. Decembris. Tertia die infra Octavam Immaculata Conceptionis B. Mariæ V.*

Vesperae a Capit, de sequ. cum Commemoratione Octavae et Feriae.

Vesp. « de sequ. » cum Commemoratione Octavae et Feriae.

13. *Ad calcem diei U. Decembris. S. Damasi I. Papa Conf.*

Vesperae a Capit, de Oct. cum Commem. S. Damasi. Ant. *Dum esset. t. Iustum.* **Postea de Feria.**

« In II. Vesp. Ant. *Dum esset. #. Iustum.* **Commem. Oct. et Feriae ».**

14. *Ad calcem diei 13. Decembris. In Festo S. Lucia Virginis et Mart.*

Quando Festum S. Lucias incidit in Dominica III. Adventus, etc.

« Integra expungatur ».

15. *Die 14. Decembris. Septima die infra Octavam Immaculata Conceptionis B. M. V.*

Statim addatur:

T Si hodie faciendum sit de aliquo Duplici minori translato alicuius Doctoris

Ecclesias, in eius secundis Vesperis omnia dicuntur de die Octava, ut in primis Vesperis Festi, cum Commemoratione praecedentis et Ferias, nisi hasc dies Octava occurrerit in Dominica, tunc enim Vesperas fiunt de Duplici translato cum Commemorationibus Dominica? et diei Octavas.,

i 6. *Dominica II. post Epiphaniam.*
In Festo Sanctissimi Nominis Iesu.
Duplex 2. classis.

Occurrente Dominica Septuagésima? reponitur hoc Festum in die 28. Ianuarii, tamquam in sedem propriam (translato quocumque alio Festo, si alicubi occurrat et transferri valeat, nisi sit altioris ritus): et tunc legitur nona Lectio de S. Agnete secundo, et fit de ea Commemoratio in Laudibus tantum. De Festo Duplici minori etc.

Occurrente Dominica Septuagésima? reponitur hoc Festum in die 28. Ianuaiii, tamquam in sede propria (translato quocumque alio Festo, si alicubi occurrat et transferri valeat, nisi sit altioris ritus, « aut aequalis, sed primarium ») et tunc legitur nona Lectio de S. Agnete secundo, et fit de ea Commemoratio in Laudibus tantum. De Festo Duplici minori etc.

17., *Die 15. Ianuarii.*
S. Pauli primi Eremitæ Conf.
Post Orationem **Intercessio nos etc.**

Sed si Festum S. Pauli alia die celebretur, non variantur Ant. et *tt.,* sed dicuntur ut in eodem Communi.

Si Festum S. Pauli alia die « alicubi » celebretur, « aut si de S. Mauro fiat tantum Commemoratio in Laudibus », non variantur Ant. et *tt.,* sed dicuntur ut in Communi.

18. *Die 5. Februarii.*
S. Agathæ Virginis et Mart.
Duplex.

In I. Vesp. quando dicuntur integras, Ant. erunt *Quis es tu.* cum reliqu. de Laudibus. Ps. *Dixit Dominus,* cum reliqu. de Communi Apost. Capit, de Laudibus.

In I. Vesp. quando dicuntur integra?, Ant. erunt *Quis es tu.* cum reliquis de Laudibus. Psalmi *Dixit Dominus,* cum reliquis « ut in I. Vesp. » de Communi Apost. Capit, de Laudibus.

19. *Die 6. Februarii.*
Ad calcem officii S. Titi Episc. Conf.

Si vero hoc Festum alia die celebretur extra Quadragesimum, et in illa non occurrat, etc.

Si hoc Festum « alicubi » alia die celebretur (extra Quadragesimam), et in illa non occurrat, etc.

20. *Die 8. Martii.*

Ad calcem Officii S. Ioannis de Deo Conf.

In Quadragesima Lectio ix. de Homilia Feria? occurrentia et Commem. in Laudibus.

Vesp. a Capit, de Sequ. cum Commem. procèdent, et Feriae.

In Quadragesima ix. Lectio de Homilia Feria? occurrentis et Commem. in Laudibus.

« Si hoc Festum occurrat ante Feriam IV. Cinerum, vel alicubi celebretur post Pascha, neque occurrat cum eo Festum Simplex habens Lectionem propriam, nona Lectio erit : *Si ergo diligere.* **ut in eadem Dominica XVII. post Pentecosten ».**

Vesp. a Capit, de sequ. cum Commem- praecedentis et Feria?.

21. *Die 19. Martii.*

S. Ioseph, Sponsi B. Maria Virginis, Conf.

Duplex L classis.

In I. Vesperis.

Ant. 1. Iacob autem etc.

« Si hoc Festum occurrerit in Dominica Passionis, transferendum erit in Feriam secundam immediate sequentem: et quoties inciderit in Maiorem Hebdomadam, reponendum erit in Feria quarta post Dominicam in Albis, tamquam in sede propria ».

In I. Vesperis.

Ant. 1. Iacob autem etc.

22. *Die 25. Martii.*

In Annuntiatione B. Maria Virginis.

Duplex « prima » classis.

Si hoc Festum venerit in Dominica privilegiata, transferendum erit ad Feriam II. immediate sequentem, translato quocumque Festo Duplici etiam aequalis, non tamen altioris ritus. De Festo autem Duplici minori (excepto Festo alicujus Doctoris Ecclesia?) vel Semiduplici occurrente, fit tantum Commem. in utrisque Vesperis et Laudibus. Si vero occurrerit in Hebdomada Maiori vel Paschali, transferendum erit (pari cum privilegio) in Feriam II. post Dominicam in Albis, servato ritu Paschali.

« Si hoc Festum venerit Feria VI. in Parasceve vel Sabbato Sancto, transferendum erit in Feriam II. post Dominicam in Albis, tamquam in sedem propriam, integra cum solemnitate ac feriatione et sine Octava, servato tamen ritu Paschali. Si vero occurrerit in Dominica Passionis, transferatur in Feriam II. immediate sequentem: quodsi incidat in Hebdomadam Maiorem vel Paschalem, ad enuntiatam Feriam II. post Dominicam in Albis amandetur, ac nonnisi Festo primario eiusdem ritus occurrente, valeat impediri, quo in casu in sequentem diem similiter non impeditam, transferatur ».

25. *Feria VI. post Dominicam Passionis.*
Septem Dolorum B. Mariœ Virginis.
Duplex Maius.

Si in hae Feria occurrerit Festum altioris ritus seu dignitatis, tunc Festum Septem Dolorum transferendum erit ad Sabbatum immediate sequens quocumque Feslo etiam aequalis non tamen altioris ritus seu dignitatis in eo incidente: quod si transferri ad Sabbatum non possit, erit omittendum.

Si omittenda? sint primae Vesperae, etc.

« Quando Festum Septem Dolorum B. M. V. hac Feria celebrari nequit ob occursum alicuius Festi altioris ritus, aut aequalis sed primarii, vel potioris dignitatis », transferendum « est in » Sabbatum immediate sequens, « simili modo non impeditum. Quod si neque in dicto Sabbato celebrari potuerit, eo anno omittatur ».

Si omittendae sint primae Vesperae, etc.

24. *Die 17.. Maii.*
S. Paschalis Baylon Conf.
Duplex.
Ad calcem vi. Lectionis.

Alexander autem octavus sanctorum catalogo adscripsit.

Alexander autem octavus sanctorum catalogo adscripsit : « tandem Leo decimustertius peculiarem coetuum eucharisticorum, item societatum omnium, a Sanctissima Eucharistia, sive quae hactenus institutae, sive quae in posterum futurae sunt, Patronum coelestem declaravit et constituit ».

25. *Die 18. Maii.*
S. Venantii Mart.
Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. praeter seq.

Si hoc Festum alia die celebrari contigerit, et in i. Vesperis non sit faciendum a Capitulo, tunc sequens hymnus *Martyr Dei.* **dicendus erit ad Matutinum coniunctim cum alio hymno** *Athleta Christi,* **sub una conclusione** *Sit laus Patri.* **Alias dicatur prout infra positum est.**

In I. Vesperis.

Hymnus.

Martyr Dei Venantius, etc.

Omnia de Communi unius Mart. praeter seq.

Si hoc Festum « in utrisque Vesperis habeat solam Commemorationem, tunc hymnus ad primas Vesperas coniungitur cum hymno ad Matutinum cum conclusione *Sit laus Patri.* **Si vero integras habeat tantum secundas Vesperas, tunc hymnus** *Martyr Dei.* **dicitur ad Matutinum,** *Athleta Chisti.* **ad Laudes, hymnus** *Dum nocte,* **dicitur in secundis Vesperis ». Alias dicatur « uti infra inscribitur ».**

[n I. Vesperis.

Hymnus.

Martyr Dei Venantius, etc.

26. *Die 19, Maii.*
S, Petri Cœlestini Pa.pœ Conf..
Post ix. Lectionem pro S. Pudcntiana.

Si hoc Festum alia die celebrari contingat, ix. Lectio dicitur *Et Paulus-* **de Communi Apostolorum 2. loco, ut supra.**

Si hoc Festum « alicubi » alia die «celebretur, et in illa non occurrat Festum simplex habens lectionem propriam », Lectio ix. erit : *Et Paulus,* **de Communi Apostolorum 2. loco, ut supra.**

27. *Die 27. Iunii.*
Quarta die infra Octavam Nativitatis S. Ioannis.
Post ix. Lectionem.

Vesperas a Capit, de sequ. cum Commem. Oct. S. Joannis.

Vesperae « de sequ. » cum Commem. Oct. S. Ioannis.

28. *Ante diem 30. Iunii.*

Si Commemoratio S. Pauli venerit in die Octava Corporis Christi, extra propriam ecclesiam transfertur in primam diem infra Octavam, Dominica vel Festo non impeditam: et totum Officium fit ut in propria ecclesia.

Die 30. iunii.
In Commem. S. Pauli Apost.
Duplex maius.

Si Commemoratio S. Pauli venerit in die Octava Corporis Christi, extra propriam ecclesiam, transfertur «iuxta Rubricas», in primam diem «liberam», ac totum Officium fit ut in propria ecclesia.

Die 30. Iunii.
In Commem. S. Pauli Apost.
Duplex maius.

29. *Dominica I. Iulii.*
Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.
Duplex 2. classis.

Si hodie occurrat Festum Visitationis B. M. V. aut aliud Festum aequalis vel altioris ritus, de Pretiosissimo Sanguine fiet prima die, etc.

Si hodie occurrat Festum Visitationis B. M. V., « vel » aliud Festum « altioris ritus, aut » aequalis « sed primarium », de Pretiosissimo Sanguine fiet prima die, etc.

50. *Die 5. Iulii.*
S. Antonii Mariae Zaccaria Conf.
Duplex.
Ad calcem Officii.

« Vesp. de sequenti. Commem. praecedentis ».

31. *Die 6. Iulii.*
In Octava
Ss. Petri et Pauli Apost.
Post Ant. ad **Magnificat.,** *in II. Vesp.*

« Et fit Commem. sequentis ».

32 *Die 7. Iulii.*
Ss. Cyrilli et Methodii Ponit, et Conff.
Duplex.
Ad Laudes, post Orationem **Omnipotens sempiterne Deus.,** *etc..*

« In II. Vesperis ».

« Hymn. et *t.* **ut in I. Vesp. »**

« Ad Magnif. Ant.. ». Isti sunt, viri sancti, facti amici Dei, divina? veritatis praeconio gloriosi: linguae eorum claves coeli factae sunt.

« Oratio ut supra. Deinde fit Commem.. sequentis ».

33. *Die 2. Augusti.*
S. Alphonsi Maria de Ligorio Episc, Conf. et Eccl. Doct.
Duplex.
Post ix. Lect. pro S. Stephano I. Papa Mart.

Si hoc Festum alia die celebrari contigerit, ix. Lectio erit: *Hinc namque,* **de Homilia.**

Si hoc Festum «alicubi » alia die « celebretur, et in ea non occurrat Simplex, habens Lectionem propriam », ix. Lectio erit : *Hinc namque,* **de « Communi Evangelistarum ».**

34. *Die 8. Septembris.*
In Officio Nativitatis B. Maria Virginis,
ad Laudes post Orationem **Famulis tuis.**

Deinde fit Comm. S. Adriani Mart. hoc loco tantum etc.

Oratio.

Praesta, quaesumus omnipotens Deus: ut qui beati Adriani Martyris, tui etc.

Deinde fit Comm. S. « Hadriani » Mart. hoc loco tantum etc.

Oratio.

Praesta quaesumus, omnipotens Deus: ut qui beati « Hadriani » Martyris tui, etc.

33. *Dominica III Septembris.*
Septem Dolorum B. Maria Virginis.
Duplex majus.

Si in Dom. III. Septembr. occurrat aliud Festum sive B. M. V. sive altioris ritus vel dies Octava Festi quod alicubi solemne sit, Festum Septem Dolorum amandatur ad Dom. IV. Septembr. et hac

« Impedita Dominica III. Septembris ob occursum Festi Duplicis 1. vel 2. classis, vel alicuius diei Octavae, vel Duplicis maioris primarii, vel potioris dignitatis, Festum Septem Dolorum B. M.

etiam ut supra impedita, ad proximiorem Dom. a praedictis Festis liberam. Quod si usque ad Adventum etc.

V. transfertur in proximiorem sequentem Dominicam, simili modo non impeditam ». Quod si usque ad Adventum, etc.

36. *Die 16. Septembris.*

S. Cornelii Papce et Cypriani Episc, Martyrum.

Semiduplex.

Post Orationem pro Ss. Euphemia, Luciæ et Geminiani Mm.

Si Festum Ss. Cornelii et Cypriani venerit in Dominica cum Commemoratione eorumdem in utrisque Vesperis et Laudibus et ix. Lectione historica (ex tribus una) atque Commemoratione Ss. Euphemiae, Luciae et Geminiani Martyrum in I. Vesperis et Laudibus, omissa Lectione,

In I. Nocturno Lectiones etc.

Si Festum Ss. Cornelii et Cypriani « occurrent » in Dominica, fit Officium de « Festo Septem Dolorum B M. V., cum ix. Lectione de Homilia et Commemoratione Dominicae, ac Ss. Martyrum Pontificum in utrisque Vesperis et Laudibus, necnon Ss. Euphemiae, Luciae et Geminiani Mm. in I Vesp. et Laud. tantum ».

In I. Nocturno Lectiones etc.

37. *Die 17. Septembris.*

Ad calcem Officii Impressionis Sacrorum Stigmatum in Corpore S. Francisci Conf.

Vesp. a Capit, de sequ. cum Gommern. praecedentis.

Vesp. « de sequenti », cum Commem. praecedentis.

38. *Dominica I. Octobris.*

In Solemnitate Ssmi Rosarii B. M. V.

Duplex 2. classis.

In I. Vesperis.

Ant. i. Quas est ista etc.

«Si hoc Festum alicubi non "habeat primas Vesperas, Hymnus *Coelestis aulae.* **coniungitur cum Hymno** *In monte olivis,* **ad Matutinum ».**

In I. Vesperis.

Ant. 1. Quas est ista etc.

39. *Die 8. Novembris.*

In Octava Omnium Sanctorum.

Post Rubricam de Laudibus.

Vesp. a Capit, de sequ. cum Commem. Oct. et S. Theodori Mart.

« Vesp. de sequenti, cum Commem. praecedentis, ac » S. Theodori Mart.

40. *Die 9. Novembris.*

In Dedicatione Archibasilicae Ssmi. Salvatoris,

« Duplex maius. »

Post Rubricam de Laudibus.

Vesp. a Capit, de sequ. cum Commem. praec, ac Ss. Mm. Tryphonis et Sociorum,

« In II. Vesp. Commem. sequentis », ac Ss. Mm. Tryphonis et Sociorum.

41. *Die 18. Novembris.*

In Dedicatione Basilicarum Ss. Apostolorum Petri et Pauli.

« Duplex maius. »

Posi *Lectionem ix.*

Vesperas a Capit, de sequ. cum commem. praec, ac S. Pontiani Papas, Mart.	**« In II. Vesp. Commem. sequentis » ',. ac S. Pontiani Papas, Mart.**

INTER OFFICIA PROPRIA PRO ALIQUIBUS LOCIS,
SEU IN APPENDICE BREVIARII ROMANI.

42. *Dominica II. Octobris.*

Maternitatis B. Maria Virg.

Ad Matutinum.

Hymnus.

Coelo Redemptor praetulit Felicis alvum Virginis, Ubi caduca membra Mortale corpus induit, etc.	**Coelo Redemptor praetulit Felicis alvum Virginis, Ubi « futura victima » Mortale corpus induit, etc.**

NOTANDA

QUOAD DUO DECRETA SACR. RITUUM CONGREGATIONIS
QUAE POST BULLAM URBANI VIII.
PRAEMITTUNTUR IN MISSALI ROMANO.

In Decreto **Urbis et Orbis,** *diei 29 Septembris anni 1714, quod incipit per verba* **«Cum occasione Missalis etc.».**

Praedictum Decretum ab eiusdem fel. rec. Alexandro VII. speciali Brevi, quod incipit « *Credita nobis* **» denuo fuit confirmatum, ac insuper statutum, idem servandum esse, quoad Missas in Altaribus Privilegiatis ex obligatione celebrandas, et Indulgentias per eiusmodi privilegia concessas Animabus in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratas fuissent Missas Defunctorum.**

Verba qua sequuutur **« Ac denique declaratum »** *usque ad verba* **« Die 22 Ianuarii 1667. Pontificatus XII. »** *inclusive expungantur, ac statim sequantur* **« Deinde fel. rec. Clemens IX. »** *usque ad finem Decreti.*

In Decreto altero **Urbis et Orbis,** *diei 14 Martii 1861., quod incipit per verba* **« Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. ex Sacrorum Rituum Congregationis consilio »** *locum habere non potest prima pars* **« Quando occurrit Dedicatio Basilicarum »** *usque ad verba* **«Die 25 Septembris 1706. ad XI. »** *inclusive; ergo expungenda.*

ADDENDA ET VARIANDA
IN RUBRICIS GENERALIBUS MISSALIS

PARS. I.

III. *De Feria et Vigilia..*

N. 1. Missa de Feria dicitur...... *usque ad verba* **alia de Feria post Nonam.**

N. 1. Missa de Feria dicitur.... *usque ad verba* **alia de Feria post Nonam. « Missae autem Feriarum maiorum occurrendum celebrari possunt etiam in Festis semiduplicibus. »**

V.. *De Missis Defunctorum..*

N. 2. Praeterea Feria secunda.... *usque ad verba* **praeterquam in Festis Duplicibus, et Dominicis diebus.**

N. 2. Praeterea Feria secunda.... *usque ad verba* **praeterquam in Festis Duplicibus, et Dominicis diebus. « Missae privatae pro Defunctis ut in die obitus seu depositionis etiam in Duplicibus celebrari possunt praesente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere ; exceptis Duplicibus primae classis, diebus Duplicia primae classis excludentibus, et Festis de praecepto.»**

N. 3. In die Commemorationis omnium Defunctorum, et in die Depositionis, et in Anniversario Defuncti, dicitur una tantum Oratio: et similiter in die Tertia, Septima, Trigesima, et quandocumque pro Defunctis solemniter celebratur: in aliis Missis plures, ut de Feriis, et Simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus.

N. **3. « Una tantum Oratio dicenda est in Missis omnibus, quae celebrantur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die Obitus seu Depositionis, atque etiam in Missis cantatis vel lectis, permittente ritu, diebus Tertio, Septimo, Trigesimo et die Anniversario alicuius Defuncti, necnon quandocumque pro Defunctis Missa solemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondet, uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicujus obitu, et in Anniversariis late sumptis. »**

Deinde addatur:

Num. 4. « In Missis quotidianis quibuscumque sive lectis, sive cum cantu plures sunt dicendae Orationes, quarum prima est pro Defuncto vel Defunctis, certo designatis, pro quibus Sacrificium offer-

tur, ex iis quae infra in Missali habentur,, secunda ad libitum, ultima pro omnibus Defunctis. Si vero pro Defunctis in genere Missa celebretur, Orationes sunt dicendae, quae pro Missis quotidianis in hoc Missali prostant, eodemque ordine, quo sunt inscriptae. Quod si in iisdem quotidianis Missis plures Orationes Celebranti placuerit recitare, ut de Feriis et Simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus, id fieri potest tantum in Missis lectis, impari cum aliis praescriptis servato numero, et Orationi pro omnibus Defunctis postremo loco assignato ».

N. 5. Sequentia pro Defunctis dicitur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, et Depositionis Defuncti, et quandocumque in Missa dicitur una tantum Oratio : in aliis autem Missis pro Defunctis dicatur ad arbitrium Sacerdotis.

N. 5. Sequentia pro Defunctis dicitur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, et. Depositionis Defuncti, « in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis, quae diebus ut supra privilegiatis fiunt : in reliquis autem Missis vel recitari vel omitti potest ad libitum Celebrantis ».

VI. *De Translatione Festorum.*

In dicendis Missis servetur Ordo Breviarii de Translatione Festorum Duplicium, quando maiori aliquo Festo, seu Dominica impediuntur. In Ecclesiis autem ubi Titulus est Ecclesiae, vel concursus populi ad celebrandum Festum quod transferri debet, possunt cantari duae Missae, una de die, alia de Festo: excepta Dominica prima Adventus, Feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadragesimae, Dominica Palmarum cum tota Hebdomada maiori, Dominica Resurrectionis et Dominica Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, die Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, ei Festo Corporis Christi.

In dicendis Missis servetur Ordo Breviarii de Translatione Festorum Duplicium, quando maiori aliquo Festo, seu Dominica impediuntur. In Ecclesiis autem ubi Titulus est Ecclesiae, vel concursus populi ad celebrandum Festum quod transferri debet, possunt cantari duae Missae, una de die, alia de Festo: excepta Dominica prima Adventus, Feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadragesimae, « Dominica Passionis », Dominica Palmarum cum tota Hebdomada maiori, Dominica Resurrectionis « cum sequenti biduo, Dominica in Albis », Dominica Pentecostes « cum duabus sequentibus Feriis, Dominica Ssmae Trinitatis », die Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis et Festo Corporis Christi.

VII. *De Commemorationibus.*

N. 5. In faciendis Commemorationibus servetur ordo ùt in Breviario. De Festo Duplici quod agitur ad instar Simplicis,

N. 5. In faciendis Commemorationibus servetur ordo ut in Breviario. « Primo loco illae Commemorationes praeponuntur

fiat Commemoratio ante illam Dominicae: de Dominica ante Festum Semiduplex redactum ad modum Simplicis: de Semiduplici ante diem infra Octavam: de die infra Octavam, ante Ferias praedictas: de Feriis praedictis, ante Festum Simplex: de Festo Simplici ante Orationes, quae secundo, vel tertio loco dicendae assignantur: et hae dicantur ante Orationes votivas; in quibus votivis servetur deinde dignitas Orationum, ut de Ssma Trinitate, de Spiritu sancto, de Ssmo Sacramento, de S. Cruce ante votivam de B. Maria, et de Angelis, de S. Ioanne Baptista et S. Ioseph ante Apostolos, et similiter in aliis.

quae ad Officium cuiuscumque ritus pertinent; exceptis illis, quae ab Officio de quo agitur, nunquam separantur. Deinde: 1. de Dominica privilegiata, 2. de die Octava, 3. de Duplici maiori, 4. de Duplici minori ad instar Simplicium redacto, 5. de Dominica communi, 6. de die infra Octavam Corporis Christi, 7. de Semiduplici, 8. de die infra Octavam communem ad simplicem ritum pariter redacto, 9, de Feria maiori, vel Vigilia, 10. de Simplici » : de Festo Simplici « fiat Commemoratio » ante Orationes quae secundo, vel tertio loco dicendae assignantur: et hae dicantur ante Orationes votivas; in quibus votivis servetur deinde dignitas Orationum, ut de Ssma Trinitate, de Spiritu Sancto, de Ssmo Sacramento, de S. Cruce ante votivam de B. Maria, et de Angelis, de S. Ioanne Baptista et S. Ioseph ante Apostolos, et similiter in aliis.

PARS. II.

I. *De praeparatione Sacerdotis celebraturi*

N. 4. Si Celebrans sit Episcopus, « vel Abbas ut supra », non ducit stolam ante pectus etc.

N. 4. Si Celebrans sit Episcopus, non ducit stolam ante pectus etc.

V. *De Oratione.*

N. 2. Cum nominatur nomen IESUS, caput versus Crucem inclinat: quod etiam facit cum nominatur in Epistola. Et similiter ubicumque nominatur nomen B. Mariae, vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit Commemoratio ; item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen Versus Crucem. Si plures Orationes sint dicendae, idem in eis, in voce, extensione manuum, et capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur.

is. 2. Cum nominatur nomen IESUS, caput versus Crucem inclinat: quod etiam facit cum nominatur in Epistola. Et similiter ubicumque nominatur nomen B. Mariae, vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit Commemoratio : item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus Crucem ; « nisi in loco principali Altaris habeatur simulacrum vel imago B. M. V. aut Sancti, ad quam caput inclinatur ». Si plures Orationes sint dicendae, idem in eis, in voce, extensione manuum, et capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur.

VII. *De Offertorio, et aliis usque ad Canonem.*

N. 5. Imposita aqua in Calice et finita Oratione praedicta recipit etc. *usque ad verba* **In spiritu humilitatis. Postea erectus, elevans oculos, manusque expandens, et statim iungens ante pectus etc.**

N. 5. Imposita aqua in Calice et finita Oratione praedicta accipit etc.... In spiritu humilitatis. Postea erectus, elevans oculos, manusque expandens « easque in altum porrectas », et statim iungens ante pectus etc.

VIII. *De Canone Missœ usque ad Consecrationem.*

N. 1. Finita Praefatione, ut supra, Sacerdos stans ante medium Altaris versus ad illud, aliquantulum elevat manus, oculisque elevatis ad Deum, etc.

N. 1. Finita Praefatione, ut supra, Sacerdos stans ante medium Altaris versus ad illud, « extendit et » aliquantulum elevat manus oculisque elevatis ad Deum, etc.

XII. *De Benedictione in fine Missœ, et Evangelio Sancti Ioannis.*

N. 7. In Missa solemni Celebrans eadem voce et modo quo in Missis privatis, semel tantum benedicit populo, nisi sit Episcopus, vel Abbas, ut infra: et dicto Evangelio etc.

N. 7. In Missa solemni Celebrans eadem voce et modo quo in Missis privatis, semel tantum benedicit populo, nisi sit Episcopus, vel Abbas « pontificaliter celebrans», ut infra: et dicto Evangelio etc.

ADDENDA BT VARIANDA

IN RUBRICIS SPECIALIBUS MISSALIS ROMANI

1. *Dominica II. Adventus, et Feria VI. Quatuor Temporum Adventus.*

Offertorium Ps. 84.

Deus, tu convertens vivificabis nos etc.

Offertorium Ps. 84.

Deus, tu « conversus » vivificans nos etc.

2. *In Festo Ss. Innocentium.. In fine Missœ.*

Si Festum S. Thomae impediatur a Dominica, celebratur Feria secunda sequenti, tamquam in sede propria..

« Expungatur integra»,

In Festo S. Tiiomce Episc. Mart.
In fine Missæ.

Si Festum Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Ioannis Evangelistae, et Ss. Innocentium venerit in Dominica, ipsa die nihil fit de Dominica, sed die proximo post Festum S. Thomae Mart. dicitur Missa de Dominica. Si autem Festum S. Thomae impediatur a Dominica, dicitur Missa de ea cum Commemoratione Octavarum, ei Festum S. Thomae eo anno celebratur Feria ii., sequenti tamquam in sede propria..

Si Festum Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Joannis Evangelistae, et Ss. Innocentium « occurrerit » in Dominica, ipsa die nihil fit de Dominica; sed die proximo post Festum S. Thomae Mart. dicitur Missa de Dominica. Si autem Festum S. Thomae « occurrerit in Dominica, Missa dicitur de Festo cum Commcmemoralione eiusdem Dominicae et quatuor Octavarum, et legitur Evangelium Dominicae in fine »„

In fine Missæ de Octava Nativitatis Domini.

Si Festum S. Silvestri venerit in Dominica, dicitur Missa de eo, cum Commemoratione Dominicae et Octavarum..

Si Festum S. Silvestri venerit in Dominica, dicitur Missa de eo, cum Commemoratione Dominicae et Octavarum, « et legitur Evangelium Dominicae in fine ».

S. Silvestri Papae et Conf.

S. Silvestri I. Papae, Conf.

5. *Post Festum Epiphania Domini.*

De Festis Duplicibus maioribus et alicuius Doctoris Ecclesiae, quae infra Octavam veniunt, nihil tunc agitur (nisi tantum de Patrono vel Titulari Ecclesiae, et de Dedicatione eiusdem, in propria Ecclesia, non tamen in Octava), sed peracta Octava celebrantur: de aliis vero Duplicibus, de Semiduplicibus et de Simplicibus occurrentibus fit tantum Commemoratio.

« Si Festa duplicia primae classis occurrant infra Octavam, non tamen in die Octava, de eis dicitur Missa cum Commemoratione Octavae: de aliis vero Festis, exceptis Simplicibus, de quibus fit Commemoratio, nihil fit; sed peracta Octava perpetuo celebrantur. In die vero Octava, Missa semper de eadem dicitur, translato etiam Duplici primae classis, quod post eamdem Octavam perpetuo recolitur; de Simplici autem occurrente fit tantum Commemoratio.»

Die 7. Decembris.
Post Missam S. Ambrosii Episc, Conf. et Eccl. Doct.

Addatur :

« Hodie in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis dicuntur duae Missae, una de Sancto sine Commemoratione Feriae et Vigilia', altera de Vigilia uti sequitur. »

Die 11. Decembris in Missa S. Damasi I. Papce, Conf.
ú Die i3. Decembris in Missa S. Luciæ Virg. et Mart.
Post Secretam.

Addatur :

« Praefatio de B. Maria Virg ». *Et te in Conceptione Immaculata.*

Die 23. Februarii.
Post Missam S. Petri Damiani Episc, Conf. et Eccl. Doct.

Addatur :

« Hodie extra Quadragesimam in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis dicuntur duae Missae, una de Sancto sine Commemoratione Vigiliae, altera de Vigilia cum secunda Oratione *Concede.,* **tertia** *Ecclesiae.,* **vel pro Papa. »**

Die 19. Martii.
In Missa S. Ioseph, Conf. Sponsi B. M. V.

Post Graduale etc. *In Missis votivis post Tempus Paschale usque ad Septuagesimum.* **Graduale. Ps.. 20. Domine praevenisti etc.**

« Integra expungatur ».

10. *Die 25. Martii.*
Post Missam Annuntiationis B. Maria Virginis.

Si hoc Festum venerit in Dominica privilegiata, transferendum erit ad Feriam II. immediate sequentem, translato quocumque Festo duplici etiam aequalis, non tamen altioris ritus. De Festo autem Duplici minori (excepto Festo alicuius Doctoris Ecclesiae) vel Semiduplici occurrente fit tantum Commem. in utrisque Vesperis et Laudibus. Si vero occurrerit in Hebdomada Maiori vel Paschali, transferendum erit (pari cum privilegio) in Feriam II post Dominicam in Albis, servato ritu Paschali.

« Si hoc Festum venerit Feria VI. in Parasceve vel {Sabbato Sancto, transferendum erit in Feriam II. post Dominicam in Albis tamquam in sedem propriam, integra cum solemnitate ac feriatione et sine Octava, servato tamen ritu Paschali. Si vero occurrerit in Dominica Passionis, transferatur in Feriam IL immediate sequentem : quodsi incidat **in Hebdomadam Maiorem vel Paschalem, ad enuntiatam Feriam II. post Dominicam in Albis amandetur, ac nonnisi Festo primario eiusdem ritus occurrente valeat impediri, quo in casu in sequentem diem similiter non impeditam transferatur. »**

11. *Feria VI. post Dominicam Passionis.*
Post Missam Septem Dolorum B. Marice Virginis.

Quando Festum VII. Dolor. B. M. V. celebrari nequit hac' Feria, transierendum est in Sabbatum immediate sequens, quocumque festo aequalis, non autem altioris ritus in eo occurrente. Quod si nec in sequenti Sabbato celebrari possit, omittatur.

« Quando Festum Septem Dolorum B. M. V. hac Feria celebrari nequit ob occursum alicuius Festi altioris ritus, aut aequalis sed primarii, vel potioris dignitatis », transferendum « est in » .Sabbatum immediate sequens, « simili modo non impeditum. Quod si neque in dicto Sabbato celebrari potuerit, eo anno omittatur. »

12. *Dominica I. Iulii.*
Post Missam Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.

Si hodie occurrat Festum Visitationis B. M. V. aut aliud Festum aequalis vel altioris ritus, de Pretiosissimo Sanguine fiet prima die, etc.

Si hodie occurrat Festum Visitationis B. M. V., « vel » aliud Festum « altioris ritus, aut » aequalis «sed primarium», de Pretiosissimo sanguine fiet prima die, etc.

13. *Die 8. Septembris.*
In Missa Nativitatis B. Marice Virginis.

In Rubrica et Orationibus pro S. Hadriano Mart. nomen ipsius S. Mart. *Adriani, Adriano* **corrige « Hadriani, Hadriano ».**

14. *Die 9. Septembris.*
In Missa S. Gorgonii Mart.
Post Orationem **Sanctus tuus** *etc.*

Tertia Oratio de Spiritu Sancto, *Deus qui corda fidelium.* **Nisi venerit in Dominica, tunc enim tertia Oratio erit de S. Gorgonio Mart.**

Tertia Oratio de Spiritu Sancto *Deus, qui corda fidelium.* **« Dein expungantur quae sequuntur ».**

15. *Die U. Septembris.*
Post Orationem Ss. Proti et Hyacinthi Mm.

Tertia Oratio de Spiritu Sancto, *Deus, qui corda fidelium.* **Nisi venerit in Dominica, tunc enim tertia Oratio erit de Ss. Proto et Hyacintho.**

Tertia Oratio de Spiritu Sancto, *Deus, qui corda fidelium.* **« Reliqua expungantur ut supra ».**

16. *Dominica III. Septembris.*
Post Missam Septem Dolorum B. M. V.

Impedita Dom. III. Septembr. ob occursum Festi ritus Duplicis I. vel II. classis vel diei Octavae Patroni, Titularis, Dedicationis etc., Festum Dolorum trans-

Impedita Dominica III. Septembris ob occursum « Festi Duplicis 1. vel 2. classis, vel alicuius » diei Octavae, « vel Duplicis maioris primarii, aut potioris di-

fertur in proximiorem Dominicam etiamsi incidat cum Feslo ritus Dupl. minoris (de qua tunc facienda erit Commem. ad instar Simplicis iuxta Rubricas), dummodo non sit dies Octava Patroni, Titularis, Dedicationis etc. Quod si usque ad Adventum nulla supersit Dominica libera, Festum Septem Dolorum ponatur, iuxta Rubricas, in prima die non impedita post Dom. III. Septembris.

» Si sequ., Festum Ss. Cornelii et Cypriani venerit in Dominica, in ea fit commemoratio Ss. Cornelii ei Cypriani ac S. Euphemias etc. ». Si vero occurrat in Feria IV. Quatuor Temporum in Missa S. Cornelii ei Cypriani fit Commem. primum de Feria, postea de S. Euphemia etc. Et in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis dicuntur duas Missas, una de Ss. Cornelio et Cypriano, in qua fit commem. S. Euphemias etc., altera de dicta Feria, sine commem. Sanctorum.

gnitatis », Festum Septem Dolorum transfertur in proximiorem Dominicam « simili modo non impeditam ». Quod si usque ad Adventum {nulla supersit Dominica libera, Festum Septem Dolorum ponatur, iuxta Rubricas, in prima die non impedita post Dominicam III. Septembris.

Si Festum Ss. Cornelii et Cypriani occurrat in Feria IV. Quatuor Temporum, in Missa Ss. Cornelii et Cypriani fit Commemoratio de Feria, postea de S. Euphemia etc. Et in Ecclesiis Cathedralibus et Collegialis dicuntur duas Missas, una de S. Cornelio et Cypriano, in qua fit Commemoratio S. Euphemias etc., altera de dicta Feria sine Commem. Ss. Martyrum.

17. *In Missa de Communi Doctorum.*
Postcommunio.

Ut nobis, Domine, tua sacrificia dent salutem : beatus N. Confessor tuus et Doctor egregius, precator accedat. Per Dominum.

« Pro Doctore Pontifice ».

Ut nobis, Domine, lua sacrificia dent salutem: beatus N. « Pontifex tuus » et Doctor egregius, « quaesumus », precator accedat. Per Dominum.

« Pro Doctore non Pontifice ».

Ut nobis, Domine, tua sacrificia dent salutem : beatus N. Confessor tuus et Doctor egregius, « quaesumus », precator accedat. Per Dominum.

18. *Post Missam de Dedicatione Ecclesiae.*

In ipsa die Dedicalionis Ecclesias Missa dicitur ut supra in Anniversario Dedicationis, exceptis Orationibus, quas dicuntur ut sequitur.

In ipsa die Dedicationis Ecclesiae « et per Octavam, et quando varianda est Oratio ob occursum Dedicalionis alterius Ecclesiae », Missa dicitur ut supra in Anniversario Dedicationis, exceptis Orationibus, quae dicuntur ut sequitur.

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

Die 15. Maii.
19. *In Missa S. Isidori Agricolce Conf.*
Postcommunio.

Sit nobis, Domine, reparatio mentis et corporis caeleste mysterium: et praesta; ut Sancti Isidori Confessoris tui, cuius exequimur cultum, sentiamus effectum. Per Dominum.

Sit nobis, Domine, reparatio mentis et corporis caeleste mysterium: et praestat ut « cuius exsequimur cultum, intercedente Sancto Isidoro Confessore tuo», sentiamus effectum. Per Dominum.

URBIS ET ORBIS

Quum per generale Decretum super primariis et secundariis Festis iusserit Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. ad illius normam Rubricas Breviarii et Missalis Romani esse interpretandas, Decretaque in contrarium facientia penitus abroganda; factum est, ut plura Sacrorum Rituum Congregationi proposita fuerint resolvenda dubia, quibus per alia subsequentia Decreta idem Sacrum Tribunal satisfacere officii sui duxit.

His autem quum alia quoque, controversias exortas penitus evellendi causa, accessissent recentiora Decreta pro quarumdam tam Breviarii quam Missalis Rubricarum authentica interpretatione ; Emus ac Rïñus Dnus. Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella, tunc Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, Summi Pontificis proposito inhaerens, ut inter latas Decretorum leges Rubricarumque praescriptiones maxima extaret conformitas, munus concredidit Commissioni Liturgicae praefatas revisendi examinandique Rubricas, easque ad recentiorum Decretorum normam concinnandi.

Opus vero ab ipsa Commissione absolutum, prouti in superiori extat exemplari, cum idem Emus ac Rmus Dnus. Card. Aloisi-Masella Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis proposuisset; Emi ac Rmi Patres, Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, Rubricas sic emendatas approbari posse censuerunt. Die 7 Decembris 1897.

Quam sententiam deinde per infrascriptum Cardinalem Sacro eidem Coetui Praefectum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII. relatam, Sanctitas sua ratam habuit, ac suprema Auctoritate Sua confirmavit: simulque praecepit, ut suprascriptae variationes, hoc Decreto approbatae, in novis editionibus Breviarii et Missalis Romani, servatis de cetero servandis, inserantur. Contrariis non obstantibus quibuscunque, etiam speciali mentione dignis. Die 11, iisdem mense et anno.

CAMILLUS Card. MAZZELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. & S.

DIOMEDES PANICI, ***S. R. C. Secretarius.***

Praesens exemplar authenticum concordat cum Originali approbato. In fidem etc.
Ex Secretaria Sacro r. Rituum Congregationis die 7 Ianuarii 1898.

DIOMEDES PANICI, ***Secretarius.***

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

BAREN, iterum confirmatur sententia, qua decretum fuerat, praecedentiam spectare ad Sodalitium Tertii Ordinis s. Francisci in oppido Triggiano (1).

Per rescriptum Sacrorum Rituum Congregationis, datum •die 27 Martii, hoc labente anno, confirmata fuit sententia Archiepiscopi Barensis in controversia de praecedentia inter Confraternitatem SSmi Sacramenti et Sodalitium Tertii Ordinis S. Francisci in oppido *Triggiano* nuncupato. Quum vero praedicta Confraternitas novam postulasset atque obtinuisset revisionem et examen praedictae sententiae, eadem Sacra Congregatio in altero conventu ordinario Rotali, subsignata die, ad Vaticanum habito coram Emo et Rmo Cardinali Dno Lucido **M.** Parocchi Episcopo Portuensi et S. Rufinae, loco ét vice Emi et Rmi Card. Dñi Caietani Aloisi Masella, causae Ponentis, iterum maturo examine perpensis omnibus ab utraque parte contendente deductis ac sententia supradicta una cum Rescripto eam confirmante, ad propositum dubium, *An sit standum in decisis vel recedendum a decisis ?* respondendum censuit: *Standum in decisis, et praecedentiam in casu spectare ad Tertium Ordinem.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 30 Novembris 1897.

C. CARD. MAZZELLA *Ep. Praenestinus,*
L. & S. *S. R. C. Praefectus.*

DIOMEDES PANICI **5.** *R. C. Secret.*

PARISIEN, dubia diversa, quoad genuflexiones etc.

R. D. Augustinus Dauby, Sacerdos et Moderator pii Instituti a Sancto Nicolao nuncupati, in Civitate Parisiensi, de consensu sui Rmi Ordinarii, sequentium Dubiorum solutionem **a** Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit, nimirum:

I. Quoad genuflexiones faciendas a ministro Missae pri-

(1) Recole Vol. XXX, 119.

vatae, quae iusta de causa et praevia licentia celebretur in Altari expositionis SSmi Sacramenti, quaeritur:

1. Minister, qui transfert missale a cornu Epistolae ad cornu Evangelii et genuflectit in plano ante medium Altaris, debetne etiam genuflectere in accessu ad cornu Altaris et recessu ?

2. Quando idem minister ad offertorium et purificatione!!! ascendit ad Altare et descendit, ubinam genuflectere debet ?

II. Rubricae Missalis ad titulum ***Ritus servandus in celebratione Missae V, n.*** *6,* praescribunt : « ***«Si in altari fuerit tabernaculum SSmi Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat ineensationem, genuflectit, quod item facit quotiescumque transit ante medium altaris*** » ; quaeritur : Utrum etiam in Missa privata debeat Sacerdos genuflectere:

1. quando defectu ministri, ipse transfert Missale a cornu Epistolae ad cornu Evangelii, et vicissim;

2. quando in Maiori Hebdomada transit a cornu Epistolae ad cornu Evangelii ad legendam Passionem ?

III. Rituale Romanum in tit. ***Ordo ministrandi Sacram Communionem,*** haec habet: ***«Sacerdos rever sus ad altare dicere poterit: O sacrum convivium etc. f. Domine eœaudi etc. Et clamor etc. Dominus vobiscum etc*** » ; quaeritur :

1. Utrum istae preces convenienter dicantur iunctis manibus antequam cooperiatur pyxis et digiti abluantur?

2. Utrum Sacerdos duas genuflexiones facere debeat, unam statim ac deposuit pyxidem super Altari et antequam eam cooperiat : alteram priusquam, reposita in tabernaculo pyxide, ipsius tabernaculi ostiolum claudat ?

IV. Iuxta Caeremoniale Episcoporum, ad benedictionem impertiendam cum SSmo Sacramento ipse celebrans accipit ostensorium super Altari positum; sed receptum est, ut Diaconus accipiat ostensorium et porrigat celebranti, qui post benedictionem Diacono tradit super Altari collocandum, quaeritur : Utrum liceat in hoc duplici ostensorii traditione ritum servare, qui praescribitur pro feria V in Coena Domini et in festo SS. Corporis Christi ante et post processionem SSmi Sacramenti ?

V. Licetne aliquid canere lingua vernacula.

1. In Missa solemni dum sacra Communio distribuitur per notabile tempus?

2. In solemni processione SSmi Sacramenti, alternatim cum hymnis Liturgicis ?

VI. Iuxta Caeremoniale Episcoporum in solemni Officio ad nonam Lectionem et in Laudibus Hebdomadarius et Assistentes pluviali sunt induti, quaeritur:

1. Utrum idem fieri possit a principio Matutini ?

2. Utrum lectori septimae Lectionis Evangelii homiliae duo acolythi cum cereis accensis assistere possint, durante lectione Evangelii ?

Et Sacra Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribenduum censuit:

Ad I. quoad primam quaestionem: Unicam genuflexionem esse faciendam in plano ante medium Altaris; quoad alteram quaestionem: Tam ante ascensionem ad Altare, quam post descensionem de eodem in plano genuflexionem esse faciendam.

Ad II. Negative ad utrumque.

Ad III. Quoad primam partem : Negative et preces dicendae sunt infra ablutionem et extersionem digitorum. Quoad alteram partem: Affirmative iuxta Decretum *in Romana* d.d.23 Decembris 1862, et praxim Basilicarum Urbis.

Ad IV. Aut servatur ritus a Caeremoniali Episcoporum lib. II, cap. 32, § 27 praescriptus, aut, iuxta praxim Romanam, Diaconus ostensorium celebranti tradere vel ab eodem recipere potest, utroque stante.

Ad V. Negative ad utrumque.

Ad VI. Si non adsit legitima consuetudo, Negative et servetur Caeremoniale Episcoporum lib. II. cap. VI, § 16.

Atque ita rescripsit. Die 14 Ianuarii 1898.

C. CARD. MAZZELLA *Ep. Praenestinus,*
L. & S. *S. R. C. Praefectus.*

DIOMEDES PANICI *Secr.*

BELLUNEM. et FELTREN. dubia quoad consecrationem altarium.

Rmus Dominus Salvator Ioannes Baptista Bolognesi Episcopus Bellunensis et Feltrensis, qui per rescriptum Sacrorum Rituum Congregationis d. d. 23 Novembris anno elapso 1897, obtinuit facultatem consecrandi, sive per se sive per Sacerdotem, Apostolicae Sedis nomine a se delegatum, quaedam Alta-

ria, adhibendo breviorem ritum ac formulam, iuxta instructionem ad Ipsum transmissam ab eadem Sacra Congregatione, sequentium dubiorum solutionem humillime efflagitavit; nimirum :

I. An aqua, cum qua fit malta seu coementum, ad firmandam tabulam seu lapidem super sepulcrum reliquiarum benedici valeat cum formula inserta in Rituali Romano ?

II. An ipsum coementum benedicendum sit ?

III. An supradicta benedictio, tum aquae, tum coementi, necnon facultas consecrandi Altaria, in quibus lapis sepulcri ob omissum coementum movetur, Apostolicae Sedis nomine delegari possit simplici Sacerdoti, vi obtenti Rescripti ?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Negative, sed in benedictione eiusmodi aquae adhibenda est formula, quae habetur in ipso Pontificali Romano.

Ad II. Affirmative, iuxta Pontificale Romanum.

Ad III. Affirmative quoad utramque partem.

Atque ita rescripsit. Die 21 Ianuarii 1898.

C. CARD. MAZZELLA *Ep. Praenestinus,*
*S. **R.** C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI *S. **R.** C. Secr.*

BUGELLEN. dubium quoad missam de requie.

In Actis synodalibus dioeceseos Bugellensis pag. 3. legitur: « Missa etiam in pauperum funeribus, praesente cadavere, si fieri potest cani debet: legatur autem, si cani nequit, diebus per decreta S. Rituum Congregationis permissis ». Hinc ab ipsa Sacra Congregatione expetitum fuit: « Utrum concessio facta die 4 Aprilis 1878 Ecclesiis vel Oratoriis publicis praedictae dioeceseos celebrandi biduo in qualibet Hebdomada, exclusis duplicibus primae et secundae classis, festis de praecepto servandis, feriis, vigiliis, octavisque privilegiatis, Missam cantatam de Requie extendatur etiam ad Missam de Requie sine cantu, seu lectam ? »

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit: *Negative, nisi agatur de Missa die obitus seu depositionis pro paupere defuncto.* Atque ita rescripsit. Die 28 Ianuarii 1898.

C. CARD. MAZZELLA *Ep. Praenestinus, S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

DIOMEDES PANICI S. *R. C. Secr.*

DUBIUM quoad usum recondendi Hostiam intra duo crystalla, et absque alia custodia in Tabernaculo illam ponendi.

In plurimis Galliae Ecclesiis atque Oratoriis usus invaluit postremis hisce temporibus sacram Hostiam, quae in Ostensorio exponenda est, recondendi intra duo crystalla apte cohaerentia, eamque in Tabernaculo reponendi absque ulla capsa seu custodia. Hinc a Sacrorum Rituum Congregatione expostulatum fuit: *An eiusmodi praxis licita sit?*

Atque eadem Sacra Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis liturgicae, ac re mature perpensa, proposito Dubio respondendum censuit: Affirmative; dummodo sacra Hostia in dictis crystallis bene sit clausa, atque crystalla non tangat, iuxta alias Decreta.

Atque ita rescripsit die 14 Ianuarii 1898.

C. CARD. MAZZELLA S. *R. C Praef.*

L. ✠ S.

D. PANICI *S. R. C. Secretarius.*

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM an validum sit baptisma collatum moribundis adultis, et fide atque dolore carentibus. — Instructio ad Vic. Apost. [Tohe-Kiang — Die 6 Iun. 1860.

In foliis ab A. Tua ad S. C. de Propaganda Fide transmissis exponebatur, quemdam missionarium saepius appellari ad conferendum baptismum adultis moribundis, qui licet profiteantur

propositum sibi baptismum se libenter recepturos, se vere renuntiare diabolo, credere in Deurrí, et anteactae vitae poenitere, attamen ex circumstantiis maximum relinquunt dubium circa sinceritatem huiusmodi dispositionum: supradictum vero missionarium consuiere volentem ex una parte reverentiae Sacramenti, et ex altera parte saluti aeternae infirmi iam iam morituri, conferre baptismum sub hac conditione « si tu es vere dispositus » expresse intendens se non baptizare sepositis bonis dispositionibus. Hinc quaerebatur: 1. Utrum talis modus conferendi baptismum licitus sit vel non.

Exponebatur praeterea nonnullos ex illis infirmis, recepto sub huiusmodi conditione baptismo, postea super vivere, imo et aliquoties e sua infirmitate penitus convalescere, et posse rectius disponi, et quaerebatur: 2. Utrum ipsi superviventes, et rectius dispositi debeant indiscriminatim omnes rursus baptizari saltem sub hac conditione « si non fuisti baptizatus ».

S. Congregatio Supremae et Universalis Inquisitionis, cuius iudicio haec dubia delata fuerunt, maturo super iisdem adhibito examine, sub feria IV. Augusti 1870 respondendum mandavit praesenti instructione.

Explorata res est tres in adulto requiri dispositiones ad Baptismum rite suscipiendum : fidem nempe, poenitentiam et intentionem illum percipiendi. Fides profecto necessaria est, qua adultus debet esse sufficienter instructus, iuxta propriae intelligentiae mensuram, de mysteriis Christianae Religionis, et ea firmiter credere; et necessaria item est poenitentia qua debet peccata sua dolere, et actum elicere vel contritionis vel attritionis: ac tertio necessario requiritur intentio seu voluntas suscipiendi hoc Sacramentum, eaque deficiente, non imprimitur in adulto baptismatis character. At enim vero fides et poenitentia in adulto requiruntur, ut licite sacramentum suscipiat, et fructum sacramenti consequatur: intentio vero necessaria est ad illud valide consequendum, adeo ut qui baptizatur adultus sine fide ac poenitentia, illicite quidem at valide baptizatur; et contra qui baptizatur absque voluntate sacramentum suscipiendi nec licite nec valide baptizetur. Hisce praemissis, facile erit dignoscere missionarium in proposito casu non bene se gessisse, quando Baptismum administrans adulto moribundo, eodem calculo habuit dispositiones requisitas ad baptismum licite administrandum, et eas quae ad illum valide percipiendum ne-

cessario requiruntur. In dubio enim utrum adultus morti proximus sufficienter instructus sit de fidei mysteriis, et ea sufficienter crediderit, atque in dubio utrum ipsum anteactae vitae sincere poeniteat, quum mortis necessitas urgeat; sacramentum absolute administrare ei debet absque ulla conditione. In dubio vero utrum ipse vere intendat baptismum suscipere, si praevio diligenti examine de hac intentione adhuc dubitetur, baptismus conferri debet sub conditione dummodo sit capax baptismi. Ne tamen norma quaedam desit huiusmodi missionario, hic adnexum A. Tuae transmittitur decretum eiusdem Congregationis Supremae et Universalis Inquisitionis latum feria V coram SSmo die 23 Augusti 1703 super quaestione ab Episcopo Quebecensi proposita. Praeterea nec bene se gessit missionarius quando baptismum conferens sub conditione intendit se non baptizare sepositis bonis dispositionibus in suscipiente baptismum: nam in casu missionarius debet tantum intendere se baptizare quatenus suscipiens sit capax baptismi, idest illum sincere percipere velit.

Tandem quoad secundum dubium animadvertendum est baptismum ne sub conditione quidem passim ac temere esse iterandum, et tunc solum conditione uti licere cum prudens et probans subest dubitatio an quis fuerit valide baptizatus, quemadmodum traditur in Catechismo Romano *P. 2. de Sacramento Baptismi n. 57.*

Ceterum si praedicta dubietatibus missionariorum diluendis non sufficiant, eas A. Tua S. Congregationi exponere curabit ut omnibus perpensis circumstantiis removeantur.

DUBIA proposita ab Episcopo Quebecensi.

Quaeritur an missionarius possit conferre baptisma aliaque sacramenta infirmo barbaro, cui explicata sunt religionis mysteria, quique pollicitus est se observaturum (mandata) hoc tantum motivo scilicet quod nolit ei contradicere.

Multae ipsi supersunt rationes dubitandi num moribundus sit bene instructus, quia missionarius linguae barbarae rudis fere atque imperitus, non potuit nisi obiter explicare mysteria sublimia excedentia captum barbarorum, et quando moribundus affirmet se omnia capere, exteriora tamen, et exiguitas de-

votionis persuadent id moribundum dicere ex complacentia, ita ut si alius ad eum accederet qui diceret quod omnia quae dicta sunt ei nihil sint nisi merae fabulae, *etiam, sunt fabulae,* responderet barbarus complacendi gratia. Hoc autem oriri potest ex duobus principiis: primum quia non capit quae ei dicuntur; secundum ex animi levitate, ita ut eo ipso momento quo dicit *erecto* et *faciam,* credat revera et exequi velit, sed minima ratione contrariam sententiam mutabit; quod tamen constat quod barbarus nollet uri in inferno, et sic affirmative eius possit esse vera et ex intimo cordis.

Feria V. die 25 Ianuarii 1703 in generali conventu habito coram SSmo proposita supradicta quaestione, et auditis suffragiis Emorum et Rmorum Cardinalium Inquisitorum generalium, SSmus rescribi mandavit: « Non licere, si missionarius sit moraliter certus, prout in dubio asseritur, barbarum infirmum non sufficienter iuxta proprii captus mensuram intellexisse mysteria Christianae Religionis, aut ea sufficienter non credere, et ex solo motivo non contradicendi promittere se servaturum mandata eius Religionis.

« Si vero missionarius prudenter credat infirmum barbarum, quando dicit *credo* et *faciam,* revera tunc sufficienter credere serioque promittere se servaturum, ut supra, debere baptizari. Si autem de praedictis missionarius dubitet, et tempus non suppetat illum melius instruendi, immineatque periculum mortis, debere itidem baptizari sub conditione ».

DUBIUM an valeat ordinatio Diaconi quatenus Ordinans Episcopus ordinandi caput physice haud tetigit.

Beatissimo Padre,

N. N. prostrato ai piedi della S. V., umilmente espone che egli, due anni or sono fu ammesso all' ordinazione del Diaconato. Oggi però ha dei dubbii su quella ordinazione. Egli ricorda bene che il Vescovo nello imporgli le mani, non lo toccò fisicamente : ne visse inquieto per qualche tempo; ma pensando •che il tatto fisico non è essenziale, si lasciò poco dopo promuovere al sacerdozio. Se non che, avendo non guari appreso che la imposizione delle mani senza contatto corporale rendeva

dubbia l'ordinazione, agitato da novello timore, chiede se la sua ordinazione debba essere reiterata sotto condizione. — Che ecc.

Feria IV, 26 Ianuarii 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab Emis ac Rmis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EEmi ac RRmi DDñi responderi mandarunt.

Detur Decretum Fer. IV 2 Ianuarii 1875 : scilicet iteretur sub conditione Ordinatio Diaconatus, quae iteratio fieri potest a quocumque catholico Episcopo secreto, quocumque anni tempore etiam in sacello privato, facto verbo cum SSmo.

Feria vero VI, die 28 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de his omnibus relatione SS. D.'N. Leoni PP. XIII, idem SS. Dominus resolutionem EE. ac RR. Patrum confirmavit ac facultates omnes necessarias et opportunas impertiri dignatus est.

I. Can. MANCINI S. R. C. Not.

DUBIUM an valeat ordinatio ad presbyteratum accepta in prima et secunda manuum impositione cum neutra intentione, dein affirmative effecta.

Beatissimo Padre,

N. N. prostrato ai piedi della S. V., umilmente espone che egli fu ordinato sacerdote con questa intenzione : Dubitando se era idoneo o pur no al presbiterato, da una parte voleva togliere la intenzione di esser prete, dall'altra voleva metterla. Finalmente disse così : metto quella intenzione che determinerò certamente in qualche punto dell'ordinazione. Dubbioso sempre, ricevette la prima e la seconda imposizione delle mani ; e solo quando si fu alla consacrazione delle mani risolse di esser prete. Or, inquieto di coscienza, chiede se sia valida l'ordinazione ricevuta.

Feria IV, 26 Ianuarii 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab EEmis et RRmis DD. Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus, propo-

sito suprascripto dubio, praehabitoque voto RR. DD. Consultorum responderi mandarunt:

Acquiescat.

Feria vero VI, die 28 eiusdem mensis et anni, in solita Audientia R. P. D. Assessori impertita, facta de his omnibus relatione SS. D. N. Leoni PP. XIII, idem SSmus Dnus resolutionem Emorum et RRmorum PP. approbavit.

I. Can. MANCINI S. R. et U. I. Not.

EX SECRETARIA BREVIUM

BREVE quo Indulgentia plenaria donatur fidelis, qui per tredecim *ferias tertias* **vel** *dominicas* **continuas vacaverit piis meditationes vel supplicationibus, vel aliis pietatis exercitationibus ad Dei gloriam et S. Antonii Patavini honorem.**

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Iucundo animum Nostrum sensu perfuderunt, Nostrisque plane responderunt optatis supplices litterae, quas modo Dilectus Filius Laurentius Caratelli Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium Minister Generalis ad Nos dedit significans, cupere se atque optare, ut S. Antonii Patavini cultus ubi^-e gentium augeatur in dies singulos et provehatur. Verum catuolici omnes propriam habent rationem cur Beatum Antonium praecipuo prosequantur honore, excolant obsequio. Ille enim singulari Dei concessu et munere gratias et beneficia quotidiana populo christiano conferre ita solet, ut ipsa Ecclesia hortetur quemlibet fidelem ad eum confugere, si quaerit miracula. Accedit etiam calamitosis hisce temporibus quod Antonius Patavinus, quasi icto caritatis foedere cum S. Vincentio a Paulo, quodammodo consocietur, atque ambo amice coniurent ad levandas vel saltem deliniendas aerumnas miseriasque tenui oris plebis, ita ut beneficiis alter panem comparet, alter diribeat. Et multis quidem in templis ad stipem cogendam in alimentum egenorum posita

est suavis imago S. Antonii in ulnis gestantis Puerum Deum, et quasi gratias ab Eo implorantis, quae imago invitare quodam modo christifideles ac provocare videtur ad expetenda beneficia, quibus acceptis dent stipem obligatam, quae absumatur in emptione panis pro pauperculis. Ex quo fit ut Vincentianae Sodalitates, quae proletariorum familiis necessaria vitae cibaria ex instituto dispensant, validum ab Antonio praesidium et columen sibi polliceantur. Quae cum ita sint volenti lubentique animo Nos admotis precibus obsecundamus, et ad augendam fidelium religionem animarumque salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, tredecim feriis tertiis continuis et non interpolatis vel tredecim Dominicis item continuis et non interpolatis, quolibet intra annum tempore, ad cuiusque arbitrium eligendis, piis meditationibus vel supplicationibus vel aliis pietatis exercitationibus ad Dei gloriam eiusdem Sancti honorem vacaverint, qua ex his feriis tertiis vel Dominicis id praestiterint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem vel defunctis applicabilem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium faciem non obstant, quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptio seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhib itur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae; et praecipimus, ut praesentium Litterarum (quod nisi fiat nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretariam S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae deferatur iuxta Decretum ab eadem S. Congregatione die XIX Ianuarii MDCCLVI latum et a Benedicto XIV Decessore Nostro rec. mem. die XXVIII dicti mensis probatum. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die I Martii MDCCCXCVIII Pontificatus Nostri Anno vigesimo.

Pro Dno Card. MACCHI

NICOLAUS MARINI *Substitutus.*

EX 3. POENITENTIARIA APOSTOLICA

DURIA quoad condimenta in diebus ieiunii.

Il sac. Evaristo Mosconi, Parroco di S. Maria delle Grazie presso Montepulciano, propose alla S. Penitenzieria i seguenti dubbii :

1.° Nei dì, in cui è permesso il condimento di strutto e lardo chi usa il lardo medesimo per condire minestra, polenta, frittata ecc., può liberamente mangiare quei pezzetti di lardo che restano, dopo essere stati soffritti per estrarne lo strutto ?

2.° Nei dì di stretto magro, ne' quali sono vietate le uova, si può bagnare leggermente coli'uovo sbattuto le erbe, v. g. carciofi ?

3.° Nei giorni di stretto magro è lecito l'uso dell'olio in cui siasi fritta la carne, o almeno è ciò lecito nei giorni di semplice astinenza ?

— Sacra Poenitentiaria ad proposita dubia respondit ut sequitur :

Ad 1um *Affirmative* dummodo pergant esse pars condimenti.

Ad 2um Condimentum ex ovis quando haec prohibentur, *non licere.*

Ad 3um Qui ita agunt *non esse inquietandos.*

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 17 novembris 1897.

B. POMPILI, S. *P. Corredor.*

A. C. MARTINI, *S. P. Secr.*

« gatione eorumdem Servorum Dei rerum gestarum, ac iudi-
« cialium desuper disquisìtionum, luctuosissimis hisce tempo-
« ribus, facile oriri possent. Perpensis itaque accurate Decretis
« sa. me. Alexandri Papae VII diei 19 et 23 Iulii anni 1661, sta-'
« tuendum censuit, ut, firma lege nullibi extra Urbem impri-
« mendi quaelibet eiusmodi scripta, in Urbe ipsa, durantibus
« praedictis rerum publicarum conditionibus, vel donec aliter
« a Sede Apostolica provisum fuerit, eadem nonnisi a Typo-
« graphis imprimi valeant, qui ab officio et auctoritate Patris
« S. Palatii Apostolici Magistri rite dependent, ab eoque appro-
« bati habentur. Si secus quaelibet e praefatis Scripturis praelo
« excusa fuerit, tamquam irrita prorsus ac nulla a S. Gongre-
« gationis Officialibus haberi debeat. Et ita declaravit ac statuit.
« Die 30 Ianuarii 1878 ».

Fr. TH. MARIA Card. MARTINELLI
S. R. C. Praefectus (1).

Ex hoc autem decreto intelligimus in desuetudinem vel fere abiisse legem, qua unus typographus Cameralis poterat acta in causis Servorum Dei confecta typis amandare, atque Postulatores, alias Actores, quemlibet adhibuisse typographum, quem aptum et discretum iudicassent; hinc factum, ut nonnulla acta divulgata fuerint, quae profundo erant tegenda secreto; Apostolicam Sedem consequenter et iterum confirmasse Alexandri VII sanctiones, quibus cavebatur ne acta eiusmodi extra Urbem imprimeren tur, typographio Camerali autem alios subrogasse, qui a S. Palatii Apostolici Magistro omnino defenderent.

Sed universi intelligunt hoc in decreto agi de Actis quae conficiuntur, causa adhuc coram S. C. Rituum pendente, cum sermo sit de confectis scriptis aut scripturis imprimendis, de iisque non committendis typographos quibuslibet sive extra, sive in Urbe degentibus, nisi ex auctoritate S. Palatii Apostolici Magistri dependeant. Ratio autem captae dispositionis temporanea est, cum ex politicis conditionibus .desumatur, atque de cetero voluntati Romani Pontificis subdatur ; ita ut nemo dubitare possit quin agatur de impedienda actorum publicatione, Servorum Dei causa coram S. Rituum Congregatione adhuc pendente.

(a) **Acta S. Sedis XI, 566.**

Ulterius ad inducendam prohibitionem quamlibet lex aut decretum principis exigitur. Nos autem, saltem in praesentiarum, nullam sive legem, sive decretum novimus, quo interdicatur Actorum in Causis Servorum Dei publicatio post confectam Canonizationem.

Demum acta eiusmodi, causa pendente, typis amandata fuere Promotoris fidei auctoritate, cuius auctoritas in Servorum Dei causas cessat post confectam Canonizationem. Pendente hinc causa, satisfactum legi est; causa confecta, cum cessaverit Promotoris fidei auctoritas, ad eadem acta vel alia iterum imprimenda, nulla alia requiritur auctoritas nisi aut Episcopalis, aut S. Palatii Apostolici Magistri.

Ad eiusmodi conclusionem elidendam necessarium esset aut afferre decretum aliquod S. C. Rituum, quo statuatur, etiam post confectam Canonizationem, acta eiusmodi imprimi et publicari iterum non posse sine praedictae Congregationis licentia; quod decretum et in praesentiarum nobis incompertum est, et praxi contradicit, cum, ut diximus, acta eiusmodi et alia post confectam Canonizationem publicata fuerint, non requisita Congregationis Rituum licentia; aut eiusmodi prohibitionem constitui prorsus ex praesenti Leonis XIII lege; quod probandum est; praesertim cum id ipsos eiusdem Congregationis Praefectos latere noscamus. Cum igitur nulla lex, nullumque adsit decretum contrarium statuens, conclusio nostra stabit immota.

Attamen, ut sententiam nostram in re humillime proferamus, expediret, ut eiusmodi decretum quo statuatur ut etiam post confectam Canonizationem iterum ea imprimi et publicari non possint quae pertinent ad Beatificationem et Canonizationem Servorum Dei, ab Eminentissimis Congregationis Rituum Praefectis ederetur. Plurima enim in eiusmodi actis intercedunt quae ex vulgi obtutibus amovenda prudenter esse nemo ignorat; ut ex. gr. quando agitur de personis, quae sive bona fide, sive odio et inimicitia persecutiones, accusationes, calumnias in Dei Servos excitarunt, illaeque sint dignitate praesertim ecclesiastica praestantes; de monitionibus quibusdam per Dei Servos liberrime exhibitis cuiuscumque dignitatis hominibus, qui bona de cetero existimatione gauderent, nisi his monitionibus eorum vitia in propatulo posita fuissent; de iis quae aliquando Dei Servi a diabolo passi sunt, atque de tentationibus quibus probati fuere, quae aliquando adeo sunt horribiles, ut pene incre-

dibiles videantur; de visionibus, revelationibus, prophetiis editis sive circa privatas personas, sive circa supremos principes et imperia, in quibus aliquando etiam causae indicantur aut concitatae in illos aut superventurae divinae indignationis. Horum autem vaticiniorum plurima, cum aliquando conditioni subiaceant, quae homines latet, ideoque aut effectum non sortiuntur, aut tardius sortiuntur, in ludibrium a plurimis vertantur, et ipsa Servorum Dei sanctitas, quae minime ex his donis gratuitis dependet, derisui habeatur. Atque idipsum de visionibus dicatur, quae et intellectus comprehensioni non semel sunt imperviae, et multiplici subiacent interpretationi. Qua de causa prudentiae legibus non admodum conforme videtur haec et alia indiscriminatim publicare, eum ex iis maiora mala quam bona possent oriri. Expediret hinc, ut etiam post confectam Canonizationem S. Rituum Congregationis Praefecti sibi reservarent cognitionem actorum quae publicari vellent, atque bona quidem et utilia permitterent, incongruis vero et inutilibus publicationem denegarent. Id tamen ii decernant, ad quos spectat.

70. Iure meritoque Leo XIII decrevit Collectiones Decretorum singularum Romanarum Congregationum edendas non esse, nisi obtenta prius licentia et servatis conditionibus a moderatoribus cuiusque Congregationis praescriptis. Etenim Collectiones eiusmodi efformant codicem authenticum eorum quae in singulis casibus, propositisque quaestionibus a singulis Congregationibus dirempta, definita, et responsa fuere; qua de causa necessarium est, ut plane constet, an reapse ita definitum, responsumque fuerit, ut in Collectionibus asseritur, quo tum animarum pastores, tum Christi fideles ea reapse exequantur quae a legitima potestate praescripta et promulgata fuerunt. Id autem plane constabit, si collectiones eiusmodi ea publicentur auctoritate qua Decreta lata sunt.

Non semel autem factum est, ut decreta plane spuria, aut revocata publicata fuerint, quorum tenore decepti tam Episcopi, quam Christi fideles fuerint, ob quam deceptionem Congregationum Romanarum praefectos questos de ignorantia, oscitantia, deque fraude editorum novimus. Ad eiusmodi pericula eliminanda Pontifex prudenter sapienterque statuit, quae cit. § 33 legimus.

Collectores itaque decretorum quae a variis Romanis Congregationibus edita perhibentur, postquam sedulam diligentemque

navarint operam in authenticis decretis colligendis, iisque **a** spuriis, dubiis, revocatis secernendis, nullo pacto possunt collectiones eiusmodi publici iuris facere, nisi antea licentiam obtinuerint confectam collectionem publicandi. Hac autem obtenta, id etiam praestare debent, ut observent conditiones a moderatoribus singularum Congregationum praescriptas.

Advertendum tamen est, hac in paragrapho sermonem esse de Collectionibus; qua de causa minime sub lege comprehenduntur illi qui sive in Diariis, sive in Periodicis unum vel aliud decretum singularum Romanarum Congregationum publicant, cum eiusmodi publicationes nomine collectionum venire non possint.

Quid autem si quis collectiones decretorum huiusmodi publicet, non obtenta prius a Moderatoribus opportuna licentia?

R. Ex iis quae fati sumus pag. 129 et 146 seqq., eiusmodi collectiones uti prohibitae habendae non sunt, cum Legislator eas ipso iure proscriptas minime decreverit.

Quid vero si quis licentiam quidem publicandi obtinuerit, conditiones tamen a moderatoribus praescriptas non servaverit?

R. Putamus neque hoc in casu collectiones eiusmodi interdicto subiacere, cum nulla sit lex quae illas prohibitioni submittat. Moderatoribus autem singularum Congregationum quamvis facultas inhaereat ne collectiones decretorum, praescriptis conditionibus contemptis, publicentur, nullum tamen ius inest illas proscriptas decernendi, si conditiones impositae sive a collectoribus, sive ab Editoribus posthabeantur. Qua de causa utique collectiones eiusmodi ad S. Indicis Congregationem delatae prohiberi poterunt; et iuste quidem proscriberentur, si conditiones impositae substantiam decretorum afficerent, ex. gr. si praescriptum a moderatoribus fuisset, ne illa vel illa alia decreta ederentur, publicarentur e contra illa alia, etc.; at ante iudicium prohibitae censendae non sunt. Id autem etiam ex facto demonstramus. Cum enim anno 1629 ad S. Congregationem de Propaganda Fide delatum dubium fuisset: an versiones S. Concilii Tridentini in alias linguas prohibitae censendae essent, haec ad Eminentissimos Patres S. Concilii Tridentini interpretes dubium dirimendum remisit; hi autem die 2 Iulii illas quidem proscriptas esse censuerunt, at simul significarunt S. Congregationi Indicis ut edito decreto illas prohiberet: « S. C. Concilii 2 Tu-

« Iii 1629. - Proposito articulo de ordine SSmi D. N. a Con-
« gregatione de Propaganda Fide remisso. - An translationes « S. Concilii Tridentini in alias linguas sint permissae, an po- « tins comprehendantur in Constitutione felic. rec. Pii IV *(a)* « prohibente illius interpretationes et glossas. - S. C. Cardina- **le** lium Conc. Tridentini interpretum censuit translationes eius- « dem S. C. Tridentini de lingua latina in gallicam, vel alias « linguas esse prohibitas, ideoque significandum S. Congrega- « tioni Indicis ut omnino prohibeat translationes huiusmodi fa- « ctas, quae absque speciali auctoritate huius S. Sedis Aposto- « licae impressae sint » *(b).*

Quin imo constat Romanas Congregationes vetuisse quidem decreta a se promulgata, propria auctoritate posthabita, imprimere; at poenis indictis aliis, non operis prohibitione; id constat ex decreto lato a S. Rituum Congregatione die 14 Februarii 1632, quod ita legitur : « In hac Congregatione fuit de- « cretum, quod in futurum non liceat imprimere Decreta ema- « nata per hanc Sacram Congregationem sine licentia eiusdem « Congregationis in scriptis obtinenda, sub poena ducatorum « centum auri de Camera, ipso iure per impressores incurrenda. « Quod si in aliis operibus iam impressis reperiantur allegata « decreta huius Sacrae Congregationis, nulla fides eis adhibea- « tur, nisi fuerint subscripta a Secretario dictae Congregatio- « n is » *(c).*

Hoc autem decretum renovatum etiam fuit anno 1856, quo Typographiae S. C. de Propaganda Fide concessa facultas fuit typis imprimendi tertiam Editionem Decretorum authenticorum a Cardellinio collectarum; dicitur enim in ea: *Salvo in reliquis decreto diei 14 Februarii 1632, quo cautum fuit ut nemini sine licentia, S. Congregationis in scriptis obtinenda sub poenis ibidem expressis ipsius s. Congregationis decreta imprimere liceat (d).* Cum itaque ipsae Congregationes, a quibus decreta (eduntur, collectiones non prohibeant, si propria auctoritate contempta evulgentur, manifestum insuper sit prohibitionem operis impressi nec indicere posse, quamvis non servatis conditioni-

(a) Const. *Benedictus Deus,* **qua Concilium Tridentinum confirmavit. Bullar. Rom. Tom. VII. p. 244. Editio Taur. 1882.**

(ô) Collectanea S. Congr. de Propaganda Fide pag. 765. n. 1867.

(c) Ap. Cardellini *Decreta Authentica* **S. Rituum Congr. Tom. I p. V.**

{d) **Ibid.**

bus publici iuris factum fuerit; de cetero nullum afferre liceat decretum aut Supremae Inquisitionis, aut Congregationis Indicis quo id statuatur, patere arbitramur collectiones decretorum ita impressas ipso iure proscriptas haberi non posse.

Post haec inutile non erit praecipuas Decretorum R. R. Congregationum collectiones indicare. Sunt autem:

Pallottini *Collectio omnium Conclusionum et Resolutionum, quae in causis propositis apud S. Congregationum Cardinalium S. Concilii Interpretum prodierunt ab eius institutione.* Romae ex Typographia Polyglotta S. C de Propaganda Fide 1879.

Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum ex actis eiusdem collecta eiusque auetoritute promulgata. Romae ex Typographia Polyglotta etc. 1898.

Decreta authentica S. Congregatipnis Indulgentiarum Sacrisque Reliquiis praepositae ab anno 1668 ad an. 1882. Ratisbonae 1883.

Collectanea in usum Secretariae S. Congregationis Episcoporum et Regularium cura A. Bizzarri Archiepiscopi Philippensis Secretarii edita. Romae ex Typ. Polyglotta etc. 1885.

Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide, seu Decreta, Instructiones, Rescripta pro Apostolicis Missionibus ex Tabulario eiusdem S. Congregationis deprompta - Romae ex Typographia Polyglotta etc. 1893.

71. Vicarii Apostolici hac in paragrapho illi dicuntur et sunt, qui in locis infidelium, haereticorum, schismaticorum, territorio assignato praesunt, ibique ea quae sunt ordinis et iurisdictionis episcopalis exercent, prout ordine episcopali sunt insigniti, vel non, atque S. Congregationis de Propaganda fide auctoritati subduntur.

Missionarii Apostolici autem illi sunt Sacerdotes, qui a Sacra Congregatione de Propaganda Fide approbati in locis praedictis commorantur, ibique ministerium suum exercent sub Vicariorum Apostolicorum auctoritate.

His autem omnibus indicitur ut in libris edendis fideliter Decreta servent quae a S. Congregatione de Propaganda fide promulgata fuere. Haec autem plura in re decreta edidit quae leguntur in Collectanea eiusdem S. Congregationis pag. 765. seqq.

In Congregatione generali diei 6 Decembris 1655 sequentis tenoris decretum emisit: « **S.** Congregatio iustis de causis mota « deliberate decrevit nulli Missionario Apostolico cuiusvis gra-

« dus, conditionis, praeeminentiae, religionis, statusque, impo-
« sterum licere aliquod opus proprium, seu alterius, sub quo-
« vis praetextu, per se vel per alium seu alios, typis mandare
« absque ipsius Sacrae Congregationis expressa licentia in scri-
« ptis, in forma solita etc, sub poena privationis officii, vocis
« activae et passivae, suppressionis eiusdem operis et excom-
« municationis latae sententiae, ipso facto incurrendae, ac soli
« SSmo Domino Nostro reservatae *(a).* Praecipiendo supra-
« dictis et cuilibet ipsorum, ut casu quo dictam licentiam ob-
« tineant, eamdem in ipsius operis initio imprimere teneantur
« sub iisdem poenis, non obstantibus quibuscumque privilegiis,
« facultatibus, licentiis etc. etiam oretenus alias datis seu con-
« cessis, quae omnia et singula per praesens decretum revo-
« cata omnimode censeantur et pro revocatis habeantur *(b)*».

Huius igitur vi decreti nullus Missionarius Apostolicus, quacumque dignitate praefulgeat, absque facultate S. Congregationis christiano nomini propagando praefectae, potest librum aliquem, sensu tamen mox exponendo, sive a se sive ab alio confectum imprimere et divulgare iis in locis, in quibus ministerium apostolicum exercet, atque iurisditioni praedictae Congregationis subiacet.

Huic tamen decreto temperamentum illatum est die 28 Decembris 1770, quo permissum pro imperio Sinico fuit parvas doctrinas, catechismos, instructiones etc. imprimere de Episcopi respectivi aut Vicarii Apostolici licentia. « S. Congregatio de-
« crevit nullo modo expedire ut in Imperio Sinico et Regno
« Tunkini scripta quaecumque, vel libri publicentur, sive de
« religione directe vel indirecte 'tractantes, sive disserentes de
« rebus ecclesiasticis, nisi praevio examine atque approbatione
« ipsius sacrae Congregationis. Exceptas tamen ab hac lege
« declaravit parvas doctrinas, catechismos, instructiones ac
« preces, quae fidelium usui quotidiano inserviunt; sub ea ni-
« hilominus conditione ut in vulgus spargi non possint, nisi
« prius eas respectivi Episcopi locorum, seu Vicarii Apostolici
« viderint atque in lucem permiserint emitti *{c)* ».

(a) **Quae tamen excommunicatio post Const.** *Apostolicae Sedis moderationi,* **qua censurae latae sententiae limitantur, abrogata est.**

(b) **Collectanea n. 1869, pag. 765.**

(c) **Collectanea n. 1870, pag. 765.**

Atque hac lege universi missionarii Apostolici S. Congregationi de Propaganda fide adhuc detinentur. Quamvis enim die 3 Ianuarii 1777 Vicario Apostolico Sutchuensi concessum fuerit posse lingua Sinica libros edere *latini aut alterius idiomata apud catholicos in Et tropa passim communes,* veluti *Imitatio Christi,* ut in petitione legimus, *Evangelia et Epistolae totius anni, Catechismus D. de Fleur g, mores Isclraelitorum et Christianorum* (eiusdem auctoris); *Acta Martyrum D. Ruinart ;* id autem et permissum fuit cum approbatione eiusdem S. Congregationis, non absque *(a),* et die 31 Augusti 1840, datis Uteris ad Vicarium Apostolicum Siam, declaratum fuit, decreto lato an. 1777 minime extensum fuisse decretum anni 1770; indultum insuper fuisse personale, uni Vicario Apostolico Sutchuensi concessum. « Quemadmodum per Seminarii Praesidem « amplitudini tuae significaveram, in particulari conventu su- « per negotiis Missionum Sinensium habito die 6 labentis Au- « gusti proposita ac perlecta fuit epistola A. T. diei 26 Iunii, « qua facultatem petebas *imprimendis edendi ac distribuendi « aliqua opuscula controversiae, si quae iudicaveris necessa- « ria, aut utilia,* non obstante decreto anni 1770, quod con- « firmatum vel extensum putabas per alterum diei 8 Ianuarii « 1777. EE. PP. in re tam gravi omni maturitate perpensa, ac « moti rationum momentis quae supramemoratum decretum « anni 1770 provocaverunt, eidem derogare noluerunt aliisque « eiusmodi petitionibus viam sternere, eo vel magis quod in « eodem decreto potestas relinquitur Vicariis Apostolicis impri- « mendi *parvas doctrinas, catechismos, instructiones ac pre- « ces, quae fidelium usui quotidiano inserviunt* In reliquis « autem nec urgens perspicitur necessitas libros imprimendi « antequam Sacrae Congregationi examinandi exhibeantur, ne- « que ex aliqua fortasse mora in eodem examine incommo- « dum aut detrimentum obventurum apparet. Certiorem insuper « A. F. facere non praetermitto decretum anni 1777 nullo modo

(a) **« Attentis peculiaribus circumstantiis, permitti posse Vicario Apostolico, « ut in eius districtu, praevio ipsius examine, atque approbatione eiusdem S. C. pos- « sint, etiam lingua Sinica, libri iam in Europa compositi et vulgati cum communi « approbatione ecclesiastica, exceptis prohibitis a S. Sede, vel nominatim vel gene- « raliler, in Indice expurgatorio, inter quos videntur esse nonnulli ex enuntiatis nu- « per ab eodem Vicario. In reliquis servetur Decretum anni 1770 ».** *Collectanea* **n. 1871, pag. 766.**

« ad confirmandum vel extendendum generatim praecedens « anni 1770 editum fuisse, sed personale tantum fuisse in « dultum, seu facultatem Vicario Apostolico Sutchuensi elargi- « tam, caeteris Praesulibus haud communem. Si quid igitur « imprimendum ac typis vulgandum A. T. habeat, quod in de- « creto anni 1770 exceptum non fuerit, illud praevio examine « ac de licentia S. C. edendum erit *(a)* ».

Exceptis itaque *parvis doctrinis, catheehismis, instructionibus ac precibus, quae -fidelium usui quotidiano inserviunt,* nec Vicarius, -nec Missionarius Apostolicus, praeter S. **C.** de Propaganda Fide licentiam, potest aliquem edere aut publicare librum de religione directe vel indirecte tractantem, aut de rebus ecclesiasticis disserentem, ut in decreto anni 1770 praescribitur; qua de causa cum in lege odiosa versemur, non existimamus legem extendi posse ad alios libros nec de religione directe vel indirecte tractantes, nec de rebus ecclesiasticis disserentes, sed de notionibus historicis geographicis, topographicis, naturalibus, aliisque cognitionibus quae ad religionem nullimode referuntur. Contra eiusmodi publicationes nullum decretum in Collectanea cit. S. Congregationis legimus *{b)* ».

Cum lex feratur in subditos, Lectores nostri rite erunt intellecturi 1°. huiusmodi prohibitione unos Missionarios Apostó-

la) Collectanea n. 1878, p. 768.

[b) **Advertendum tamen est, non licere typographos S. C, de Propaganda Fide translationes librorum ex italico aut latino idiomate in exteras linguas conficere, nisi latino aut italico textu inserto. Id patet ex decreto lato die 5 Februarii 1651. « Ad obviandum erroribus et praecipue circa fidem vel dogmata catholicae religio- « nis qui in translationibus librorum latinae aut italicae linguae in exteras, et prae- « sertim Orientalium linguas, ob ineuriam aut inscitiam vel etiam malitiam inter- « pretum occurrere solent, Emi Patres praecipiendum esse censuerunt, prout prae- « senti decreto districte praecipiunt, modernis et pro tempore S. Congregationis ty- « pographis eorumque ministris, et denique ipsius typographiae superintendente « ne de cetero libros ex italico vel Latino Sermone in exteras linguas translatos in « dicta typographia imprimant aut imprimi faciant, nisi eum latino aut italico textu « ex quo facta fuerit translatio. Idemque observetur si exterarum linguarum libri « imprimendi erunt, ut videlidet non aliter typis dentur, nisi cum sua interpréta- it tione latina vel italica, et praedicta sub poenis eiusdem S. C. arbitrio huiusce de- « creli transgressoribus pro modo culpae infligendis ».** *Collectanea* **n. 1868, pag. 765.**

Cum vero hoc in decreto sermo sit de unis Typographos S. C. de Propaganda Fide subiectis, nihilque de missionariis decernatur, patere arbitramur pro his neque libros eiusmodi esse prohibitos, si absque textu latino vel italico edantur, neque aliquas incurrere poenas si eos legant.

lieos obstringi S. Congregationi de Propaganda Fide subiectos, non alios qui eius non subduntur potestati.

2°. Hanc consequenter prohibitionem minime in eis vigere locis, ubi Hierarchia ecclesiastica constituta reperitur.

3°. Sub ea non comprehendi Missionarios illos Apostolicos, qui eiusmodi titulum a S. C. de Propaganda Fide consecuti sunt, attamen in locis missionum apud exteras nationes non commorantur; hi enim respectivis episcopis sunt subiecti, et veluti Missionarii ad honorem, non proprie dicti, habentur; qua de causa legibus iisdem non obstringuntur.

72. Antiqui iuris dispositiones hac in paragrapho Leo XIII immutavit; eo enim libri examinandi *ef* probandi erant ab Ordinariis locorum, in quibus typis amandabantur. Regula X Tridentina haec profecto sanciebatur. « Si in alma Urbe Roma « liber aliquis sit imprimendus, per Vicarium Summi Pontifl- « eis, et Sacri Palatii Apostolici Magistrum, vel personas a San- « ctissimo Domino nostro deputandas, prius examinetur. In « aliis vero locis ad Episcopum, vel alium habentem scientiam « libri; vel scripturae imprimendae, ab eodem Episcopo depu- « tandum, ac Inquisitorem haereticae pravitatis eius civitatis, « vel dioecesis, in qua impressio fiet, eius approbatio et exa- « men pertineat, et per* eorum manum, propria subscriptione, « gratis et sine dilatione imponendam, sub poenis et censuris « in eodem decreto (Lateranensi sub Leone X. Sess. X) con- « tentis, approbetur, hac lege et conditione addita, ut exemplum « libri imprimendi authenticum, et manu auctoris subscriptum « apud examinatorem remaneat ».

Imrnutandae autem legis haec ratio fuit. Solent non pauci scriptores aut editores nationis cuiuslibet libros suos imprimendos committere typographos celebrioribus, vel in pretio taxando prae ceteris moderatione utentibus, aliorum locorum, vel etiam aliarum nationum; impressione autem confecta, exemplaria omnia eo in loco divulgare ubi commorantur, vel alibi, non in loco ubi fuit impressum. Hinc fraudibus aperiri via poterat. In locis enim in quibus impressio conflciebatur, aliquando aut in desuetudinem abierat, aut prorsus non vigebat lex de submittendis praeviae censurae ecclesiasticae libris qui erant imprimendi. Cum autem lex antiqua statueret, praeviam censuram esse ab ordinario loci instituendam, in quo liber imprimebatur, eo autem in loco quo auctores libros imprimebant, lex haec,

quacumque demum de causa, non vigeret, qualibet censura ecclesiastica se exemptos aut reapse putabant, aut saltem putare poterant, cum Episcopo loci in quo libri divulgabantur, ius eiusmodi concessum non fuisset.

Acute hinc Leo XIII legem immutavit, ne latior fraudibus aperiretur via. Si enim auctores vel editores in loco impressionis librum divulgare exoptent, ab eiusmodi loci Ordinario praeviam censuram et approbationem expetere tenentur; si in aliis locis, ad horum Episcopos sese convertant oportet. Auctores hinc aut librorum editores antequam typis opus amandent, debent praeviae illud censurae submittere Episcopo loci in quo operis publicationem agere intendunt, eiusque approbationem referre, ut eam vel in fronte vel in fine apponant, ut § 40 praescribitur.

Nemo tamen putat, ab Ordinariis omnium locorum, in quibus libros divulgare exoptant, teneri autores vel editores censuram praeviam et licentiam postulare. Si quis auctor ex. gr. librum quidem Ratisbonae imprimat, illius tamen exemplaria simultanee divulgare intendat Lutetiae Parisiorum, Viennae in Austria, Romae, Matriti, hic profecto auctor non tenetur omnium harum Urbium Episcoporum praeviae censurae librum imprimendum committere, cum esset onus nimis gravosum, sed satis erit si ei committat in cuius Dioecesi versatur, et in qua exemplaria divulgare intendit. Si vero in loco, in quo commoratur, exemplaria publicaturus non erit, satis erit si ab aliquo ex illis in cuius Dioecesi publicationem instituet, praeviam censuram et approbationem impetret.

Constare tamen debet de licentia ab aliquo Episcopo, in cuius Dioecesi opus devulgatur, impetrata, ut ceteri agnoscant impressionem ad legis ecclesiasticae tramites fuisse absolutam; singuli Episcopi enim in quorum Dioecesi opus publicatur, iure gaudent illud censurae supponendi, publicationem impediendi, vel etiam librum proscribendi, si proscriptione dignum censeant. Auctores hinc praecedentem eiusmodi censuram et approbationem praetermittere non debent. Typographi catholici autem munere fungentur suo, si auctores vel editores moneant de eiusmodi obligatione, si eam posthabuerint, atque protestationem emittant se non esse opus, sine legitima approbatione, typis commissuros.

Iure tamen quaeritur: An Episcopus loci impressionis possit exigere ut liber imprimendis suo examini subiiciatur an-

tequam imprimatur! Etenim iure proprio et nativo gaudere videntur Episcopi cognoscendi et-censuram instituendi in libros, qui in suis Dioecesibus imprimuntur.

R. Non potest, cum per hanc novam a Leone XIII promulgatam legislationem eo officio fuerint exonerati.

Quid autem si auctor praetermisso examine et approbatione obtinenda ab Episcopo loci, in quo librum publicare intendit, ab uno Episcopo loci in quo liber imprimitur, sed non publicatur, approbationem referat?

R. Liber eiusmodi prohibitus censeri nen debet, cum nulla lege prohibitione obstrictus teneatur; et quamvis a non idonea, neque competenti, tamen ab auctoritate ecclesiastica approbationem retulerit, in quo auctor se Ecclesiae auctoritatem revereri demonstrat. At Episcopus loci in quo liber publicatur nulla obligatione tenetur standi iudicio Episcopi loci impressionis, et potest ad suum iudicium librum revocare, et eius publicationem impedire donec legibus ecclesiasticis satisfactum fuerit.

Eadem sed vero dicenda forent si auctor, posthabita Episcopi loci in quo liber publicatur approbatione, illum publicaret; cum enim Legislator eiusmodi publicationes poena prohibitionis non afficiat, Episcopus utique poterit eius publicationem impedire, poterit etiam librum prohibere, si prohibitione dignus appareat; at ipso iure prohibitus haberi non potest, cum legem prohibentem non habeamus.

Ut autem ex paragrapho constat, ad Episcopos illorum approbatio librorum pertinebit quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur; libri autem, de quibus agitur in praecedentibus paragraphis huius Capitis aut Romano Pontifici, aut Romanis Congregationibus reservantur. De aliis ergo Episcopi solliciti sint oportet.

73. Regulares hac in paragrapho 36 stricto sensu accipiendos esse opinamur, cum in lege odiosa versemur; eos consequenter qui votis solemnibus obstringuntur, sine quibus nullus Ordo vere regularis et religiosus censetur. Votorum autem simplicium Instituta, casu aliquo excepto, Episcopi iurisdictioni subduntur, atque cum eorum homines religiosi proprie dicti non sint ad Clerum saecularem pertinere dignoscantur; huius autem Superior Episcopus est. Si autem qui vota sua his in Institutis nuncupavere, regula aut praecepto obstringantur ne

quidquam typis amandent non% habita a superioribus suis licentia, non quidem Principis, sed regularum praecepto, a Superioribus opportunam in re facultatem impetrare tenentur.

Legislator Regulares obstringit ad eiusmodi facultatem a Superioribus suis obtinendam ex S. Concilii Tridentini decreto. Advertendum tamen est huius Concilii Patres eo in Decreto lato Sess. IV. *De editione et usu Sacrorum librorum* sermonem habere de libris qui de rebus sacris tractant, non de aliis : « Nullique liceat imprimere vel imprimi facere quoscumque li-« bros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in fu-« turam vendere, aut etiam apud se retinere nisi primum exa-« minati approbatique fuerint ab Ordinario ». Qua de causa Regulares ob libros de rebus sacris tractantes, ex Concilii Tridentini praescripto, tenerentur a Superioribus suis veniam postulare. « Et si regulares fuerint, ultra examinationem et proba-« tionem huiusmodi licentiam quoque a suis Superioribus im-« petrare teneantur, recognitis per eos libris iuxta formam sua-« rum ordinationum ».

Sciendum tamen est, Clementem VIII Tridentinum decretum ad cuiusvis materiae libros extendisse qui a Regularibus prodirent. « Regulares praeter Episcopi et Inquisitoris licentiam « (de qua regula X dictum est) meminerint teneri se, sacri Con-« cilii Tridentini decreto,', operis in lucem edendi facultatem a « praelato, cui subiacent, obtinere. Utramque autem conces-se sionem, quae appareat, ad principium operis imprimi fa-« ei ant *(a)* ».

Qua de causa post eiusmodi Clementis VIII extensionem Regulares tenentur opus quodlibet Episcoporum et Praelatorum suorum auctoritati subiicere. Non est igitur illorum sententia admittenda qui putant, Regulares Superiorum suorum praeterire posse licentiam, si libros alios de rebus sacris non tractantes edituri sint, vel ad hanc postulandam obstringi ad tramites regularum quas professi sunt, aut obedientiae et paupertatis quas devo veruni Minime; tenentur enim ex Pontificis lege nunc, sicut etiam a Clementis VIII aetate tenebantur. Id autem ex facto constare dignoscitur, cum libri omnes a Regularibus editi tum ante, tum post Constitutionem Leonis XIII utriusque Praelati licentiam sive in fronte, sive in fine impressali! referant.

(a) introduci io — De Impression? librorum.

Non est autem putandus Legislator noster Clementis VIII sanctionem abolevisse; nam non Tridentini Concilii, sed Clementis VIII verbis utitur, quem pene excribit; atque facultatem a respectivis praelatis obtinendam cum facultate ab Episcopo impetranda coniungat, quae se ad omnes libros Summo Pontifici aut Romanis Congregationibus non reservatos extendit.

74. Antiquo iure ii qui in Statu ecclesiastico commorabantur, si librum aliquem extra eiusdem confinia imprimere voluissent, duplici approbatione sese communire debebant; et Romae quidem Magistri S. P. Apostolici atque Eminentissimi Urbis Vicarii, extra, facultate Episcopi illius in cuius Dioecesi auctor vel editor versabatur, Episcopi praeterea in cuius Dioecesi erat liber imprimendus; constat enim approbationem librorum ante Constitutionem Leonis XIII pertinuisse ad Ordinarium loci in quo liber typis committebatur. Huic igitur ius erat et potestas librum imprimendum examinandi *(a).*

Legislator noster considerans fortasse, non admodum decere ut iudicium et sententia Ministrorum primae Sedis ab aliis, etiam inferioribus, ad trutinam vel revocaretur, vel utcumque probaretur, huic legi derogavit, praescripsitque e contra ut si auctor quilibet *Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere vellet, praeter approbationem Cardinalis in Urbe Vicarii, et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requireretur.*

E medio scilicet tulit legem pro iis sancitam, qui extra Urbem quidem, sed in Statu Pontificio commorabantur, atque de unis auctoribus Romae commorantibus sollicitus, hos alibi libros a se compositos imprimere desiderantes, qualibet alia praevia revisione et approbatione exoneravit, dummodo approbationem Cardinalis Urbis Vicarii, et Magistri Sacri Palatii Apostolici, cumulative tamen non disiunctive, retulissent.

Constat autem Romae praeviam librorum censuram et approbationem Magistrum Sacri Palatii Apostolici instituere atque

(a) **Ius antiquum Alexandri papae VII decreto constituebatur: « Observandum « est circa Regulam X, quod degentes in statu Sedi Apostolicae mediate vel imme- « diate subiecto, non possunt transmittere libros a se compositos alibi imprimendos, « sine expressa approbatione, et in scriptis eminentissimi ac reverendissimi d. Car- « dinalis Sanctissimi Domini nostri Vicarii, et Magistri sacri Palatii, si in Urbe; si « vero extra Urbem existant, sine Ordinarii loci illius, sive ab his deputatorum fa- « cullate et licentia operi infligenda.**

decernere; hanc autem Eminentissimum Urbis Vicarium, vel eius vices gerentem confirmare per identicum verbum *imprimatur,* quod minime aequipollet vocabulo vel formulae *visum,* sed eiusdem auctoritatis, nisi maioris, approbationem significat; nemo enim concessurus erit approbationem Cardinalis in Urbe Vicarii inferioris esse auctoritatis approbatione magistri S. Palatii Apostolici.

Ex lectione autem paragraphi singuli intelligunt, auctoribus Romae degentibus liberum relinqui, velint nec ne alibi librum imprimere ; qua de causa, quidquid de antiqui iuris dispositione dici velit, in praesentiarum locum non habet quaestio de domicilio vel quasi domicilio, ut eiusmodi legis beneficio fruantur, sed satis est ut auctor Romae degens quacumque intentione vel tempore, velit sive privilegio sive facultate uti Cardinali Urbis Vicario et Magistro S. Palatii Apostolici concessa; lex enim haec a Leone XIII renovata potius videtur auctoritatis ministrorum a R. Pontifice super eiusmodi negatio constitutorum communiendae gratia, quam pro auctoribus; hi enim ea uti vel non uti ad lubitum possunt.

75. Hac in paragrapho 38 Legislator qualitates dotesque eorum decernit, quibus librorum examen Episcopi committunt; atque tales esse debere dicit ut pietate et doctrina praestent, quibus ducti et rectum iudicium circa doctrinas in libro contentas pronuntient, et in iudicio digerendo quemlibet humanum affectum sive odii, sive amicitiae ex animo excutiant; ita ut Dei dumtaxat gloria et fidelis populi utilitate sibi prae oculis positis, id agant quod veritatis et iustitiae dictamina requirunt. Eligendis igitur idoneis examinatoribus diligentiam plurimam adhibeant oportet Episcopi, atque pietate et doctrina instructus eligant; doctrina quidem ut veritatem cognoscant, pietate ut eam sequantur promoveantque, errores autem, quolibet humano respectu posthabito, notent, persequantur, damnent, et ut damnentur prudentem solertemque operam adhibeant.

Hac in re Leo XIII Praedecessorum suorum sanctiones innovavit, Clementis VIII scilicet, Alexandri VII, Benedicti XIV. Et primus quidem in *Instructione. De Impressione librorum* § V ea protulit, quae Legislator noster fere ad verbum in suam intulit Constitutionem « Curent, nempe, Episcopi et Inquisito-
le res, quorum muneris erit facultatem libros imprimendi con-
« cedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae vi-

« ros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri « queant, nihil eos gratiae daturos nihil odio, sed omni humano « affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos, et fide- « lis populi utilitatem ».

Alexander VII vero ab examinatoribus nonnullos particulares defectus arcere curavit, qui ex negligentia, bona fide, aut amicitia originem ducere solent. « Qui super, dixit, impres- **se** sionem librorum, ordinariam aut delegatam auctoritatem exer- « cent, dent operam ne ad examen librorum huiusmodi perso- **se** nas affectui auctorum quomodolibet addictas, praesertim vero « propinquitate illos, aut alia, quamtumvis a longe petita ea sit « (veri et sinceri iudicii corruptrice) necessitudine contingentes « admittant; super omnia autem ab oblatis sibi in hanc operam « per eosdem auctores censoribus caveant ; sed iis demum utan- « tur, quos doctrina morumque integritate probatos, ab omni « suspicione gratiae intactos, ac si fieri potest, auctoribus ipsis « ignotos, et unius boni publici, Deique gloriae studiosos co- **se** gnoverint ».

Benedictus decimus quartus denique in Const. Sollicita § **13** eligendos ad censuram librorum statuit *homines vitae integros, probatae doctrinae, maturo iudicio, incorrupto affectu, ab omni partium sttidio, per sonar tanque acceptione alienos, qtd aequitatem libertatemque iudicandi eum prudentia et veritatis zelo coniungant.*

Quoniam vero in singulis scientiis libri prodeunt, hinc Episcopi prae oculis habeant quae in fine citatae paragraphi tantus Pontifex monet, assumendos nempe esse ex utroque Clero, saeculari et regulari, quorum *alii quidem theologi, alii utriusque iuris periti, alii saera et profana eruditione praestantes... ut idonei viri non desint ad ferendum: de unoquoque iudicium.*

Haud tamen infrequenter evenit ut liber examinandus committatur homini quidem probitate et doctrina praecipuo, non tamen ea in scientia exculto, de qua liber agit. Quid ? Hic profecto sedulo exequatur quae in cit. Const. *Sollicita,* **§ 1 6 ,** Benedictus XIV insinuât. « Si alicui per errorem materia aliqua clis- **se** cutienda committatur ab illius peculiaribus studiis aliena, id- « que a censore, aut consultore electo ex ipsa libri lectione de- « prehendatur, noverit is, se neque apud Deum, neque apud « homines culpa vacaturum, nisi quamprimum id Congrega- **se** tioni aut Secretario aperiat, ''seque'"ad'ferendam de huiusmodi

« libro censuram minus aptum professus, alium magis idoneum « ad id muneris subrogari curet, quo tantum abest, ut existi« mationis suae dispendium apud Pontificem et Cardinales pas**se** surus sit, ut magnam potius probitatis et candoris opinionem « et laudem sibi sit comparaturus ».

Haec autem si Episcopi considerent atque exequantur, timere non poterunt ne ad libros examinandos homines idoneos sint electuri.

76. Constitutis dotibus, quibus librorum examinatores praestare debent, Leo XIII normam exhibet qua in examine instituendo ducantur. Libri enim, in quos censura agitur, vel continent errores qui sive directe sive indirecte fidem et morum honestatem labefactant, vel opiniones et sententias, de quibus in scholis catholicis libere disputatur, et in quas vario feruntur homines iudicio; has Legislator dimittendas, illos, iuxta catholicam doctrinam, condemnandos decernit. Errorum ,tamen cognoscendorum, qui fidei morumque dogmata inficiunt, regulam undequaque tutam Pontifex statuit in veritatibus, *quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur.* Etenim hae veritates constituunt obiectivam fidei realitatem, his veritatibus mediantibus haereses erroresque dignoscuntur. Qua de causa opiniones praeconceptas, atque sententias quae ex praeiudiciis aliisque fontibus mere subiectivis dimanant ab examinatoribus alienas esse debere vult Pontifex.

Quod ut obtineat, ea instaurat quae Benedictus XIV in cit. Const. *Sollicita,* § 17 monuerat, scilicet: « De variis opinio« nibus atque sententiis in unoquoque libro contentis animo « a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse sciant. «Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excu« tiant, studia partium seponant, Ecclesiae Sanctae dogmata, « et communem catholicorum doctrinam, quae Conciliorum « generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, « et orthodoxorum Patrum atque doctorum consensu contine« tur, unice prae oculis habeant; hoc de cetero cogitantes, non « paucas esse opiniones, quae uni scholae, instituto, aut nationi « certo certiores videntur, et nihilominus sine ullo fidei et re**se** ligionis detrimento, ab aliis catholicis viris reiiciuntur, atque « impugnantur oppositaeque defenduntur, sciente ac permittente

« Apostolica Sede, quae unamquamque opinionem huiusmodi «in suo probabilitatis gradu relinquit».

Nihil profecto tam iustum, tamque examinatoribus proprium quam haec, in instituenda librorum censura, cogitare et exequi, cum inde ea quae veritati quaeque iustitiae conveniunt iudicaturi erunt.

Cum igitur examinatores haec unice prae oculis habere debeant, patere arbitramur:

a) Cavere debere ne erroneas, falsas, suspectas de haeresi, multo minus haereticas, opiniones traducant de quarum falsitate ex nullo e recensitis per Romanum Pontificem fontibus constare dignoscitur.

b) Eos una fidei morumque dogmata cogitare debere; cavere hinc ne se immisceant in rebus quae mere ad historiam, criticam, chronologiam, physicam, astronomiam aliasque scientias naturales pertinent, quaeque nullam habent ad fidem morumque integritatem relationem; haec enim aliis principiis diiudicanda sunt.

e) In iis quae ad divinas Scripturas relationem habent, animadvertant ne ob aliquod sacrorum Bibliorum testimonium, quod sensu literali accipiendum esse liquido non constat, damnare audeant principium aliquod scientiarum naturalium, illudque putent revelatae doctrinae adversari.

Quae quidem sedulo monenda erant, cum aliquando examinatores aut minus periti, aut imprudenti zelo inducti, ob voculam, ob scomma aliquod inurbanum, ob sententiam quae ipsis non arrideat, ob facta mere historica quae praesertim ad personas vel res ecclesiasticas referantur, quorum veritatem perspectam non habeant, ob aliquam sententiam quae ipsis nova videatur, quam vis circa ea nihil ab Ecclesia vel a Romaais Pontificibus pronuntiatam fuerit, librum aut non esse imprimendum, aut non publicandum, aut condemnandum iudicent; quod nefas.

Ut examinatores intelligant quanta sibi doctrina et maturitate iudicii sit agendum animo, etiam recogitent animadversiones in Historiam Ecclesiasticam Natalis ab Alexandro institutas ; quamvis enim plurimae veritati nitantur, non paucae tamen quae ad facta mere historica referuntur falsae sunt. Quantus pudor pro censoribus, dum eorum censurae cum responsis ab doctissimo illo viro contra eas institutis typis impressae sunt atque publicatae! De cetero hac in re agitur de iustitia, de veritate, de

auctorum fama, deque etiam eorum lucro; haec autem nulla ratione sunt parvipendenda.

Quid demum, quod post Constitutionem Leonis XIII examinatores decet esse humaniores? Non eo quidem sensu ut circa res fidei morumque transactionem instituant; in his enim nulla transactio datur; sed ut in ceteris lenitatem potius quam severitatem adhibeant.

77. Ut examen rite absolvatur, librum integrum examinatores legere debent, ne in malum sensum detorqueant quod in hac libri pagina minus clare auctores scripsere, dum in alia idipsum sensu aperto et catholico protulerunt. Id de cetero monet Benedictus XIV in cit Const: *Sollicita;* atque quae monet Censores attento animo legant et exequantur.

Absoluto autem examine, Censores deputati ad Ordinarium iudicium suum atque sententiam deferant. Haec autem triplex -esse poterit:

a) Aut *opus condemnandum.*

b) Aut *corrigendum.*

c) Aut *nihil obstare quominus imprimatur et publicetur.*

Si 1m. impressionem aut publicationem, post perspectam censuram, Episcopus denegat.

Si 3m. Opus imprimendi aut publicandi facultatem concedit.

Si 2ra. ante impressionem opus ab auctore corrigendum est ad tramites correctionum quas Censores instituendas esse decreverunt; neque opus publicandum erit nisi postquam Ordinarius praescriptas correctiones approbaverit (a).

Exinde librorum auctores intelligant, tutius esse opus tradere Episcopo examinandum antequam imprimatur, ne vel ob prohibitionem, vel ob correctiones instituendas, aut operam perdere, aut expensas multiplicare compellantur.

Si nihil publicationi libri obstet, praecipit Legislator ut illius publicandi licentia *in scriptis et omnino gratis* auctori concedatur; licentia concessa autem in principio vel in fine operis sit imprimenda.

(a) Quoniam Censores Episcopales eo secreto non obstringuntur, quo S. Congregationis Indicis Consultores, rem inutilem agere non putamus si eos humillime rogemus, ut si quando aut sensus auctoris dubius, aut sententia aliqua sibi non satis pro banda videatur, aut aliud notaverint quod declaratione indigeat, auctorem moneant, ut voce vel scripto declaret quae in controversiam veniunt.

Quid igitur I°. si viva voce, et non in scriptis licentia concedatur ?

Quid 2°. si pretium aliquod ab Episcopo, vel a Curiae Episcopalis officialibus exigatur?

Quantum ad primam quaestionem attinet, curare debent Episcopi ut Pontificis praescriptiones scriptam licentiam exigentia in fine vel in principio operis imprimendam observent. Si tamen voce tenus eam concesserint, nulla exinde invaliditas, cum substantia praecepti in concessione licentiae consistat: haec autem sive voce, sive scripto concedatur, vera licentia est. Neque potest absolute defendi licentiam ab Ordinario concessam iisdem esse verbis in opere imprimendam, cum ex paragraphi lectione unum appareat, licentiam operis publicandi in scriptis datam esse imprimendam; quibuscumque igitur verbis imprimatur, etiam usitatissimis *de Superiorum licentia, aut facultate, aut imprimatur* legislatoris voluntati fit satis; atque advertatur, Leonem XIII praetermisisse verba *authentice appareat*^ quae in veteri iure leguntur. Hic de cetero minime praecipit ut sub nullitatis poena facultas in scriptis aut concedatur, aut iisdem verbis imprimatur. Typographi tamen non tenentur fidem adhibere auctori vel editori affirmantibus sese opportunas facultates ab Episcopo viva voce retulisse, nisi sint plane fide digni; sed oportet ut ab Episcopo eiusmodi notitiam accipiant.

Circa secundam quaestionem, in antiquo iure, Regula X Tridentina statuebatur examen, licentiam, et cetera gratis fieri debuisse. « Ipsa vero huiusmodi librorum probatio in scriptis de« tur, et in fronte libri, vel scripti vel impressi authentice ap« pareat: probatioque et examen, ac cetera gratis fiant ». Praecipiebatur insuper *ut exemplum libri imprimendi authenticum, et manu auctoris subscriptum apud examinatorem remaneat.* At legislator noster unum praecipit, ut scilicet Episcopus licentiam gratis concedat; qua de causa lex unos afficit Episcopos, non censores ad librum examinandum destinatus, hi consequenter sub lege non comprehenduntur; et quoniam aliquando operis alicuius examen, si praesertim non uno volumine constet, nec onus leve est, nec breve tempus exigit, indecens non esset, retributionem Censori ab auctore rependi, non ab eo tamen, sed ab Episcopo statuendam. Equidem id a consuetudine penes S. Congregationem Indicis receptam abhorret; Consultores enim ad censuram librorum instituendam destinati pro librorum exa-

mine nihil omnino percipiunt. Sed si censores episcopales hos imitari nolint, neque peccant, neque quid indecens admittunt; scriptum est enim : *Dignus est operarius mercede sua (a).*

Si autem Episcopus, aut Curiae Episcopalis Officiales pro licentia concedenda aliquid exigèrent, contra legem quidem agerent, licentia tamen minime putanda esset invalida, cum eam invalidam Legislator non proclamaverit.

Demum Pontifex auctores onere dispensavit relinquendi exemplar authenticum penes examinatorem; de quare amplissimas referre gratias ei debent, cum non levi incommodo et expensis exonerarit.

78. Sunt qui putant hac in paragrapho per verba *omnes fideles* Leonem XIII typographos tantum atque editores, non librorum auctores, indigitasse; idque quia § 44 de solis typographos et editoribus sermo habeatur; excipiendi tamen auctores eis videntur Romae commorantes, qui libros quos alibi typis amandare aut publicare desiderant, Magistri S. Palatii Apostolici praeviae tenentur censurae submittere *(b).*

Verum eiusmodi sententia admittenda non videtur. Etenim

I. Legis cuiuslibet quantitas est ex obvio et literali verborum sensu dimetienda, eique standum est nisi aut contextus, aut adiuncta aliud persuadeant. Sed per verba *omnes fideles* intelliguntur omnes omnino qui possunt indictam in paragrapho actionem executioni demandare: qui certo certius non uni sunt typographi et editores; ergo hi tantum per verba *omnes fideles* intelligi nequeunt.

II. Contextus autem idipsum persuadet. Etenim *a)* Legislator in universo decreto numquam indicium aliquod exhibet, quo se

(a) **Luc. X. 7.**

{b) **S'intendono già quei soli che giusta il Concilio Lateranese IV (typographus -debuisset hic et pag. 87 imprimere V, non IV, prout auctor scripserat, qui certe noverat, Concilii Lateranensis IV tempore sub Innocentio III anno 1215 celebrati artem typographicam nondum fuisse inven tam) imprimono o fanno imprimere i libri: quali i** *tipografi* **e gli** *editori* **non già gli** *autori,* **quando questi di per se non curano l'edizione dell' opera propria. Ciò ha luogo anche nella presente disciplina, giacché nel Capo seguente, in cui si parla delle persone obbligate di sottoporre a tal censura i libri, si fa menzione solo di** *tipografi* **e di** *editori.* **Si eccettuano, come sembra, i soli autori che dimorano a Roma: questi se danno commissioni o permessi ad altri di stampare fuori di Roma i loro libri, debbono sottoporli prima alla censura del Vicario di Sua Santità, e del maestro dei Sacri Palazzi. La Costituzione** *Officiorum* **brevemente commentata per M. C. G. Napoli 1898, p. 85.**

velle insinuet a praevia censura auctores excludere, qui veteri iure ad eam tenebantur.

b) Non unum imo indicium porrigit, eos huic legi obstrictos velle. Ex. gr. Paragrapho 36 auctores Regulares compellit, ut nedum Episcopi, sed etiam proprii Superioris approbationem referant; at sine praevia censura approbatio non datur. Ob Paragraphum 37 auctores Romae degentes non possunt alibi libros imprimere quin antea censuram Magistri S. Palatii Apostolici subeant, quae de speciali privilegio sufficit: *alia non requiritur.* Ergo nisi Romae commorentur, aliorum censuram subire compelluntur.

Paragrapho 40 Pontifex Ordinariis locorum praecipit, ut absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videatur, licentiam *auctori* concedant.

Paragrapho 42 prohibet viros e clero saeculari ne libros quidem qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent.

Quo igitur argumento probari potest, Legislatorem a praevia censura auctores exclusisse, unosque typographos et editores comprehendisse, cum in tot aliis paragraphis de auctoribus agat ?

III. Neque argumentum ex § 44 deductum aliquid contra demonstrat ; in ea enim non agitur de prima impressione, sed *de novis eiusdem operis approbati editionibus* ; necessario hinc de unis editoribus et typographis legislator loqui debuit, tum quia hi putare possent opus semel approbatum nova approbatione non indigere, tum quia cum plurimi auctores mortui sint, his certe neque praevia censura imponi, neque approbatio concedi poterat; novae demum editiones operis approbati, si adamussim primae respondeant, praevia non indigent censura, sed una approbatione. Quid ! quod hac in § 44 Legislator ad unos editores et typographos se convertat, paragrapho sed vero 41, quam exponimus, ad *omnes fideles t* Num eiusmodi vocabula convertuntur? Num ob aliquod adiunctum supponi legislator potest identico sensu locutus ? Profecto una Capitis et tituli diversitas eiusmodi suppositionem excludit. Sed demum excludit illa evidentissima ratio, quod si verba *omnes fideles* unos complectantur typographos atque editores, a praevia censura auctores universi dispensati censendi essent contra apertam manifestamque Legislatoris voluntatem.

Equidem argumentum instaurant ob vocabulum *libros* quo libros iam impressos non manuscriptos intelligi opinantur; at librorum vocabulo etiam manuscripta intelligi evidentissime probat cl. Arndt. *Op. cit. pag.118. seqq.,* et ex veteri iure plane constat: hac vero in paragrapho certum id exploratumque est, cum in fine dicatur *ae generaliter scripta omnia,* quo nomine tum impressi, tum libri scripti comprehenduntur, et hi praecipue.

Omnes ergo fideles tenentur praeviae censurae eos saltem subiicere libros, qui *divinas Scripturas* respiciunt. Quinam vero hi sint declaravit Suprema Inquisitio Feria IV, die 22 Decembris 1880, dum dixit eiusmodi *esse restring endos ad libros Sacrarum Scripturarum, nec non ad eorumdem adnotationes et commentarios, minime vero extendendus ad libros quoscumque de rebus Sacris in genere, id est ad religionem pertinentibus (a).*

Sacrae Theologiae nomine intelligitur dogmatica, moralis, ascetica, mystica.

Historia, Ecclesiastica est relatio fide digna praecipuorum factorum quae in Ecclesia Christi contigerunt, quae scilicet complectuntur originem, progressum et vicissitudines maxime memorandas Religionis et Ecclesiae Christi. Cum in odiosis versemur, verba sunt stricto sensu accipienda; non putamus hinc historiae ecclesiasticae nomine hoc in loco venire Sanctorum vitas, sive biographias, divulsas et *alo* reliquis Ecclesiae factis separatas, neque monographias, id est unius facti narrationes; aut relationes factorum supernaturalium quae hoc in Sanctua rio vel illo propediem in Ecclesia catholica contingunt; etenim singillatim sumpta cum definitione historiae ecclesiasticae non convertuntur; quamvis cum aliis praecipuis factis coniuncta ad historiam ecclesiasticam pertineant, ratione coniunctionis cum his factis, ex quibus definitio historiae ecclesiasticae constituitur. Profecto acta Sanctorum a Bollandianis edita non conficiunt historiam ecclesiasticam, nec tali nomine vocari possent.

Ius Canonicum; id est : *Complexio canonum sive legum fidem, mores et disciplinam spectantium, quae ab ecclesiastica potestate christianis vel praescriptae, vel propositae sunt.* Et est scriptum vel non scriptum commune vel speciale.

[a) **Acta S. Sedis XV, 556.**

Theologiam naturalem, quae est scientia de Deo naturali lumine comparata. Cum legislator unam Theologiam naturalem exprimat, ceterae partes philosophiae speculativae seu metaphysicae specialis lege concludi non videntur : neque quis putet id inadvertenter factum fuisse; quaestiones enim praecipuae de Psychologia, et Cosmologia, quae etiam revelata doctrina definiuntur, ad Theologiam dogmaticam pertinent.

Ethieen ; seu *legum supremarum scientia, quibus libera hominis operatio, ut bono cohaereat, temperatur.* Alias : *Institutio hominis ad recte vivendum.*

Cetera quae ecclesiasticae censurae subiicienda praecipit Legislator, sunt *aliae huiusmodi religiosae aut morales disciplinae.* Disciplina autem hoc in loco idem est ac *institutio;* qua de causa Legislatoris verba innuunt ordinatas tractationes de rebus sive ad religionem, sive ad mores spectantibus; hinc intelligi nequeunt separati aliqui articuli, in quibus de hoc vel illo religionis aut morum praecepto agitur, nisi tot fiant, ut simul collecti et in librum colligati veluti *institutiones, et tractationes* aut disciplinae alicuius tradendae libri haberi possint. Articuli igitur ephemeridum separati cum sub huiusmodi disciplinarum nomine venire nequeant, sub eiusmodi verbis non comprehenduntur.

At comprehendi ne dicendi sunt sub reliquis verbis: *Et generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.*

Affirmandum videtur 1. Quia *scripta* magis patent quam *libri;* ideoque complecti possunt quaslibet in re aliqua lucubrationes.

2. Quia Leo XIII praesenti paragrapho legem renovavit a Pio Papa IX latam pro ditione Pontificia die 2 Iunii 1848, quae haec statuebat : « Censores Ecclesiastici in locis temporali no-
« strae ditioni subditis de iis tantum solliciti sint quae divinas
« Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam Ecclesiasticam, Ius
« Canonicum, Theologiam moralem , Ethieen, aliasque huius-
« modi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac genera-
« tim de omnibus, in quibus Religionis vel morum honestatis
« speciatim intersit. Iuxta haec igitur statuimus atque permitti-
« mus ut omni ephemeridum et librorum genere illi dumtaxat
« sine praevia ecclesiastica censura edi nequeant qui moralis
« aut religiosi uti diximus argumenti sint; in ceteris vero ii tan-

« tum articuli, qui simile argumentum habeant, vel causam « ipsam religionis aut morum honestatis proxime attingant » *(a).*

Cum itaque Leo XIII decretum Pii Papae IX ad verbum induxerit nulla indicta exceptione, imo iisdem repetitum verbis eo in loco ubi de ephemeridibus et articulis sermo habetur, rationabiliter inferimus eos etiam in Leonis lege comprehendi.

Ephemerides igitur aut articuli moralis vel religiosi argumenti, ut Pii IX verbis utamur, aut qui causam religionis aut morum honestatis proxime attingunt, praeviae censurae sunt supponendi ut legitime publicari possint.

Neque severitatis legislator est arguendas. Etenim praeterquamquod fidei morumque praecepta quomodocumque publicentur Ecclesiae iudicio essentialiter subsint, aliquando hi religiosi articuli ab iis scribuntur qui non sunt in ecclesiasticis disciplinis admodum versati, quique consequenter non ea claritate aut verborum proprietate catholicam doctrinam exponunt, qua exponenda est; aliquando vero proprias ideas atque conceptus veluti catholicae Ecclesiae doctrinam obtrudunt, multosque decipiunt, qua de causa necessario praeviae sunt supponendi censurae.

Attamen minime sub Legislatoris verbis illae comprehendi confictae narrationes videntur, quae vulgo *Romanzi* vocantur, quia si et hos comprehendamus libros, nescimus quinam alii, dummodo boni, sint excludendi.

Ex lectione demum paragraphi quisque intelligit hos articulos, ut sub lata lege concludantur, de religione et morum honestate speciali ratione agere debere, *specialiter ;* non obiter aut perfunctorie.

Non inutile postremo loco quaerere ducimus : an auctores librorum qui a praevia censura eximuntur, etiam a petenda illorum publicandorum facultate eximantur, ita ut inconsultis prorsus legitimis superioribus publicari possint; aliud est enim praevia censura, aliud facultas opus publicandi ; et ab illa quidem legislatorem hos libros eximere manifestum est; at nihil innuere videtur, quo intelligamus horum auctores librorum etiam ab obligatione petendae facultatis dispensare, qua illos legitime publicare possint.

(a) **Ap. Pennacchi** *Comment, in Const. Apostolicae Sedis* **Tom. II. 228.**

Cui quaestioni respondendum est, Legislatorem huiusmodi librorum auctores tum a praevia censura, tum ab onere petendae facultatis libros publicandi dispensare; primo quidem, quia facultas concedendae publicationis est effectus praeviae censurae; at sublata causa etiam effectus tollitur; hoc autem adeo verum est, ut *absoluto examine, si nihil publicationi libri obstet,* licentiam operis publicandi Ordinarius auctori concedere debeat.

2. Paragrapho sequenti viri ecclesiastici, inconsultis Ordinariis, nec libros tractantes de scientiis mere naturalibus publicare debent; ergo alii qui ecclesiastici non sunt, possunt;facultatem igitur libros huiusmodi publicandi saeculi homines postulare non tenentur.

79. Cum in veteri iure, cuiuscumque materiae libros praeviae censurae et approbationi etiam Cleri Saecularis homines subiicere tenerentur, nullam ingerit Legislator iisdem iniuriam, si quod lege aperta prius agere debebant, nunc ad idipsum praestandum lenius suadeantur. Ratio autem sumitur ex obedientiae virtute, quae Deo et hominibus maxime est aecepta, sumitur ex subiectionis filialis officiis, quibus Superioribus nostris obstringimur; sumitur etiam ex prudentiae dictamine; saeculares enim homines queri certe non poterunt de Legislatoris voluntate eorum libertatem cohibentis publicandi sine praevia censura quae ad religionis morumque argumenta pertinent, dum vident Clero Saeculari indici ne libros quidem qui de scientiis mere naturalibus tractant, inconsultis Ordinariis publicare posse, aut debere.

Neque queramur quod nobis e Clero saeculari hominibus id oneris impositum fuerit, non regularibus ; hi enim ad idipsum praestandum obedientia tenentur quam erga Superiores suos professi sunt, atque etiam voto paupertatis : inconsultum autem videri posset ut praescriptio quae Episcopi auctoritatem non laedit a duobus Superioribus expetatur; adagium est antiquissimum: *Ne quid nimis.*

Viri igitur Cleri Saecularis, ut obsequentis animi erga Ordinarios suos exemplum praebeant, nullum omnino opus, quamvis tractet de artibus scientiisque mere naturalibus, publicare illis inconsultis possunt.

Verum haec verba *inconsultis suis ordinariis* non inducunt onus huiusmodi libros ecclesiasticae censurae subiiciendi,

sed obligationem tantummodo monendi Episcopum de operis publicatione.

Id 1. apparet ex diversitate loquendi a Legislatore adhibita; etenim superiori paragrapho 41 praecipit: *Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae subiicere libros* etc.; hic vult ne illos inconsultis Episcopis publicent, ratione petita non èx lege, sed ex morali virtute.

2. Cum in lege odiosa versemur, verba sunt stricto sensu interpretanda, et quod minimum tenendum. Porro inconsultum aliquem relinquere idem est ac non monitum, non consultum; consultus ergo Episcopus censeri debet et est, si auctor ecclesiasticus eum moneat rogetque ut sibi permittat opus de scientiis rebusque mere naturalibus publicare, quin aliud requiratur.

3. Patet ex ratione addita: *ut obsequentis,* scilicet, *animi* erga Ordinarios suos *exemplum praebeant;* sed ad hoc satis est, si de Opere publicando Episcopum moneant, cum praesertim saeculares neque ad hoc praestandum teneantur.

Sedulo tamen adver tant Ecclesiastici, se ex praecepto Legislatoris Episcopum monere de publicando opere debere, neque putent esse consilium aliquod, quod impune et sine peccato transgredí possint; verba enim praeceptum indicant: *Viri e clero saeculari ne libros quidem qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent.*

Quid ergo? Nam ne eiusmodi consultatio importat, ut vel Episcopus facultatem operis publicandi denegare possit? vel ut auctor ecclesiasticus opus huiusmodi publicare non possit nisi ab Episcopo facultatem publicandi illius obtinuerit?

R. Ex verbis latae legis neutrum sequi videtur. Etenim tantum competit Episcopo quantum ei a Legislatore conceditur; idque solum cavere debet auctor quod a Legislatore prohibetur; sed Episcopo conceditur ut consulatur circa opus publicandum, quo exemplum obsequentis animi praebeatur, quod quidem praestitit auctor; hoc igitur praestito, operis publicandi licentiam denegare nequit, nisi alia aliqua specialis causa subsit, quam inquirere non debemus.

Auctori vero ecclesiastico non interdicitur opus publicare postquam de eo publicando Episcopum consuluit, et praebuit obsequentis animi exemplum. Fecit, scilicet, quod ex legis praescripto faciendum erat; nulla ergo poena teneri potest; at poena

esset non mediocris interdictum operis^publicandi. Id vero iuxta legis praescriptum contendimus. Attamen viri ecclesiastici optimam prorsus partem electuri erunt, si Episcopo prohibenti obedientiam praestabunt.

Quid vero si auctor ecclesiasticus, inconsulto prorsus Ordinario, opus publicet?

R. Cum pro eiusmodi culpa nulla prohibitio publicati operis indicta fuerit, neque aliunde de Legislatoris voluntate constet, qua prohibitum maneat; imo ex iis quae alias in exponenda praesertim paragrapho 17 disseruimus, libri prohibiti censendi non sunt (dummodo alia non obstent, et de contraria Legislatoris voluntate non constet), etiamsi absque competentis auctoritatis licentia publicentur, opus ita publicatum uti prohibitum haberi nequit. Episcopus tamen potest ad officium inurbanum et inobedientem auctorem revocare, ab eo posthabiti praecepti causam exquirere, et etiam poenis ecclesiasticis plectere ob sancita § 49. Quin imo si suspicio suboriatur opus publicatum ea continere quae ad fidem moresque pertinent, potest Episcopus illius publicationem interim impedire, ecclesiasticae censurae subiicere, et absoluto examine, id decernere quod legibus statutum est: at propter unam obsequentis animi omissionem librum prohibere non potest, cum ratio tum intrinseca tum extrinseca desit.

Quid ergo si prohibuerit?

R. Cum possideat Episcopi auctoritas, neque spectet ad subditos inquirere, an legitima fuerit Episcopo ratio et causa librum proscribendi, subditi prohibitionem observare tenentur. Ius tamen auctori est ad Romanam Sedem reclamandi.

Verum hac eadem paragrapho *viri e Clero saeculari prohibentur absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipere.*

Atque primum observandum est, diaria et folia periodica uno publicationis tempore differre, cum illa quotidie, haec statutis diebus publicentur, semel, bis in hebdomada, etc.; quod ad quantitatem attinet differre non putamus ; folium enim communi vocabulo et forma quae consueto adhibetur, quatuor paginas complectitur; diaria quae ephemeridibus quotidianis aequipollens aut plane eaedem sunt, plura non complectuntur. Attamen complectantur; numquam profecto ad illam foliorum quantitatem assurgunt, quae ad librum constituendum Doctores exi-

gurrt ; idque observamus, ne qui in nos difficultatem ex eo capite urgeant, quod Diaria per se nullam foliorum quantitatem innuant, sed quotidianam tantummodo publicationem.

Legislator Tit. 1. cap. VIII sermonem instituit *de Diariis, foliis et libellis periodicis,* hoc tamen in loco libellos periodicos praetermittit. Quid ergo? Potest ne, vel debet interpres illos huic accensere paragrapho, vel silentio praeterire?

Et quidem cl. Vermeerch *Dissert. cit. pag. 50, n. 26* scribit: « Folia periodica illa intelligimus, quae diariorum similia, sola « frequentia editionum ab his differunt. Non ergo ea quae gal- « lice vocantur *Reçues,* cum fasciculi eorum pro libris vel li- « bellis habeantur ».

Eiusmodi sententia *laxa* visa est cl. Péries, qui idcirco *Op. cit. pag. 209, 210* existimat sub eiusmodi Capite libellos etiam periodicos, *Revues,* comprehendi, idque solido argumento probari dicit ex una distinctione a Legislatore inducta inter diaria et folia periodica ; concludit igitur nullum ecclesiasticum posse horum libellorum directorem se constituere sine Episcopi venia *(a).*

Verum, nisi nos fallat opinio, sententia Patris Vermeerch vera censenda est, eaque retinenda.

Et 1. nulla ratione consistere videtur argumentum deductum ex voluntaria distinctione a Legislatore adhibita *Diaria* inter *et Folia periodica,* quasi haec etiam libellos periodicos includant, id est *les Revues;* hoc enim non affirmandum, sed est probandum; si enim exploratum est, Legislatorem distinctionem adhibuisse inter *diaria* et *folia periodica,* nullimode est exploratum, sub foliis periodicis etiam libellos periodicos inclusisse ; supponit igitur ci. Péries quod in quaestione versatur.

2. Sed constat insuper Legislatorem libellos periodicos, *Revues,* a foliis periodicis exclusisse. Etenim *Tit. 1. cap. VIII.* loquitur *De Diariis foliis et libellis periodicis ;* paragrapho 22 autem clarius eiusmodi scripta distinguit, dum praecipit: *Nemo e catholicis in huiusmodi Diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa publi-*

ca) **Le P. Vermeersch nous paraît trop large en excluant les Revues du nombre des périodiques; la distinction volontairement accusée dans le texte entre** *diaria* **et** *folia periodica* **nous semble ne pas permettre d'adopter son opinion. Nous croyons donc que, même lorsqu'il s'agit de la direction d'une revue, les ecclésiastiques doivent se munir de l'autorisation de l'Évêque.**

cet At si folia periodica idem sunt ac libelli periodici, ad quid hos textui inserere, cum inclusi haberentur in foliis periodicis? De cetero Legislator per particulam *vel* aperte exprimit distinctionem inter enumerata scripta, ita ut unum non sit aliud.

3. Tantam lex extensionem patitur, quantam verba permittunt: praesertim cum in odiosis versemur, in quibus ne latum unguem a naturali verborum sensu discedere licet, et in quibus solemnissimum est effatum : *Legislator quod voluit expressit, quod non expressit noluisse censendus est* Cum ergo in paragrapho quam exponimus minime recensuerit ac expresserit libellos periodicos, nullimode illos includere voluisse censendus est.

4. Manifestum est autem libellos periodicos plane a diariis et foliis periodicis esse diversos, cum haec unum, plura illi folia complectantur, neque, ut plurimum de iisdem rebus agunt; diana enim et folia periodica res politicas aliasque notitias quae in orbe universo propediem contingunt, consueto referunt; libelli vero periodici, (ii praesertim de quibus hac in paragrapho agitur, qui perniciosi certe non sunt habendi, ut illi de quibus in cit. cap. VIII) de scientiis tractant, aliisque summi momenti quaestionibus, et tantum in fine aliqua de rebus politicis, eaque plerumque certiora perstringunt. Itaqua fine, forma, ratione libelli periodici a foliis periodicis differunt, ita ut ad invicem converti non possint. Legislator igitur qui in praesenti paragrapho libellos periodicos non recensuit, dum eorum indolem optime perspectam habuit, hoc ipso illos exclusit. Idcirco viri ecclesiastici dum prohibentur sine Episcopi venia diaria et folia periodica moderanda suscipere, minime libellorum periodicorum (Revues) directionem suscipere vi legis prohibentur.

Inquirendum post haec quid Legislator per Diaria et Folia periodica intellexerit? An ea tantum quae res politicas aliasque notitias plane a religione distinctas referunt, quamvis etiam aliquas quae ad Religionem et Ecclesiam spectant; vel etiam illa quae de rebus ad unam religionem, Ecclesiam et morum honestatem pertinentibus tractant? Et si negative, an viri ecclesiastici teneantur pro eorum directione veniam ab Episcopis postulare ?

Atque ad l[am]. quaestionem respondemus, Legislatorem de iis sermonem habere diariis foliisque periodicis quae politicas notitias referunt, minime de religiosis.

Id coniicimus 1. ex verbis legis; communi enim sensu per eiusmodi vocabula ephemerides politicae indicantur; Legislatores autem communibus, usuque receptis vocabulis utuntur.

2. Ex quo Superiori Cap. VIII de iisdem diariis foliisque loquatur, quamvis perniciosis, nulla autem ratio apparet qua arbitremur in praesenti paragrapho de aliis diversi generis et nominis ephemeridibus loqui; quod de cetero indicare debuisset, ut legem subditi perciperent.

3. Praetermittit Legislator libellos Periodicos, qui plerumque de scientiis tractant; aliorum ergo nomine illa comprehendit, quae de rebus politicis, negotiisque profanis agunt.

4. Ecclesiasticos prohibet quominus horum directionem suscipiant; at putandus non est legislator voluisse Ecclesiae homines a directione diariorum repellere, quibus unice religio defenditur, atque sunt veluti res ad Ecclesiam pertinentes; quorum insuper moderatores ecclesiasticis aptiores difficile reperiuntur.

5. Dubia demum res est, an Legislator diaria et folia plane religiosa sub lege concluserit ; in dubio autem de existentia legis, aut de eius extensione, legis obligatione nemo tenetur, cum lex dubia non obliget.

Existimamus igitur Legislatorem diaria et folia plane religiosa et ecclesiastica sub eiusmodi prohibitione comprehendere noluisse.

Ex eiusmodi sed vero illatione apparet quid respondendum sit secundae quaestioni. Etenim cum diaria et folia religiosa sub lege non comprehendantur, pro iis moderandis nulla Episcopi venia viri ecclesiastici indigent ; attamen ob praescripta in praecedenti paragrapho tenentur praeviae Ordinariorum censurae scripta publicanda subiicere.

Cum Legislator moderatores tantum sub lege concludat, patere arbitramur sub ea illos non comprehendi ecclesiasticos, qui in eiusmodi Diariis et foliis periodicis articulos inserunt, iisque adornandis quodammodo conlaborant; lex enim poenalis non potest extendi de casu in casum neque ob paritatem rationis.

Comprehendi putamus tamen ecclesiasticos illos qui ut legem servare videantur, et conscientiae suae consulant, suppositam personam directioni praeflciunt, ipsi autem sunt veri directores. Hi animo recolant iuridicum effatum : *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur,* consequenter esse veros la-

tae legis transgressores. Ita agendo posse quidem Romanum Pontificem, Episcopum, aliosque decipere, Deum tamen non esse decepturos, ante cuius tribunal et ipsi stabunt; quemlibet dedecere fraudes in contemptum legis instruere; sed viros Ecclesiae quam maxime.

Prohibentur igitur ecclesiastici Saeculares, non Regulares qui lege excipiuntur, cum eos Legislator non nominet, ne horum vel diariorum vel foliorum directionem praeter Episcopi veniam, suscipiant; id enim valet vocabulum *moderanda.* Atque sapientissimum prudentissimumque eiusmodi decretum habendum esse nemo non videt. Etenim in comperto est, ecclesiasticos harum ephemeridum moderatores plerumque officiis et ministeriis quibus per sacram ordinationem mancipati sunt plane distrahi; nonnullos sua vocatione oblitos in negotia saecularia ruere seseque dedere, eaque inquirere, audire, tractare et scribere haud raro quae ecclesiae ministrum plane dedecent; non semel lites, odia, inimicitias, discordias excitare; plurimorum odium in clerum provocare, debitam Episcopis obedientiam et reverentiam excutere, eorumque personas publice in ludibrium quodammodo vertere, ad ecclesiastica ministeria applicari non posse; si applicentur, iis negligentissime perfungi, cum saecularibus cogitationibus negotiisque obruantur; pecuniis corrogandis inhiare; superbia duci ea prorsus de causa quod diariorum et ephemeridum directores sint, quibus et universos fere provocant, ob idque saepe ad saecularia tribunalia vel etiam ecclesiastica ducuntur; si quos habent inimicos, iurgiis et scommatibus impetunt; si quos ariiicos, quamvis improbos, ad sidera extollunt; ne alia persequamur.

Qua de causa locorum Ordinarii ecclesiasticorum qui eiusmodi diaria et folia periodica moderari petunt, dotes spiritumque quo vere ducuntur, non quo duci ipsi affirmant ut licentiam extorqueant, plane perspectas habeant. Petitam hinc facultatem, nonnisi gravissima causa moti, iis tantum concedant qui sunt moribus honestissimi, aetate provecti, prudentia ornati, pietate conspicui, scientia et doctrina exculti, vitiorum exsortes. Meminerint, Romanum Pontificem idcirco ecclesiasticos eiusmodi ad postulandam ab Episcopis licentiam compulisse, quia eis postulantium dotes evidentius patescunt, et quia experientia edoctum non omnium moderatorum huiusmodi agendi et scribendi rationem commendare posse. Solertem igitur ope-

ram adhibeant, ut universae Ecclesiae praesulis desiderio votisque respondeant. *Intelligentiam pauca.*

Diximus, Episcopos nonnisi gravissima causa motos eiusmodi veniam ecclesiasticis concedere debere. Causae autem esse poterunt, si ea in regione nullum sit diarium a catholicis moderatum et nullus vir saecularis idoneus; si diaria a viris saecularibus directa veritati, votis, desiderio et catholicorum utilitati minime respondeant; si ecclesiasticus directionem postulans talis sit qui existimatione, probitate, scientia aliisque dotibus, ceteris praeire eosque in officio continere possit, sive redarguendo, sive apta et solida instituendo ratiocinia, quibus os iniqua vel inepta loquentium obstruatur.

Quamvis autem licentia etiam voce tenus ab Episcopo concessa vera licentia sit, opportunum tamen magis iudicamus eam in scriptis tradi debere, in eaque conditiones apponere quas Episcopus necessarias iudicaverit, quasque moderator apprime observare teneatur; ita enim et Episcopi auctoritati, et moderatoris securitati, et fidelium utilitati consultum erit.

Illud etiam animadvertant Episcopi huic legi illos etiam subiacere ecclesiasticos, qui antequam promulgaretur, diaria et folia periodica moderabantur; lex enim est generalis atque absoluta, nullamque distinctionem Legislator innuit. Qui porro moderabantur ante legem, moderantur et nunc; legis ergo dispositioni subiacent; et fortasse ratione praecipua, cum aliqui ex antiquis moderatoribus ob incongrua quae scripserunt in causa fuerint quare Romanus Pontifex omnium libertatem cohibuerit.

Quis autem dicturus erit, ecclesiasticos harum ephemeridum moderatores plurima bona producere, et producere posse, Romanosque ipsos Pontifices, expeditis uteris, eos aliquando laudibus cumulasse.

Quod quidem inficiari nolumus. Sed silentio pressis malis quae produxerunt, et tum sibi, tum aliis possunt inferre, hos rogamus ut considerent. 1. Presbyterorum officia esse *offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare,* non autem diaria et folia periodica moderari; 2. animo revolvant, Romanum Pontificem Leonem XIII hanc non fuisse legem laturam, si omnes ecclesiastici harum ephemeridum moderatores illa produxissent bona, aut speraret esse producturos. 3. Illud esse verum bonum quod nostrae congruit vocationi; clamat enim Aposto-

lus: *Digne ambuletis vocatione qua vocati, estis (a).* Quis autem serio existimabit, Ecclesiasticos a Deo esse vocatos ad diaria et folia periodica, de quibus loquimur moderanda, cum praesertim nulla necessitas intercedat?

Aureis profecto characteribus sunt imprimenda quae Patres Concilii Lugdunensis anno 1850 celebrati in re sancivere, Tit. XXVIII, *De libris approbandis,* n. 4. « Solliciti insuper ne « qui militant Deo, quotidianis opinionum conflictibus, cum ma- « gno Sacerdotalis honoris detrimento, se implicent, prohibemus « ne Clerici, absque praevia Episcopi licentia, diarium aut scri- « ptum periodicum suscipiant edendum aut dirigendum. Quin « etiam exoptamus ut in praedictis foliis nullam operam adhi- « beant, Episcopo inconsulto ». Collectio Lacensis Tom. IV. pag. 487.

Quod si aliquando Romani Pontifices eos laudibus cumularuntjut profecto rem iuxta evangelicam et ecclesiasticam doctrinam atque praecepta gererent, ut animos adderent ad continuandam contra impietatem pugnam, ut saltem eorum intentionem, quae certe bona est, commendarent. Haec autem plane respondent praesenti decreto, quo Leo XIII moderatores diariorum compellit ad obtinendam ab Episcopo facultatem.

79. Auctor, ut per se patet ille, est a quo liber primam originem ducit; editor, cuius cura et expensis liber imprimitur et divulgatur; at si auctor hoc etiam praestet, utroque nomine potitur. Liber igitur imprimendus, dummodo censurae ecclesiasticae sit obnoxius, debet in principio praeferre nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris.

Antiquo iure, Clementis VIII decreto, satis erat ut unum praeferret auctorum nomen, vel quod hi putarentur etiam editores, vel quod auctores essent qui, ut plurimum, editionis impensas sustinerent, curamque divulgationis gererent: leges autem de iis fiunt quae frequenter accidunt. « Nullus liber in po- « sterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen et « patriam praeseferat auctoris. Quod si de auctore non constet, « aut iustam aliquam ob causam, tacito eius nomine, Episcopo « et Inquisitori liber edi posse videatur, nomen illius omnino « describatur qui librum examinaverit atque approbaverit. In « his vero generibus librorum qui ex variorum scriptorum di-

Ephes. IV. i

« ctis, aut exemplis, aut vocibus compilali solent, is qui labo-
« rem colligendi et compilandi susceperit, pro auctore habea-
« tur » *(a).*

Legislator noster autem latae a se legi etiam editores subiecit, nec immerito, cum eadem ratio tum pro auctoribus tum pro editoribus militet. Etenim idcirco auctorum nomen in fronte libri exprimendum Pontifices iussere, ut si aliquid contra fidei morumque dogmata scribere ausi fuissent, cognosci, moneri, ad retractationem compelli, et etiam iuxta SS. Canonum praescripta, puniri possent. Id autem nedum ex facto, sed etiam sancita disciplina cognoscimus. Constat enim a S. Indicis Congregatione auctores noxiae lectionis librorum ad se vocatos, eosque ad retractationem emittendam fuisse compulsos. In rei •confirmationem ex fonte plane authentico documentum, quod subiicimus, exscripsimus.

« 1599. Die XIX Iunii, hora XI.

« Decretum fuit imponendam esse retractationem.

« Auditi fuerunt consultores, qui et vota sua in scriptis tra-
« diderunt; omnibus exclusis, Cardinales ultro citroque multis
« iactatis, omnibusque mature pensatis et discussis, in hanc
« devenerant (forte devenerunt) sententiam, si tamen SS. D. N.
« placeret, quod per Cardinalem Baronium eidem esset insinuan-
« dum.

« Quoniam ex muliplici capite doctrinam P. constat esse
« falsam, et auctor aperte convincitur inobediens et transgres-
« sor, eamdem toties impressioni tradens contra prohibitionem
« expressam saepius eidem factam, ideo decretum fuit quod
« coram Cardinalibus et Consultoribus sententiam retractaret,
« et in nova libelli impressione retractatam doctrinam reprobet,
« et deinceps nihil impressioni mandet absque speciali Aposto-
« licae Sedis licentia : interim vero libelli omnes sunt diligenter
« conquirendi, et Episcopi et Inquisitores de huius libellis sup-
« pressione commonendi sunt, si tamen Sanctissimo ita placue-
« rit, vel non secus disposuerit ».

Et reapse eumdem auctorem P. die 3 Iulii retractationem emisisse ita legimus.

« C. P. coram Cardinalibus et Consultoribus admissus fuit,
« et genuflexus habens in scamno missale apertum, alta et in-

(a) De Impressione librorum g 1.

« telligibili voce protulit retractationem suam, et tactis Evange-
« Iiis, et imagine Crucifixi deosculata, scripto tradidit suam re-
« tractationem, quam propria manu subscripsit, et eamdem
« nonnulli Consultores in testimonium subscripserunt ».

Quin imo scimus Eminentissimis S. Congregationis Indicis Cardinalibus potestatem collatam fuisse nedum in noxios libros, sed etiam in personas quae in illis imprimendis aut divulgandis, aut aliter quomodocumque operam contulerint, haeresis causa tantummodo excepta, quae ad Congregationem S. Officii devolvebatur. Rei confirmandae causa ex eodem fonte hoc aliud documentum exhibemus.

« 1600. Die XXIX Ianuarii.

« Congregatio habita apud Illmum Cardinalem Veronen-
« sem, ubi interfuerunt omnes, exceptis Terranova, et Avila, et
« non adfuit magister.

« Veronen. Asculan.Colum. Borrom. (Frider.) Baronio. Bellar-
« mino. Cardinal. Baronius retulit vivae vocis oraculo sibi facto,
« SS. D. N. Clemente Papa (sic) VIII declarasse, quod Illmi et
« Rmi DD. Cardinales pro tempore deputati super Congregatio-
« nem Indicis habeant amplam et plenam potestatem et facul-
« tatem, nedum super libros impressos et imprimendos, sus-
« pendendos, prohibendos et corrigendos, permittendus, conce-
« dendos; verum et super auctores librorum, et eosdem impri-
« mentes et legentes, vel personas quomodocumque et qualiter-
« cumque Indicis materiam et libros concernentes, dummodo
« in causa haeresis nullatenus se intromittant; quod si quando-
« que id contingat, ad Officium S. Romanae et Universalis In-
« quisitionis personas statim transmittant, cuius est in materia
« haeresis iudicare ».

Porro editores eidem retractationi, monitionibus, poenasque sunt obnoxii quibus subiacent auctores, cum iisdem erroribus implicentur, vel implicari possint; sin minus pravos libros edere et publicare non satagerent.

Sed praeter nomen et cognomen auctoris et editoris, Legislator praecipit ut in principio libri etiam locus et annus impressionis atque editionis exprimatur *(a)* ; idque peropportune.

(a) Id praescripserat etiam Clemens VIII *De impressione librorum § III.* **« Qui « (Episcopi et Inquisitores) invigilabunt summopere, ut in singulorum impressione « librorum, nomen impressoris, locus impressionis, et annus quo liber impressus « est, in principio eius atque in fine adnotetur ».**

Solent enim nostro aevo editores aliqui ut sumptibus pareant, unam tantum impressionem ad plura exemplariorum millia conficere, quam tamen in varias editiones dispertiuntur, dum reapse prima tantum est. Contingere autem potest ut ad S. Congregationem Indicis una ex his ementitis editionibus denuntietur, eaque tantum prohibeatur *donec corrigatur.* Illi ergo qui noverunt prohibitam fuisse tantum secundam ex. gr. editionem, putabunt alias non esse prohibitas; atque ita in errorem inducantur, et noxios legant libros.

Soliti sunt etiam nostra aetate typographi et editores silentio praeterire annum impressionis, eadem fortasse de causa, ut plures scilicet editiones una impressione conficiantur; atque ita operi impresso, etiam ex pluralitate editionum, eam famam comparare, quam ob materiam consequi fortasse non potest. Haec autem fraus praesentis legis dispositione eliminatur.

Iusta tamen causa intercedere potest ut auctoris nomen silentio sit praetereundum; haec esse poterit medestiae ratio, libri parvitas, timor gravis damni, vel quia auctor proprio nomine ea scribere et divulgare non potest quae absque nomine potest. Hisce aliisque iustis causis intercedentibus, Ordinariorum arbitrio committitur hanc facultatem concedere.

Haec autem facultas non ab Ordinario loci, in quo liber imprimitur, concedenda est, sed ab Ordinario loci in quo liber publicatur, ob praescripta § 35; cum enim universa approbandae impressionis librorum ratio ad Episcopos locorum in quibus hi publicantur devoluta sit, ad hos etiam pertinebit causas expendere, ob quas auctoris nomen reticendum esse videtur. Quod etiam ex praesenti paragrapho subintelligitur; agitur enim in ea de libris censurae ecclesiasticae subiectis, in quorum publicatione aliquando expedit auctoris nomen praeterire; sed censura ecclesiastica spectat ad Episcopum loci quo libri publicantur; ergo etiam ad ipsum spectabit facultatem auctori concedere nomen proprium praetermittendi. Neque arbitrari possumus Legislatorem hoc in facto de Episcopo loqui quo liber typis committitur, cum nullum rei huius vestigium habeatur? aut insinuatio; neque praecedentibus dispositionibus derogatum fuisse quis poterit affirmare, nisi derogationis vel apertum afferat testimonium, vel admodum probabile indicium; quae profecto non suppetunt. De cetero non est censendus legislator absque causa auctorem dispensare voluisse; si enim hic Epi-

scopo loci quo liber imprimitur causas allegare potest ob quas nomen silentio tegere intendit, has easdem causas poterit Episcopo loci quo liber publicatur, patefacere, praesertim cum ad hunc illas cognoscere pertineat ; etenim nonnisi ob iustas causas in lege Pontificis dispensare poterit.

Si tamen rationabilis auctori ratio suppetat, qua prohibetur Episcopo loci in quo liber publicandus .est causas revelare, quibus anonymum agere compellitur, Episcopo loci quo liber imprimitur patefaciat. Hic autem alium Episcopum exoret ut petitam veniam concedat. Qui si annuat, sufficit. Episcopi autem Episcopis fidem adhibere debent.

Ut autem ex lectione paragraphi patet, Legislator sub lata a se lege concludit libros tantum censurae ecclesiasticae subiectos: etenim de his loquitur: ergo libri ceteri qui de rebus ad religionem vel morum honestatem pertinentibus non tractant, possunt sine nomine et cognomine auctorum, sine loco et anno impressionis et editionis excudi et publicari: Legislator enim quod voluit expressit.

Ea postremo dirimenda est quaestio, quam proponit cL auctor iam citatus M. C. G. Utrum scilicet sub eiusmodi lege comprehendantur diaria, ephemerides, et libelli periodici censurae ecclesiasticae subiecti ? cui quaestioni *affirmative* auctor praestantissimus respondet (a).

Verum dabit veniam si contrariam sententiam utpote veriorem, propugnemus. Atque a praesenti quaestione illos libellos periodicos excludi mus, qui tot foliis constant, quot Doctores ad librum constituendum requirunt; hi enim cum libri censeantur et sint, plane sub lege concludi concedimus. At non comprehendi diaria, folia periodica aliosque libellos qui iustam libri quantitatem non attingunt, ex eo patet quia legislator loquitur de libris: *Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus eœeliciatur ;* librorum autem nomine intelliguntur libri proprie dicti, minime diaria et folia periodica. Et cum in odiosis versemur, legem extendere de casu in casum vetamur etiam ob rationis identitatem.

(a) Ciò che qui è prescritto pei libri, vale pure pei giornali e periodici soggetti alla censura? E perchè no? Anche gli articoli trattanti di cose religiose e morali devono essere firmati dai respettivi autori, salvo se, per giuste ragioni, non se ne sia ottenuta dispensa dall' Ordinario. *La Costituzione Officiorum brevemente commentata pag. 89.*

Sed haec diaria et folia periodica, quin imo articuli ipsi qui de religione et morum honestate tractant, sunt censurae ecclesiasticae subiecti.

Concedimus; sed quid inde? Haec est lex plane diversa quae non debet cum praesenti confundi, tum per se, tum quia sumus in odiosis.

80. Qui sint typographi et editores perspectum est; attamen etiam typographi et auctores existimantur editores et sunt, si librum suis impensis imprimant et divulgent.

Hi ergo duo noverint: 1.° *novas eiusdem operis approbati editiones novam approbationem exigere:* 2.° *hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari.*

Primae sanctionis ratio est quia novae editiones recognosci, augeri, notis locupletare ut plurimum, solent, aliquando ita immutari ut novi fere libri videantur; igitur necessario novam approbationem exigunt, cum quae addita quaeque immutata fuere ecclesiasticae censurae subiecta non fuerint neque approbata; nec uti separata considerari possint, cum libro coniuncta quid unum efficiant.

Attamen quamvis novae editiones fideliter antiquas exprimant, merito Legislator nova approbatione indigere praecipit, tum ad fraudes quaslibet vitandas, tum ad significandum novas has editiones antiquis plane respondere.

Putamus autem obvium et apertum esse, hac in paragrapho sermonem esse de iis novis editionibus librorum, quos censurae ecclesiasticae Pontifex reservavit, non de aliis qui de scientiis mere naturalibus artibusque pertractant, cum hi libri ob sancita § 41 praevia censura et approbatione dispensentur, iis exceptis qui a Cleri saecularis hominibus prodierint. Qua de causa Legislator praesenti lege antiquo iuri derogavit, in quo novae editiones librorum quorumlibet approbandae erant ab ecclesiastica auctoritate. Hinc post Leonis XIII Constitutionem novae editiones omnes librorum operumque quae de scientiis mere naturalibus aut artibus pertractant, quaeque consequenter censurae ecclesiasticae non subiacent, nullam approbationem requirunt, quamvis non sine approbatione ecclesiastica typis commissa fuerint et publicata.

Idipsum quoque affirmandum esse arbitramur de iis libris qui de religione aut morum honestate non tractant, quique praeter

competentis auctoritatis facultatem publicati fuerunt, non tamen prohibiti; cum enim eiusmodi libri nunc ecclesiasticae censurae et approbationi non subiaceant, sine approbatione aliqua iterum possunt excudi.

Eadem sed vero ratio est, et etiam potior, cur versiones librorum in alia idiomata approbationem eamdem exigant quae fuit textui originali collata. Versiones enim novi libri sunt, pro iis praesertim nationibus penes quas idioma illud plane ignoratur; oportet insuper ut de earum fidelitate, saltem in substantialibus, constet, aliquando non expedire ut nonnulli libri iterum excudantur, consequenter nec expedire ut in alia convertantur idiomata; versiones insuper solent non semel notis, documentis, argumentisque communiri, quae in textu originali non reperiuntur: haec autem ecclesiasticae censurae et approbationi subiicienda sunt, cum de rebus ad religionem morumque honestatem spectantibus tractent.

At si de scientiis mere naturalibus aut artibus agant, impune hae etiam versiones typis amandantur.

81. Duo continet haec paragraphus 45: 1. *Libros ab Apostolica Sede damnatos, ubique gentium prohibitos censeri debere :* 2. *et in quodcumque vertantur idioma.*

Utraque sed vero lex ex antiquo iure petita fuit atque confirmata. Altera enim fit manifesta ex Clementis VIII Instructione, qua *De prohibitione librorum* § VI praescribitur : « In univer-
« sum autem de malis et perniciosis libris id declaratur atque
« statuitur, ut qui certa aliqua lingua initio editi, et deinde prohibiti, ac damnati a Sede Apostolica sunt; iidem quoque, in
« quamcumque postea vertantur linguam, censeantur ab ea-
« dem Sede, ubique gentium, sub eisdem poenis, interdicti et
« damnati ».

Quod praeceptum in memoriam omnium Ecclesiae Episcoporum revocatum fuit a S. Indicis Congregatione die 4 Martii 1828, et Indici praefixum. Eiusmodi vero praescriptio adeo rationi conformis deprehenditur, ut lata lex inutilis evaderet, si libri ab Apostolica Sede damnati, in alia idiomata conversi, legi possent impune.

Prima vero patere dignoscitur ex potestate qua Romani Pontifices pollent libros noxios pro universa Ecclesia proscribendi; ex facto quo constat Regulas Tridentinas aliaque decreta confecta et promulgata pro universa Ecclesia fuisse. Rea-

pse sub fine Regulae X legimus : « Ad extremum vero *omni- « bus fidelibus* praecipitur, ne quis audeat contra harum regu- larum praescriptum, aut huius Indicis prohibitionem, libros « aliquos legere, aut habere », ex quo Romani Pontifices Indices a se confectos universos Christi fideles obligare definierunt. Satis sit ea referre quae Benedictus XIV promulgavit in Brevi a se lato die 23 Decembris 1757; quod incipit: *Quae ad catholicae religionis:* «Absolutum, inquit, iuxta mentem nostram In- « dicem praesentibus litteris nostris tamquam expresse inser- « tum habentes auctoritate apostolica tenore praesentium ap- « probamus et confirmamus, atque *ab omnibus et singulis per- « sonis ubicumque locorum existentibus* inviolabiliter et incon- « eusse observari praecipimus et mandamus, sub poenis tam « in Regulis Indicis quam in litteris et Constitutionibus Aposto- « licis alias statutis et expressis, quas tenore eorumdem praesen- « tium confirmamus et renovamus. Non obstantibus apostolicis « generalibus, vel specialibus Litteris, Constitutionibus, ac qui- « busvis statutis, decretis, usibus, stylis et consuetudinibus et- « iam immemorabilibus, ceterisque in contrarium facientibus « quibuscumque » *(a).*

Qua de causa nulla ratione illorum sententia defendi posset qui dicturi forent Indicis auctoritatem non ubique vigere, et penes aliquas nationes eius decreta posse impune violari; absolutae sunt enim et universales leges tum a Praedecessoribus tum a Leone XIII latae.

Id tamen intelligitur de libris ab Apostolica Sede, non ab Episcopis, damnatis ; cum horum decreta subditos tantum propriae Dioecesis obstringant; atque ratio etiam specialis intercedere potest, aliis Dioecesibus non communis, qua liber aliquis prohibitus fuerit.

Alias sed vero diximus, Apostolicae Sedis nomine hac in re venire tum Supremae Inquisitionis, tum S. Congregationis Indicis decreta; non tamen ea quae a Sacra Congregatione de Propaganda Fide promulgantur, cum eos tantummodo obligent qui in locis Missionum commorantur eidem Congregationis subiectis.

82. Duplex in lege venditorum classis distinguitur, atque du-

(a) **Cf. Bouix:** *Tractatus de Curia Romana, pag. 488.* **Arndt:** *De Libris prohibitis, 101, seqq.*

plex librorum genus. Illi et *quicumque* sunt, et *qui catholico nomine praecipue gloriantur.*

Qui sint postremi per se intelligitur; sed quid de primis? Num sunt ne intelligendi etiam acatholici? vel qui quamvis in Ecclesiae catholicae gremio vivant, in ea tamen vivere videntur ut eius leges et mandata proculcent ? Librarii ex. gr. qui unum lucrum appetentes, in suis officinis pessimos quosque libros retinent, eosque indiscriminatim quibuslibet vendunt et pretio commodant. Et quidem Romanus Pontifex hos intelligere videtur, cum in acatholicos propie dictos et manifestos potestatem suam exercere solitus non sit, quamvis per baptismum Ecclesiae subditi sint et ipsi. Hi tamen et ceteri quicumque noverint, libros plane obscenos ipso iure naturali et divino esse vetitos; qua de causa nisi Romani Pontificis praecepto, at certe iure naturali et divino obstringuntur eiusmodi legem observare. Hos ergo libros venditores quilibet neque retinere, neque commodare, neque vendere possunt.

Attamen ut lege obstringantur, hi libri debent de obscenis *ex professo* tractare; quod quid significet, alias explicatum fuit. Lege igitur non tenentur, si *obiter* de obscenis tractent, vel sint *auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, qtios classicos vocant,* quique *propter sermonis elegantiam iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat.* Cum enim hi libri determinatis personis, ob sancita Cap. IV, § 10 permittantur, profecto venales exponi non interdicitur, cum sin minus concessa facultate nemo uti posset.

Saluberrimum de cetero et pene necessarium hoc esse praeceptum, nemo non intelligit. Libri enim obsceni nullam utilitatem afferunt, damna e contra plurima eaque certa et evidentia. Sunt praesertim hi libri qui a perfidis hominibus et a quacumque religione et pietate extorres disseminantur; sunt hi libri qui incautae iuventuti traduntur, ut veneno hausto, pessimi postea fiant, et sectarum massonicarum machinationibus accommodatissimi. Huius pessimi consilii factum evidens et argumentum est, quod imagines turpissimae ubique depingantur et publice exponantur, praesertim in *capsulis,* quae in Italia vulgo *cerini* dicuntur, ita ut horrescere emptores honesti debeant, atque inter plurimas, illas eligere quae minus obscenae apparent; idque sectae masonicae decreto in Italia imperatum fuisse plures sciunt. Idipsum vero.de obscenis libris dicatur.

Ne lucrum hi venditores ese pravitate referant [3] *rogantur homines catholici ne ad eiusmodi officinas librarlas accedant libros quoslibet empturi.*

Neque hi venditores difficultatem urgeant ex lucri imminutione petitam, si libros obscenos venales non habeant; etenim lucrum quodlibet honestum esse debet et sine scelere comparatum ; at eiusmodi libros vendere est aliorum spirituali ruinae concurrere, naturale, divinum, et cetera iura violare; gravissimum idcirco peccatum. Eamdem deinceps difficultatem urgere possent rectores lupanarium, meretrices publicae omnesque improbi qui lucrum ex improbitate captant; hi serio cogitent, intrinsece malum nulla ratione permitti et cohonestan posse.

Quaestioni tamen faciendum satis. Legislator unos venditores prohibet libros de obscenis ex professo tractantes retinere, vendere, aliis commodare. Cum autem in odiosis versemur, sub lege non concluduntur qui libros quidem huiusmodi possident, attamen venditores non sunt. Quid ergo ?

R. Hi quidem praesenti lege non concluduntur ; cum tamen libri eiusmodi § 10 omnino prohibeantur, et prohibitio, ut alias explicatum est, interdicat retentionem, venditionem, commodationem etc., universi ea lege tenentur, qua praesenti paragrapho obstringuntur venditores.

Alios libros prohibitos, qui de obscenis non tractant, venditores retinere, commodare et vendere possunt, attamen obtenta prius, mediante Ordinario, a S. Congregatione Indicis facultate.

Quid ergo si venditores immediate, et inconsulto Ordinario, hanc facultatem a S. Congregatione Indicis impetraverint?

R. Facultas quidem valida est, nisi aliud obstet, cum auctoritas S. Congregationis Indicis immediate a Romano Pontifice originem ducat, et praecellat Episcoporum potestati. Monentur tamen venditores librorum hanc Sacram Congregationem solitam esse testimoniales Episcoporum literas expetere etiam pro concedenda facultate libros prohibitos legendi ; igitur nonnisi gravissima causa motam, (et nescimus an haec causa intercedere possit) collaturam esse venditoribus librorum eiusmodi facultatem. Putamus hinc venditores operam et oleum perdituros fore, si Ordinariis inconsultis, hanc facultatem auderent postulare ; idque eo vel magis quod *taxative* Legislator praecipiat veniam per Ordinarium esse petendam. Data tamen hypothesi, venditores tenentur Episcopo impetratam facultatem osten-

ciere; cum enim huic sit facultas illam a S. Sede petendi, nequit iure privari eam cognoscendi, etiam ne fraudes subrepant, neque obreptionis et subreptionis vitia; tum ut videat, an et quibus limitibus coerceatur.

Attamen venditores iis libros vendere tenentur, quos prudenter existimare possunt *legitime* petere. At per adverbium *legitime* non exigitur ut emptores venditoribus facultatem legendi et retinendi libros prohibitos ostendant; si enim hic sensus decreti esset, venditores non existimarent, sed certo scirent emptores legitime petere; sensus ergo est, venditores prudenter existimare debere et posse, emptorem qui librum prohibitum petit, facultatibus opportunis esse instructum; ex. gr. si petat publicus catholicus professor sive ecclesiasticus, sive laicus: vel saecularis quilibet nedum verbis sed etiam operibus catholicus; vel alii, quos venditor novit opportunas facultates legendi et retinendi libros prohibitos fuisse consecutos; et etiam pius iuvenis qui affirmet se ab Episcopo talem librum legendi obtinuisse facultatem.

Legislator noster etiam hac in re ius antiquum valde temperavit; eo enim vigente, venditores libros utcumque prohibitos nec retinere in officina libraria poterant. Profecto Regula X Tridentina haec statuebantur: « Praeterea in singulis civitatibus, « ac dioecesibus, domus vel loci ubi ars impressoria exercetur, « et bibliothecae librorum venalium saepius visitentur a perso- « nis ad id deputandis ab Episcopo, sive eius vicario, atque « etiam ab Inquisitore haereticae pravitatis, ut nihil eorum quae « prohibentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur.

« Omnes vero librarii et quicumque librorum venditores ha- « beant in suis bibliothecis Indicem librorum venalium, quos ha- « bent, cum subscriptione dictarum personarum; nec alios libros « habeant, aut vendant, aut quacumque ratione tradant sine licen- « tia eorumdem deputatorum, sub poena amissionis librorum, « et aliis arbitrio Episcoporum, vel inquisitorum imponendis; « emptores vero, lectores, vel impressores eorumdem arbitrio « punientur ». Cum ergo Leo XIII lucro venditorum consultum voluerit, hi legem ab eo latam observare diligentissime curent.

83. Capite postremo Legislator in latorum a se decretorum transgressores poenas infert; atque hac § 47 excommunicatione maiori Romano Pontifici speciali modo reservata eos plectit, qui *scienter, sine auctoritate Sedis Apostolicae legunt, retinent,*

imprimunt, et quomodolibet defendunt libros Apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nee non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas literas nominatim prohibitos.

Ea scilicet Legislator statuit, et pene iisdem verbis repetita, quae statuta iam fuerant in Constitutione *Apostolicae Sedis moderationi* a Pio Papa IX anno 1869 promulgata, Cap. II. Excommunicationum 1. classis; quam Constitutionem nos ipsi Commentariis adornavimus ; qua de causa aliqua quae ibi scripta reperiuntur, hoc in Commentario sunt necessario repetenda *(a).*

Itaque I°. ut latam excommunicationem transgressores incurrant, vetitam actionem ponere debent *scienter.* Hoc autem adverbium importat praecedentem rei prohibitae cognitionem, cum sine cognitione prohibitionis nedum nulla poena incurratur, sed nec peccatum aliquod committitur : poena autem non datur sine culpa. Hinc transgressores cognoscere debent, librum quem legunt, imprimunt etc. fuisse scriptum ab haeretico vel apostata notorio, quem scilicet publice constat apostatam esse aut haereticum, aut, quicumque demum sit auctor, per Apostolicas literas nominatim prohibitum. Si quid horum transgressores ignorent, excommunicatione non percelluntur, cum conditiones poenae incurrendae ab ipso legislatore determinatae fuerint, atque cum in poenalibus consistamus, lex prout a Legislatore proponitur, Violanda est, ut latae incurrantur poenae.

Certum est autem adverbium *scienter* nedum afficere *legentes,* sed etiam reliquos omnes, id est *retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes;* idque nedum quia sine praecedenti cognitione nullum peccatum et nulla incurritur ecclesiastica censura, sed etiam quia nulla ratio apparet, ob quam reliqui adverbio illo haud efficiantur.

Legentes, ut pag. 44. explicavimus, non sunt qui sub oculis librum vetitum tenent, vel eius vocabula sententiasque tacita mentis cogitatione aut ore pronuntiant, vel alios legentes audiunt, sed qui ea quae legunt intelligunt; etenim non intelligentes minime percipiunt an ea quae legunt bona vel mala sint atque prohibita; consequenter nec depravari possunt; quam depravationem removere legislator intendit. De cetero communi voca-

ri **Attamen Caput illud a ei. Petro Avanzini Romano Presbytero explanatum fuit, qui commentario vix incepto, ad superna evolavit.**

buli acceptione illi dicuntur legere qui quae legunt percipiunt: Legislatores autem iuxta usitatum vocabulorum sensum leges condunt: idque praesertim locum habet in subiecta materia.

Porro *retinent* qui libros eiusmodi apud se conservant sive commodato, sive traditione illos conservandi causa ; ex. gr. si possessor peregre profecturus amico custodiendos libros tradat. Non putamus tamen retentorum nomine venire librorum compactares (vulgo legatori dei libri), quibus libri traduntur, ut eos struant ; hi enim ad horam illos recipiunt, ut pretio accepto laboris, illos restituant ; atque iis similes putandi sunt, quibus libri vetiti traduntur, ut ad alios deferant. Ni fallimur, verbum *retinere* actionem continuam, saltem per aliquod tempus, in legis spretum commissam significare videtur.

Imprimentes intelliguntur qui librum vetitum typis committunt; indictasque poenas illi incurrunt, qui proximam impressioni operam conferunt, auctore excepto, qui lata excommunicatione ex alio capite percellitur (Cf. ibid.). At memoria non excidat, hos qui proximam impressioni operam conferunt, scire debere opus quod imprimunt esse haeretici, apostatae, aut per apostolicas litteras nominatim proscriptam. Nemo tamen non percipit operarios plurimos qui in typographus operam suam etiam impressioni proximam collocant, plane nescire de quo opere agatur; idcirco ex opere materiali collato non esse iudicandos, sed ex cognitione quam de opere proscripto habuerunt; hoc insuper nisi ex dimisso labore grave sint damnum passuri, ex. gr. officii amissionem; leges enim ecclesiasticae, praesertim poenales, non obligant cum gravi incommodo.

Quomodolibet defendentes illi sunt qui libri vetiti doctrinam sive argumentis, sive commendationibus laudibusque tuentur, non qui impediunt quominus Superioribus tradatur, aut destruatur (Cf. pag. 45). Qui postremus sensus inde etiam excluditur, quod nostra aetate, nulla ecclesiastica potestas posset nolentem ad destruendum librum compellere, aut ad praefectis Ecclesiae illum tradendum cogere ; de impossibilibus vero, quibus valde difficilia aequiparantur, non conduntur leges.

Neque difficultatem infert adverbium *quomodolibet,* quasi eo etiam materialis et violenta defensio innuatur; adverbium enim illud veritatem suam plane consequitur etiam applicatum ad unam defensionem scientificam, cum haec defensio multis modis fieri possit, ex. gr. argumentis, commendationibus, argu-

meritorum confutatione quibus contraria sententia statuitur etc. Cum deinde in odiosis versemur, et in dubio an lex haec etiam ad defensionem materialem extendatur, universi intelligunt, quod minimum esse tenendum.

Ut liber censuram inferat conscriptus esse debet ab aliquo apostata, vel haeretico, aut per apostolicas literas nominatim prohibitus.

Apostata ille dicitur et est, qui totaliter recessit a christiana fide per baptismum suscepta. Hinc Apostatarum nomine non veniunt libri conscripti ab infidelibus, pravis catholicis, haereticis, haeresum fautoribus aut ab iis qui haereticis credunt; hi enim non sunt apostatae; tales tamen censentur et sunt liberi cogitatores, qui in nulla fide nulloque dogmate consistunt.

Haereticus qui pertinaciter errat contra aliquod fidei dogma; non igitur qui bona fide errat, aut sine pertinacia.

Pertinacia enim est obstinata persistentia in errorem contra fidem. Hinc differentia inter haereticum et apostatam in eo consistit, ut hic omnia abiecerit fidei dogmata, ille unum, vel plura, non omnia.

Libri per Apostolicas literas nominatim prohibiti censentur, quos Romani Pontifices proscribunt mediantibus Brevibus, Bullis, Encyclicis, aut aliis Constitutionibus, in quibus affirmant se rem decernere *de nostrae potestatis plenitudine,* aut *de apostolica auctoritate:* etenim hae dicuntur *literae apostolicae.*

Liber tamen debet esse *nominatim* prohibitus, designato scilicet libri titulo, et etiam auctore, si auctoris nomen praeferat.

Ut autem hi libri sub lata excommunicatione comprehendantur eiusmodi voluminis esse debent, ut libri censeantur ; hinc decem circiter foliis constare; legislator enim loquitur *de libris.* Qua de causa ephemerides, diaria, folia, libelli periodici qui ad decem folia non assurgunt, sub censu librorum non veniunt, neque eiusmodi poena plectuntur; ut alibi etiam decreto. Supremae Inquisitionis probavimus lato die 27 Aprilis 1880. Si tamen eiusmodi folia in unum volumen compingantur, cum hoc in casu liber vere et proprie censeatur et sit, legentes excommunicationem incurrunt. Id etiam declaratum a Suprema Inquisitione novimus sequenti decreto lato die 13 Ianuarii 1892. Proposito dubio: 1. Utrum scienter legentes publicationes perio-
» dicas in fascículos ligatas, habentes auctorem haereticum et

» haeresim propugnantes, excommunicationem incurrant, de qua » Bulla *Apostolicae Sedis* 12 Octobris 1869 in excom. R. Pon- » tifici speciali modo reservatis art. 2 ».

R. Ad 1 *affirmative (a).*

Insuper debent haeresim propugnare. *«Propugnat* vero *hae- « resim,* ut scribit S. Alponsus, liber qui accitis rationibus hae- « resim stabilire et pro viribus defendere intendit. E contra non « propugnat haeresim liber, in quo obiter et paucis verbis ac « quasi aliud agendo haeresis aliqua proponitur. Attamen ut li- « ber haeresim propugnare dicatur, opus non est ut materia « libri per se sit religiosa, sed sufficit ut ad evincendam hae- « resim aliquam dirigatur, quam data opera et ex instituto pro- « bare et defendere conetur » *{b).* Satis hinc non est ut haeresim contineat. (Cf. pag. 54).

Attamen quamvis liber haeresim propugnet, ut quis legendo excommunicationem incurrat, legere debet aut partem quae propugnat haeresim, aut aliquam notabilem partem, si materia sit indifferens, ut etiam S. Alphonsus opinatur *(e).*

Legere demum, imprimere, retinere debet sine facultate Sedis Apostolicae, quo nomine etiam Congregationes Inquisitionis et Indicis veniunt ceteraeque Romanae Congregationes *{d)* ; ete- nim hac venia mediante, quaelibet cessat prohibitio et poena.

Superest ut aliquid circa illatam maiorem excommunicatio- nem dicamus.

Cum Romano Pontifici speciali modo reservetur, nonnisi de eiusdem speciali facultate absolvi potest, excepto mortis ar- ticulo, quo reservatio quaelibet cessat; attamen conditione impo- sita standi mandatis Ecclesiae si infirmus convaluerit. Qui abs- que eiusmodi speciali facultate hanc excommunicationem absol-

(«) Acta S. Sedis XXIV, 625.

{b) Eiusmodi S. Alphonsi testimonium ex aliis scriptoribus excepimus. Nos ta- men penes S. Doctorem in locis indicatis, et aliis quae pervolutavimus, reperire non potuimus. Adhibuimus vero editionem Marietti anni 1880. - Hoc pro lecto- rum notitia, et nisi oculi nos fefellerunt.

(c) Lib. VII, n. 284. Cfr. Arndt Op. cit. 218.

(d) Id constat etiam ex declaratione S. Officii diei 15 Ianuarii 1892. Propo- sito enim dubiio « II. Utrum per acta a S. Sede profecta designentur tantum acta « quae immediate a Summo Pontifice proficiscuntur, an etiam quae mediate a Sum- « mo Pontifice proficiscuntur, an etiam (sic) a SS. RR. Congregationibus prove- « niunt ? »

« R. Ad II. *Negative* ad 1 partem; *affirmative* ad 2 ». (Acta S. Sedis XXIV, 625).

vere praesumit, ipso facto excommunicationis vinculo innodatur Romano Pontifici reservatae. Porro haec omnia in cit. Const. *Apostolicae Sedis* Pius Papa IX his verbis sancivit : « A quibus « omnibus excommunicationibus (id est duodecim primis) hucus- « que recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore « speciali modo reservatam esse et reservari ; et pro ea gene- « ralem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive « excommunicationibus Romano Pontifici reservatis, nullo pa- **se** cto sufficere declaramus, revocans insuper eorumdem respe- « ctu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et qui- « busvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Con- « gregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione di- **ss** gnis, et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem prae- « sumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excom- **<s** municationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatus « se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo **sc** tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis « Ecclesiae, si convaluerint ».

Cum post varia Commentaria in hanc Constitutionem edita non paucae prodierint Supremae Inquisitionis declarationes, ad quam unice spectat Pianam Constitutionem authentice interpretari, atque inter alias illa prodierit, qua decernitur quid importent verba *standi mandatis Ecclesiae,* hinc eiusmodi decretum huic commentario inserendum esse putamus.

Itaque ad Supremum Inquisitionis tribunal sequentia dubia dirimenda delata fuere.

sc X.... ad S. V. pedes provolutus, perhumaniter exponit « prout sequitur :

sc Litteris *Apostolicae Sedis* declaratum fuit non adesse re- **se** servationem, si agatur de mortis articulo, sed additum fuit: *« in quo tamen firma sit quoad absolutos, obligatio standi man- « datis Ecclesiae, si convaluerint,* nulla facta mentione de poena « reincidentiae, si isti obligationi non satisfiat, nec ulla data ex- « plicatione circa sensum vocum : *standi mandatis Ecclesiae.* « Ex decreto quoque S. Officii (30 Iunii 1886) *in casibus urgen- « tioribus dari potest absolutio a censuris etiam speciali modo « reservatis Summo Pontifici,* sub quibusdam tamen conditio- « nibus ; sed in praelaudato decreto non dictum fuit an ista ab- « solutio sit directa vel indirecta. Inde plures exortae sunt dif- « ficultates. Hinc Orator quaerit :

« I. An obligatio standi mandatis Ecclesiae, a Bulla *Aposto-* « *licae Sedis* imposita, sit sub poena reincidentiae, vel non ?

«II. An obligatio standi mandatis Ecclesiae in sensu Bullae « *Apostolicae Sedis,* idem sonat ac obligatio se sistendi coram « S. Pontifice, vel an ab illa debeat distingui ?

« III. An absolutio data in casibus urgentioribus a censuris «etiam speciali modo S. Pontifici reservatis, in sensu Decreti « S. Officii (30 Iunii 1886) sit directa, vel tantum indirecta ?

R. Feria IV, 19 Augusti 1891.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis, audita relatione suprascripti supplicis libelli, praehabitoque Rmorum DD. Consultorum voto, Emi Dñi Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores respondendum mandarunt :

« Ad I. *Affirmative ad primam : negative ad secundam* « *partem.*

« Ad II. *Obligationem standi mandatis Ecclesiae importare* « *onus sive per se, sive per Confessarium, recurrendi ad Sum-* « *miim Pontificem, eiusque mandatis obediendi, vel novam ab-* « *solutionem petendi ab habente facultatem absolvendi* a *cen-* « *suris S. Pontifici speciali modo reservatis.*

« Ad III. *Affirmative ad primam ; negative ad secundam* « *partem » (a).*

Nemo tamen existimet, eadem coram Superiore sistendi obligatione illos etiam obstringi, qui in mortis articulo ab excommunicatione Romano Pontifici simpliciter reservata absoluti fuerint; etenim et lex est odiosa quam de casu in casum extendere prohibemur, et suprema Inquisitio eiusmodi etiam quaestionem definivit. Interrogata enim « III. Utrum auctores mo- « derni post Constitutionem *Apostolicae Sedis* . . . . recte doceant, « ei qui in articulo mortis a quolibet Confessario a quibusvis cen- « suris quomodocumque reservatis absolutus fuerit, tunc solum- « modo imponendam esse obligationem se sistendi Superiori re- « cuperata valetudine, si agatur de absolutione a censuris *spe-* « *ciali modo* Papae reservatis ; an huiusmodi recursus ad Supe- « riorem etiam necessarius sit in absolutione a censuris simpli- « citer Summo Pontifici reservatis ? »

Suprema Inquisitio Feria IV, die 17 Iunii 1891 respondit:

« Ad III. *Affirmative ad primam partem ; negative ad se-*

id) **Acta S. Sedis XXIV, 746.**

« cundam partem, iuxta resolutionem Feriae IV, 28 Iunii « 1882 » (a).

Et haec satis sint pro huius paragraphi expositione. Si quis vero plura desideret, adeat Commentatores Constitutionis *Apostolicae Sedis,* Avanzini, D Annibale, Pennacchi, Piat, Bucceroni, Ciolli, Commentarium Patavinum, aliosque.

84. Haec etiam poena pendet ex Constitutione *Apostolicae Sedis,* qua excommunicationi nemini reservatae illi subiiciuntur, *qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt.*

Eiusmodi decreto Pius Papa IX Tridentinam legem temperavit, qua nedum *imprimentes,* et *imprimi facientes* excommunicatione feriebantur, sed etiam vendentes, retinentesque; illi insuper qui manuscripta de rebus sacris vulgarent *(b).* Porro poenae a Concilio Tridentino in transgressores statutae eaedem non erant quae a Concilii Lateranensis V Patribus statutae fuerant *(c),* cum *unam poenam anathematis et pecuniae in Canone Coneilii novissimi Lateranensis impositam* renovaverit, non alias. At poena pecuniae absque dubio in desuetudinem abierat; ergo Pius Papa IX unam excommunicationem retinuit poenas vero omnes praeter excommunicationem, ipse abrogavit, huiusque decreto Legislator noster institit.

Pianam tamen legem Leo XIII multo clarius expressit, cum libros sacros plane determinaverit; ita ut nullimode, ut prius, quaerendum sit quinam sint *libri de rebus sacris tractantes,* cum aperte significet eos esse *Sacrarum Scripturarum libros, vel earumdem adnotationes, vel commentarios.*

Id autem Pontifex sancivit ad tramites declarationis a Suprema Inquisitione latae, Feria IV, die 22 Decembris 1888. Etenim opportune interrogata responderat: « Censuram nemini re« servatam inflictam iis, qui libros de rebus sacris tractantes « sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt,

(a) Acta S. Sedis, XXIV, 745-746.

(b) Cf. Pennacchi *Commentaria in Const.* Apostolicae Sedis *Tom. II, p. 225.* seqq. aliosque Pianae Constitutionis Commentatores.

(c) Hae autem erant poenae a Patribus Lateranensibus constitutae die 4 Maii 1515. « Qui secus praesumpserit, ultra librorum impressorum amissionem, et illorum puoi blicam combustionem, ac centum ducatorum fabricae Principis Apostolorum de « Urbe sine spe remissionis solutionem, ac anni continui exercitii impressionis sus« pensionem, excommunicationis sententia innodatus existat ».

« restringendam esse ad libros Sacrarum Scripturarum, nec non « ad eorumdem adnotationes et commentarios, minime vero ex- « tendendam ad libros quoscumque de rebus sacris in genere, « id est ad religionem pertinentibus, tractantes » ***(a).***

Clarum igitur apertumque est Leonis XIII excommunicatione eos tantum teneri *qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel eorumdem adnotationes, vel commentarios imprimunt aut imprimi faciunt ;* non igitur legentes, retinentes, quomodolibet defendentes.

Quinam *imprimentium* nomine designentur, superiori paragrapho explicavimus. Illi vero qui *imprimi faciunt* sunt omnes qui impressionem typographio committunt; editores praesertim atque auctores, si hi confectum a se librum aere suo typis mandent; non autem si manuscriptum vendant, nulla adiecta conditione illius imprimendi; hoc enim in casu libros imprimi non faciunt.

Quin imo ea in opinione versamur, auctores lege non obstringi, quamvis manuscriptum vendant adiecta conditione ut imprimatur; etenim neque hac in hypothesi vere et proprie imprimi faciunt, cum actio, quam. Legislator proscribit sit actio proxima et directa, quae scilicet immediate tendit ad librorum impressionem : sed actio directa et immediata auctoris est venditio manuscripti, cui deinceps subsequitur impressio; hanc autem emptori manuscripti esse tribuendam nemo non videt, cum ipse reapse sit qui librum imprimi faciat, non auctor. Hic equidem per adiectam conditionem emptorem ad librum imprimendum compellit: at imprimi non facit, cum imprimendi mandatum et cetera omnia ad unum emptorem manuscripti tribuantur atque pertineant. Hanc tamen opinionem lectorum iudicio submittimus, quam si veram agnoverint, sequantur; sin minus respuant.

Inquirendum postremo est; an per imprimi facientes intelligi possint *mandantes*, qui auctoritate quidem sua efficiant ut hi libri imprimantur, nihil autem ad impressionem conferant. Si ex. gr. Administer aliquis regni aliusque princeps saecularis noto editori, vel auctori operis praecipiat ut commentarium aliquod in Sacras Scripturas imprimi faciant.

R. Non videntur intelligendi ; cum Legislatoris verba obvio

(a) Acta S. Sedis XV, 536.

et vulgari sensu accepta, ut accipienda sunt, unos editores et auctores designent, non alios quoslibet qui in impressionem aliquid conferant. Leges profecto conduntur de iis quae frequenter accidunt, non de iis quae raro : frequenter autem accidit, ne fere semper dicamus, ut editores sint vel auctores qui libros quoscumque imprimi faciunt, non alii; de illis ergo locutus censendus est Legislator. Mandantes insuper, aliosque cooperatores, auxilium, scilicet, consilium, favorem praestantes Legislator non expressit ; ergo nec sub lege concludere voluisse putandus est.

Demum ex verbis legis non constat aut imprimi facientium nomine venire mandantes, aut sub ea etiam mandantes comprehendi; ad hos igitur eam extendere non licet.

Cum autem haec excommunicatio nemini reservata sit, a quolibet Confessario approbato absolvi potest.

85. Exceptis anathematibus superioribus paragraphis huius Capitis a Romano Pontifice inflictis, in aliorum decretorum transgressores animadvertere Episcoporum arbitrio committitur.

Atque primum hi docentur transgressores monere pro diversa reatus gravitate, nullamque debere, monitione posthabita, illis poenam irrogare.

Et quidem iuste; quia poenae canonicae pertinacibus obstinatisque sunt infligendae. Itaque Episcopi infra monitiones vel mites, vel ásperas sese a principio contineant, neque ad poenas canonicas infligendas proruant, nisi perspecta transgressorum obstinatione. Idque eo vel magis quod ob praesentes temporum rerumque conditiones, transgressores et monitionem in derisum vertere, et illatas poenas impune contemnere, et non paucas Episcopis possent inferre molestias.

Attamen liberum eis est ad canonicas poenas infligendas procedere, si *opportunum iudicaverint ;* his autem verbis monentur, poenas non esse facile infligendas, nisi bonus praevideatur effectus; canonicae enim poenae sunt medicinales; at nulla datur infirmo medicina, si inutilis, multo magis morbo incrementum allatura praevideatur. Episcopi igitur infra monitiones primum consistant; si grave sit atque difficile, negotium ad Romanam Sedem deferant, eiusque sententiam expectent; si autem ad **inserendas** poenas necessario devenire debeant, id agant quod prudentia suggerit, quod indoles delinquentium patitur, quod zelus emendationis eorum exposcit; nihil indiscreto zelo, aut ira commoti.

Difficile est equidem Episcopis suggerere quid particulatim contra transgressores agere debeant; id enim ex conditionibus regionum, legibus vigentibus, personarum indole, aliisque rerum adiunctis dependere dignoscitur; neque nos praesumptionis notam incurrere volumus. Eam ergo sententiam commendare malumus, quam Magnus Gregorius lib. V Moralium protulit: *Regat disciplinae vigor mansuetudinem, et mansuetudo omet vigorem; et sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.*

Atque tanti Pontificis verbis huic nostro Commentario, ad maiorem Dei gloriam, finem damus.

Romae die 12 Aprilis 1898.

QUAESTIONES AUCTORI RESOLVENDAE

PROPOSITAE

I[a]. Libri prohibiti in antiquis regulis Indicis, ni cadant sub novis regulis, habendi ne sunt uti prohibiti?

R. *Negative.* Cf. pag. 53.

T. Leguntur optimi libri, praesertim extraneis exarati idiomatibus, in quibus de rebus agitur ad religionem spectantibus; in iis autem approbatio ecclesiastica desideratur. Ex. gr. *Réponses coartes et familières ause objections les plus répandues contre la Religion par Mr. de Segur.* Hi libri censendi sunt, nec ne, prohibiti?

R. *Negative.* Etenim hi libri vel concluduntur sub § 20, qua *libri doctrinae institutionisque religiosae* prohibiti declarantur, *si absque legitimae auctoritatis licentia publicentur ;* vel sub § 41, qua censurae ecclesiasticae subiicienda sunt *generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.* Si l[m]. prohibiti non sunt, tum quia eorum publicatio novam legem praecedit, tum quia censendus est accessisse tacitus Episcoporum consensus et approbatio. - Si alterum; nullus liber ecclesiasticae censurae subiectus prohibitus decernitur ob unum ecclesiasticae approbationis defectum.

3[a]. Licentia legendi libros prohibitos, quam quis consecutus est in antiquo iure, valida ne est etiam in novo?

R. Valida est prorsus ea de causa, quod licentia concessa fuerit pro legendis libris prohibitis, tales autem sunt tum qui in veteri, tum qui in novo iure proscribuntur. Usus rem confirmat; non enim qui eiusmodi facultatem habebant in veteri iure, novam postulare compulsi fuere, aut postularunt. De cetero, necessario fuisset facultatum revocatio, quae plane desideratur.

4[a]. Possunt Episcopi approbare, ut praesertim in Gallia evenit, libros illos, qui vocantur *Paroissiens,* aut alios libros, in

quibus continetur textus integer Evangeliorum in lingua gallica sine aliqua nota?

R. Possunt; quia hi libri habentur, et sunt reapse libri devotionis, quorum approbatio pertinet ad Episcopos. Neque obstat quod Evangelia absque notis contineant; etenim § 7 novi iuris sermo est de versionibus vulgaribus Sacrae Scripturae; hi autem libri sub eiusmodi censu non veniunt. Demum cum hi libri ob eorum maximam diffusionem nedum Episcopis, sed etiam Romanae Sedi sint plane comperti, neque quis in eos vocem extulerit, non sunt locorum Ordinarii inquietandi, si eos approbent.

MONITUM AD LECTORES

Pag. 95 huius Commentarii scripsimus: « Exinde vero nemo inferat, sub eiusmodi paragrapho illos etiam comprehendi, qui negarent omnes prorsus et singulas Sacrarum Scripturarum res atque sententias sub divina inspiratione scriptas fuisse ».

Et quidem recte et vere quantum ad expositionem legis attinet; qui enim unam vel aliam Divinarum Sripturarum sententiam inspiratam esse negarent, dici non possent inspirationis Sacrae Scripturae extensionem nimis coarctare, neque Legislator horum damnare libros. Quod ex facto constat: sunt enim etiam inter catholicos qui id affirmaverint, quin idcirco eorum libri ab Romanis Pontificibus damnati fuerint. Cetera ad verbum usque *impiraverit* revocamus.

RESPONSUM SSmi D. Nostri Leonis Papae Xlil Emo Cardinali Decano pridie pervigiliis natalis Christi, sacri Collegii nomine, fausta ominanti (i)

Die 23 Decembris 1897.

Sia lode alla divina bontà che Ci ha serbati a rivedere la cara solennità del Natale : e sieno grazie al sacro Collegio, che ne toglie occasione di offrirci una volta di più F omaggio della devozione sua : devozione che trova ognora dal canto Nostro il più largo ricambio d'affetto. — Raccogliamo volentieri dal suo labbro, signor Cardinale, il voto santo e pietoso in ordine al regno della pace : prezioso bene e fecondo, che per coscienza di spirituale paternità Noi siamo i primi a pregare con grande istanza dal cielo al mondo universo. Vero è che, considerato nell'ampiezza di tutte le sue attinenze, il problema della pace non troverà mai soluzione compiuta quaggiù, essendo scritto nei decreti della Provvidenza che milizia dev' essere la vita dell'uomo sopra la terra. Le passioni, che tutto scompigliano, non sono separabili dalla umana natura caduta. Havvi però una quiete dello spirito ed anche un vivere esteriore riposato e composto, assai bene conciliabili collo stato militante, e consistono

Sit laus divinae ßonitati, quae Nos ad pergratam Natalis Christi solemnitatem, etiam hoc anno celebrandam, benigne reservavit.

Sit gratia etiam Sacro Patrum Collegio, quod suae erga Nos devotionis obsequium Nobis iterum exhibendi etiam occasionem arripit; cui obsequentis animi affectu i amplissimas grates rependimus.

Ex labiis tuis, Eme Card., sancta ac pia vota quae pacis regnum spectant, libenter excipimus: pax! sane pretiosum etfoecundum munus quod Nos spiritualis paternitatis officio, omnium primi, a Deo pro universo terrarum Orbe enixe exorare consuevimus. At si in omnibus adiunctis late circumspectetur, pacis problema hic plene explicari non poterit, quum in divinae Providentiae decretis scriptum sit, militiam esse debere hominis vitam super terram. Rebelles animi motus, quae omnia perturbant, ab hominis natura, quae in Adam excidit, separari non possunt.

Est vero quaedam quies spiritus ; immo etiam quaedam exterior

(1) Responsa quae sequuntur non sunt oblivioni amandanda.

sostanzialmente nella tranquillità dell'ordine. Per tal rispetto la pace relativa, consentita all' umanità viatrice, non è nè può essere che figlia della giustizia e dell'amore. Tale è appunto quella preconizzata un di dall'angelico bando sull'alto del presepio di Betlem, ignota ai secoli pagani. Essa è uno degli inestimabili frutti dell'umano riscatto, ed ha sua radice, com' ella ben argomenta, signor Cardinale, nell' osservanza delle leggi e degli esempii lasciatici da Gesù Cristo redentore. E come l'uomo non la conobbe che per lui, così la smarrisce ogni volta che si allontana da lui. Poiché essendo la legge di Dio verità nell' ordine intellettuale, santità nell'ordine pratico, da lei germoglia la pace ineffabile della monda coscienza, da lei quello spirito celeste di sopportazione e carità, che spegne dove che sia il fuoco delle ire fraterne : sensi di moderazione e beneficenza mette in cuore ai doviziosi, ai potenti: e infonde agli umili e ai diseredati del mondo quella serena rassegnazione, che si alimenta e conforta nella sicura speranza di promesse eternali. Cosicché perdendo di vista la divina legge, viene a mancare la massima delle virtù mantenitrici dell'ordine morale, e il verace fondamento di ogni tranquillità. Ecco donde procede il fatto giornaliero del disagio e delle irrequietudini che

vivendi ratio quieta et tranquilla, quae cum hominis militantis statu possunt apprime conciliari, quaeque in ordinis tranquillitate potissimum consistunt. Hac de causa pax, quae homini viatori convenit, nec est, nec esse potest, nisi iustitiae et amoris filia.

Eiusmodi adamussim pax est, quae Bethléem ab angelis super Christi Praesepe, Ethnicis omnino ignota, denunciata fuit. Ipsa unus est ex praeclarissima humanae redemptionis fructibus eaque, ut recte argumentaris, Eiïie Cardinalis, in plena praeceptorum, quae Christus tradidit, observantia, atque in Eius Vitae fideli imitatione suam radicem habet. Et quoniam homo hanc pacem nonnisi per Ipsum agnovit, ideo si quando ab Eo recedit, illico eam amittit. Cum Dei lex, quatenus intellectum spectat, veritas sit, quatenus vero rcpac^**iv,** sanctitas, ex illa ineffabilis purae conscientiae pax germinat : ex ea coelestis ille patientiae et christianae dilectionis spiritus, qui irarum aestum inter fratres excandescentium, ubique extinguit : praeterea dementiae ac beneficentiae sensus divitibus et praepotentibus quibusvis inspirat: modestis, atque omnibus a Mundo quodammodo exhaeredatis, illam divinae voluntati christianam acquiescentis animi submissionem infundit, quae certa aeternorum bonorum spe alitur et confirmatur. Ergo dum

tormentano la generazione contemporanea. Acclamasi la pace fra le nazioni culte : ma pace vera non è, nè può essere, perchè in troppe cose camminasi lungi da colui che solo può darla. Poseranno forse le armi, taceranno i conflitti palesi, ma immoderate voglie, ambiziosi appetiti, diffidenze, gelosie non taceranno mai in fondo ai cuori, se non torni a regnarvi con la fede e la legge sua Gesù Cristo. E dacché la vera fede di Cristo non è che una, comprendasi che quando la Chiesa, madre comune, si studia di richiamare amorosamente tutte le genti al suo grembo, ella fa opera non soltanto religiosa, ma altamente civile.

a Dei lege oculi dimoventur, statim omnium, quibus moralis ordo servatur, virtutum praeclarissima deficit, ac praecipuum ruit civicae tranquillitatis fundamentum. En unde procedunt incommoda ac sollicitudines, quae in praesentia humanam familiam maximopere conturbant. Inter excultas politioribus moribus orationes pax acclamatur ; sed vera pax nec est, nec esse potest ; quia nimis ab eo, qui solus illam dare potest, longe abscessimus.

Fortassis factiones arma déponent, publici conflictus cessabunt , sed effrenas libidines, gloriae cupido, mutuae suspiciones ac simultates nunquam in imis hominum cordibus tacebunt, donec ibi Iesus Christus fide et lege sua iterum regnet. Quoniam vero Christi Fides necessario una est, quisque intelligat oportet, quando Ecclesia, omnium Christianorum Mater, in sinum suum omnes gentes peramanter invitat, non modo Religioni, verum etiam civili populorum prosperitati consulere.

Se non che, al paragone di altre contrade, una causa perturbatrice di più travaglia da non pochi lustri la Penisola nostra. Alludiamo al dissidio, che lamentammo altre volte anche da questo luogo, dello Stato colla Sede Apostolica. Potranno non darsene pensiero gli spiriti partigiani o leggieri : ma chi giudichi con animo imparziale e con retto sen-

At vero prae ceteris Orbis regionibus altera est insuper in Italia plerisque abhinc annis perturbationis causa. Dissidium nempe, quod alias etiam ex hac aula conquesti sumus, Regnum inter et Sedem Apostolicam. Id quidem adversarum partium studiosi facile praeterire et negligere poterunt; sed qui ab omni partium studio alienus, rectoque praedi-

so, non può non vederne i danni ed augurarne la fine, fi forse un argomento di tranquillità questa Nostra condizione inaudita che pur tiene in commozione quanti novera da un polo all'altro della terra figli devoti la Chiesa ? O sarebbe guarentigia di sicurezza questa clamorosa rottura con le memorie, i sentimenti, la legge storica delle genti italiane ? Poiché non vale il dissimularlo, la presente condizione di ostilità rispetto al Pontefice ripugna, non che altro, alle tradizioni e perfino al genio nazionale : perciò non avrà mai il suffragio della pluralità degli italiani, cattolici nell' anima, avvezzi a guardare al pontificato come a propugnacolo di salute e grandezza, e a considerarlo come capo e cuore della nazione. Se dunque mostrano di sentire che l'unità politica non basta a farli più prosperi ; se cercano come per istinto conservativo di stringersi viepiù al seggio di San Pietro ; se restituito alla debita indipendenza e reintegrato ne' suoi diritti vogliono il Pontefice, male è non comprendere l'indole vera di tali intendimenti : peggio ancora confondere in un fascio cittadini pacifici e fazioni sovvertitrici. Ma per inveterate che siano le false preoccupazioni, non può sfuggire ai più assennati la providenziale economia onde quasi in solido con la Sede Apostolica son con-

fus sensu iudicet, incommoda quae inde consequuntur, tristemque finem pervideat necesse est. Sane, estne traquillitatis argumentum haec nostra prorsus inaudita conditio, quae quotquot sunt ubique terrarum obsequentes Ecclesiae filii, vehementer angit ac permovet? Estne publicae pacis sponsor clamosum illud bellum vetustissimis Italicae gentis monumentis, religiosis sensibus, atque historicis legibus indictum? Quoniam id dissimulare non iuvat, praesens hostilitatis conditio, qua Pontifex tenetur, priscae populorum traditioni, imo etiam naturali Italicae Nationis indoli omnino adversatur: proinde potioris partis italorum suffragiis nunquam potietur; utpote qui penitus Catholici, Pontificatum velut salutis suaeque dignitatis propugnaculum , imo tamquam caput et cor italicae nationis habere consueverunt. Si ergo hi probe se intelligere ostendunt, per civilem unitatem tantummodo, Nationis prosperitatem augeri non posse ; si quodam naturali instinctu, quo se conservandi quisque pollet, ad Petri Sedem una omnes propius convenire percupiunt: si Pontificem in pristinam libertatem vindicatum, atque eidem liberum sui iuris exercitium plene atque integre restitutum volunt, probrum est huiusmodi consiliorum indolem non agnoscere; peius vero pacificos cives rebellesque factio-

nesse le sorti della Penisola, e conseguentemente l'errore d'aver posto la causa italiana in così aperto contrasto con le ragioni del papato. Quando mai però fu disdicevole ad uno Stato l'entrare nella via delle giuste riparazioni ? E nel presente caso niuno può misurare col pensiero gli effetti morali e materiali che ne seguirebbero.

nes perperam confundere. Sed quantumlibet inveterarmi falsae opiniones, eos qui ceteris sapientia praestant, prudens, coelitus statuta, oeconomia, qua Sedis Apostolicae et Italiae sortes ita invicem connexae sint, ut illa neglecta, et ista ruat necesse sit, profecto fugere non potest ; et quod inde consequitur, nec illorum error, qui Italiae causam in manifesto conflictu cum Humani Pontificatus iuribus composuerunt. Quandonam autem aliquod civile Regimen sponte convenire dedecuit ad consilia simul ineunda, ut damna alteri illata, uti par est, reparentur? Atque in praesenti, casu, effectus sive religiosos, sive civiles,₀ qui exinde consequerentur, ratione aestimare potest nemo.

Invochiamo le più copiose benedizioni del cielo sul sacro Collegio, e ne sia come auspicio la Apostolica benedizione che di gran cuore accordiamo ad esso, ai Vescovi, ai Prelati e a quanti sono qui presenti.

Amplissima in Sacrum Collegium munera e Coelo adprecamur, auspice Apostolica Benedictione, quam et huic eidem sacro Patrum Collegio, et Episcopis ac Praesulibus, et quotquot hic adsunt, toto ex corde impertimus.

RESPONSUM SSmi D. N. Leonis Papae XIII Emo. Cardinali Decano sacri Collegii, fausta ominanti die 2 Martii 1898; qua celebratur implementum anni 88 aetatis suae et 20 suae coronationis.

Le dimostrazioni di religioso ossequio al Papa sono sempre indirizzate a più alto segno che non sia la persona. Onorando il Pontefice si rende onore alla so-

Publicae religiosi obsequii significationes potius quam Nostri causa, ad sublimius consilium profecto ordinantur. Cum enim honoratur Pontifex, divino illi

vrumana instituzione che egli rappresenta, unica per altezza di grado e grandezza di attributi. Per questo massimamente e non per Noi accogliemmo ognora con lieto viso i molteplici omaggi, e talora solenni, che accompagnarono questo ventennio di pontificato : e similmente per questo Ci compiacemmo delle recenti significazioni di pietà che ella accennava, signor Cardinale, e alle quali non fu che occasione la ricorrente memoria delle Nostre primizie sacerdotali. L' intento unanime delle folte schiere di devoti, raccolte il tredici febbraio nell'attigua basilica, era quello appunto di salutare il sovrano Pastore, e confessare così la prerogativa legata di Gesù Cristo all'episcopale seggio di Roma. Nell'atto ch'ei s'inchinavano sensibilmente all'umile persona Nostra inchinavansi colla mente alla divina idea che rende veneranda al mondo la stola pontificale. E a quegli atti di ossequio, a quelle stesse acclamazioni rispettose rispondevano da ogni parte, armonizzando, milioni di coscienze italiane. Non doveasi dunque fare oltraggio a un entusiasmo ispirato da idee e sentimenti non pure onesti e incensurabili, ma santi, e doverosi : eppure si fece e si lasciò fare. — Ne è già per caso fortuito, ma bensì per consiglio del cielo che di quei sentimenti apparisce per ogni dove

instituto, quod ipse praesefert, quodque ob gradus praestantiam et munerum excellentiam unicum est, honor tribuitur. Haec igitur publica, quandoque etiam solemnia, populorum obsequia, viginti ipsis Pontificatus nostri annis Nobis exhibita, hilari vultu semper excepimus; atque hac ipsa de causa nuperas, de quibus, Eme Cardinalis, modo memineras, pietatis populorum significationes gratas habuimus. Una omnium huc undique confluentium piorum mens fuit, qui in hac continenti Basilica Vaticana constiterunt, supremum Ecclesiae Pastorem revereri ; atque ita primatus dignitatem Episcopali huic Romanae Sedi a Christo Domino concessam palam profiteri. Eo ipso actu, quo Nobis exterius obsequebantur, interius divino Instituto honorem deferebant, quod toti Mundo reddit pontificalem Inf illam summopere venerandam. His vero religiosi obsequii officiis, his reverenti animo emissis piorum acclamationibus vicies et amplius centies mille Italorum undique consonantiam corda respondebant. Igitur huic incenso animorum aestui, cogitatibus ac sensibus nedum honestis, et laude potius quam vituperatione dignis, imo etiam sanctis atque omnino debitis inspirato, convici ari nequaquam decebat; quod tamen et factum et fieri permissum est.

Nec vero fortuito, sed divino

riacceso il fervore. Nelle malagevoli condizioni presenti par che Iddio voglia far toccare con mano anche ai più restii, che chi difende gelosamente le sorti dell'Apostolica Sede è lui medesimo : è lui che veglia dall'alto a guardia dell'opera sua. E però va incoronando di cospicui fulgori la travagliata tiara, e a ristoro delle patite offese serba a lei più vive le simpatie, più gagliardo l'amore delle moltitudini. Amore e simpatie che non si arrestano ai confini delle Alpi e del mare, ma si spandono per divino benefizio e si afforzano di giorno in giorno in ogni contrada del mondo civile. E benvenga questa confortatrice onda di affetto ; ella scaturisce dalla rinvigorita coscienza cristiana, che protesta contro le inique oppressioni, e rivendica il dritto suo di essere e mostrarsi al cospetto dell'universo animosamente e santamente libera. Ma quanto è doloroso a veder calunniate da tanti o mal comprese le aspirazioni dei cuori verso Roma, sacerdotale metropoli depositaria dei divini oracoli, dispensatrice di salute. Perchè non accogliere, qual è, la consolante realità del fatto ? In mezzo alle paurose tempeste del secolo oblioso od incredulo, è la cura rinascente della propria salute che sospinge lo sguardo delle menti alla santa città, stella polare delle anime : è il bisogno di

prorsus consilio evenit, ut hic animorum aestus iisdem sensibus iterum ubique incensus appareat. Nimirum hisce difficillimis temporibus velle videtur Deus, ut ab ipsis incredulis velut manibus contrectetur, ipsum sane esse, qui Apostolicae Sedis incolumitatem tuetur, qui divino Suo Operi custodiendo pervigilat. Proinde conspicuis Pontificiam Tiaram, impie exagitatam, fulgoribus ornat, atque iniurias, quas ista perpessa est, compensandi gratia, vividiorem in dies b ene volentis animi affectum in populis amoremque excitare non desinit: qui quidem amor et benevolentis animi affectus nequaquam Alpium marisque finibus continentur, sed latius quotidie Dei beneficio pervadunt atque, in omni regione politioribus moribus exculta in dies convalescunt.

Libenter igitur hunc, qui nos adeo recreat, pii affectus gurgitem, ex christiana conscientia divinitus firmata, sponte scatentem excipimus ; quae contra iniustas vexationes protestatur, iusque suum libertate fruendi, et palam universo Mundo fortiter sancteque liberam se prodendi totis viribus sibi vindicat.

Sed heu! quam acerbum est calumniis impetita, vel perperam accepta haec animorum vota Romam conveniendi aspicere, Metropolim Sacerdotalem, salutis divinorum oculorum fidissimum cu-

posseder Gresil Cristo che conduce le genti al trono del suo Vicario.

stodem aeternae dispensatricem, — Cur adversarii nostri, facti huius veritatem, ut reipsa est adeo perspicuam solantemque non excipiunt? Inter horribiles huius saeculi obliviosi aut etiam increduli procellas reviviscens salutis eiusdem assequendae studium ad Sanctam Urbem, polare animarum sidus mentis obtutum convertere compellit; est insuper necessaria quaedam animi propensio, ac mentis ardor ad Christum fruendum, quae ad ipsius Vicarii solium gentes adducit.

La prima radice delle calamità morali e sociali dell'età nostra è riposta nell'afrìevolimento dei religiosi sensi. Ogni anima retta, ogni cuore sollecito della prosperità privata e comune, deve dunque benedire al presente ridestarsi degli spiriti cristiani, come a presagio e promessa di salute futura. — Comunque sia, la provvidenza del Signore non suole, come l'uomo, lasciare imperfette le opere sue : ella ha iniziato il salutare movimento, ed ella medesima vorrà tosto o tardi dilatarlo e compirlo a gloria sua, a salvazione dell'umana famiglia. Questo frutto di misericordia non lo vedremo maturo Noi, prossimi come siamo al termine della Nostra giornata : ma Ci gode l'animo di antivederlo e salutarlo da lungi col desiderio e la speranza.

Praecipua omnium calamitatum, quae et civium animos, et universam hominum Societatem hisce temporibus afHictant, radix est religiosorum sensuum relaxatio. Igitur quisque probus ac propriae et communis prosperitatis sollicitus, huic christiani spiritus syépaet, uti proximae salutis praesagio ac sponsioni, gratulari profecto deberet. Ceterum Dei providentia haud solet, uti homo , opera sua imperfecta relinquere : ipsa hunc religiosum populorum motum excitavit, et ipsa quando expedire iudicaverit, eumdem in gloriam suam et humanae sobolis salutem augere et perficere dignabitur. Hunc equidem divinae dementiae fructum Nos, utpote vitae nostrae termino proximi, maturum nequaquam conspiciemus ; sed tamen illum praevidere, desiderare atque eminus salutare gestimus.

Con animo volonteroso e riconoscente accogliamo i degni sensi del .sacro Collegio, da lei, signor C ardinale, nobilmente interpretati : e in rendimento di grazie impartiamo a lei e ai suoi venerabili colleglli con paterna dilezione la Benedizione Apostolica, come pure la impartiamo ai Vescovi, ai Prelati, e quanti altri son qui a farci gradita corona.

Animo Iubenti ac vestrorum in Nos officiorum memores Sacri Collegii pia sensa, per te, Eine Cardinalis, nuper praeclare exhibita, excipimus; atque in gratiarum actionem tibi tuisque venerabilibus Collegis, itemque Episcopis, Praesulibus, et quotquot hic Nos dilectissimi circumsistunt, patris affectu Apostolicam Benedictionem impertimus.

EX 3. CONGREGATIONE CONCILII

PICTAVIEN. ET NANNETEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 8 Maii 1897.

Sess. 24, cap. 5, De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Comes Paulus pictaviensis, cum mense Iunii an. 1889 Lutetiam Parisiorum sese contulisset, in publico diversorio obviam habuit puellam Carolam 24 annos natam. Illico Paulus, qui tunc 32 aetatis annum attigerat, erga Carolam amore captus est atque, annuente puellae patre, *die 5 Septembris* dicti anni matrimoniali foedere Carolae iunctus est.

Solemnes nuptiae in Nannetensi civitate, patria sponsae, benedictae fuere, et neoconiuges iuxta morem voluptuarium iter statim susceperunt Vichianum versus, vulgo *Vichy.* Verum haud iucundum nuptiale iter fuit sponsis, namque Carola, uti Paulus modo asserit, perfracte debitum marito denegavit, nec ad eius pervi cacem voluntatem flectendam preces vel minae iuvarunt.

Quidquid autem sit de Pauli affirmatione, certum autem est quod ex contraria sponsorum indole ac ingenio admodum difficilis cohabitatio coniugalis evasit; ideoque vir mense Decembris Nannetibus uxore derelicta, Pictavium petiit, divortium a iudice laico praestolaturus, ac postea *mense Iulii 1890* a Summo Pontifice dispensationem petiit, cum suum coniugium ob uxoris reluctantiam, nunquam esset consummatum.

Disceptatio Synoptiea

DEFENSIO PAULI. Actoris Pauli patronus suam exorditur defensionem notando, quomodo ipse statim sategit iussu S. C. C. ad examen adducere tres illos medicos, qui extraiudicialiter Carolae corpus recognoverant et scriptum dederant testimonium. Atque, bono fato, isti omnes medici Parisiis formiter interrogati, quod antea scriptura retulerint, non modo iurati confirmarunt; sed etiam opportune aliqua subtexentes explicarunt: ita ut omnes tamen concluderent pro integritate mulieris.

Ex huiusmodi vero declarationibus opinatur advocatus, matrimonii inconsummationem tanta emergere perspicuitate, ut nullus dubitationis locus relinquatur, eo maxime si attendantur informationes, quas Curia Parisien, favore medicorum S. C. remisit, scribens inter alia: « Quod ad ipsosum scientiam et honestatem spectat nihil nisi boni referre possumus; docti enim et accurati rectaeque conscientiae viri habentur apud harum partium urbis incolas, ubi degunt ».

Neque, urget orator, in themate obiicere valet, illam singularem opinionem, quae tenet, mulierem, integro hymene, consummare matrimonium, imo et concipere posse, quia de Carola parisienses medici affirmant « dans le cas présent la conformation de la membrane hymen n'aurait pas permis même une fois le rapprochement conjugal sans qu'il y eut une déchirure ».

Quod autem matrimonium ratum simpliciter manserit, non modo iuxta patronum ostenditur ex medicorum iudicio,

•sed ex constanti et iurata Pauli asseveratione, quae mirifice confirmatur a testibus fide dignis, qui sub iuramenti sanctitate plerumque referunt, quae suis oculis suisque auribus acceperunt.

Quod si matrimonium Paulus dum Vichiani morabatur, haud consummavit, nec postea, insistit orator, consummare potuit. Cum enim ipse e nuptiali itinere reverterit dolore animi pressus Ioanni Dupré aperuit maximas, quas sibi obtulerat difficultates uxor ad explendum actum coniugalem.

Haud aliter, prosequitur, deponit Elisa Lemaire, quae iam a triginta annis cum Pauli matre habitat : refert namque, coniuges Pictavii numquam eodem in lecto cubasse, ac frequenter inter eos ortas fuisse altercationes, ideoque cogitavit, Carolam continuo marito debitum réfutasse.

Ista vero omnia iuxta advocatum non obscure uxor ipsa fassa est, antequam a viro relinqueretur. Habentur namque testes, quibus Carola affirmavit se a copula cum viro prorsus abhorrere. Ac cum eadem Armanda aliquando Carolam exoraret, ut iustis Pauli desideriis circa officia coniugalia indulgerei, respondere non dubitavit « brisons-la dessus, nous ne nous entendrons jamais sur cette question ».

Orator denique ostendere satagit ad clarius matrimonii non consummationem evincendam, Carolam semper aspero modo maritum tractasse, coniuges ab ipso nuptiarum die abalienatos inter se fuisse, Paulum semper constantem perstitisse in suis depositionibus, mulierem autem secum pugnantia pluries affirmasse, Paulum continuo dedisse exempla honestatis et religionis, Carolam e contra impune leges Ecclesiae conculcasse. Quapropter, concludit, sapienter Curia Nanneten, acta causae Romam transmittens iudicavit, Matrimonium hoc non fuisse rite consummatum.

De causis ad dispensationem elargiendam necessariis advocatus non loquitur, cum iam pateat plurimas et quidem gravissimas causas ad Pontificis animum inclinandum, adesse in praesenti.

ANIMADVERSIONES DIFENSORIS S. VINCULI. Vinculi autem

defensor tenet certo non constare de coniugii inconsummatione, quod pluribus argumentis ostendere confidit. Praemittit, Paulum esse indolis inconstantem, qui quamvis matrimonii celebrationem de die in diem vehementius expeteret, attamen celebrationis instante momento declamabat : « Qu'il ne savait pas pourquoi il était là », ac Carolam esse, « Fille unique, et pourtant un peu gâtée ». Quapropter brevi ab invicem seiuncti sunt.

Paulo post separationem vir matrimonii dissolutionem effiagitavit, quia uxor, nesciens in quo nuptiae consistèrent, haud praestiterat necessarium consensum, vel saltem petiit ut concederetur dispensatio super rato et non consummato. Verum usque ab initio, ait orator, nec dubitari datum fuit circa validitatem vel non consummationem huius matrimonii, nam ea de re inquisitione instituta, Ordinarius Nanneten, refert *die 20 Iunii 1891* ad S. C. Congregationem: « J'ai fait une enquête de laquelle il résulte que cette dernière (Carola) ne demanderait pas mieux que de donner suite au projet proposé par son mari, mais que sa conscience s'y refuse absolument. Elle a déclaré en effet qu'elle savait parfaitement (puella vigintiquatuor annorum) ce qu'elle faisait en se mariant, qu'elle avait donné un plein consentement, matrimoniumque fuisse consummatum ; pendant quelques jours après son retour chez ses parents elle s'est même crue enceinte ».

Nec, urget, Episcopus Nanneten, longe erat a vero in citata relatione, quippe Carola die 14 Octobris 1892 percontata iussu S. Congreg. C. a Nannetensi Iudice: « Si elle avait librement consenti à son mariage avec M.r Paul? » iurata reponit : « Qu'elle avait consenti librement à son mariage, sans y être forcée par personne et sans arrière pensée ». Et petens idem Iudex, an ipsa cum Paulo consummaverit matrimonium, clare fatetur: « Q'elle a rempli ses devoirs d'épouse.;., que si elle s'y est refusée plus tard, c'est par suite de procédés grossiers et violents de Paul à son égard, et par suite de la connaissance qu'elle a ac-

quise de sa valeur morale ». Atque, urgente Iudice, quod Paulus continuo asseverare t, uxorem nunquam officia coniugalia adimplere voluisse, Carola respondet : « Mons. Paul peut d'autant moins affirmer que je n'ai jamais rempli mon devoir d'épouse, que pendant notre séjour à Vichy, me trouvant indisposée il a demandé au médecin si cette indisposition ne pouvait pas provenir d'un commencement de grossesse, et si le traitement qu'on me prescrivait ne serait pas nuisible si j'était dans cette situation ». In hisce notat defensor, Carola certe non mentitur cum praelaudatis Episcopus sub die 15 Octobris 1892 ad S. Congr. C. scribat: « Cum autem asseruerit mulier adesse testimonium medici de matrimonio consummato, ita esse compertum habui, viso actu iudicii civilis divortium declarantis ».

Praeterea in citata epistola refertur, quomodo: « Questionnée (Carola) enfin sur se point que peut-être un sentiment d'animosité et de vengeance contre M.r Paul avait dicté ses réponses, M.me Paul à répondu: J'ai autant d'intérêt que M.r Paul à ce que notre mariage soit déclaré nul. Je tiens autant à recouvrer ma liberté, qu'il tient à recouvrer la sienne. Mais il m'est impossible de parler contre ma conscience et la vérité des faits ». Atque in calce huius Carolae examinis Iudex refert: « Notre impression est qu'elle (Carola) a été franche dans ses réponses. Elle n'a pas hésité ni varié. Et elle se trouvait dans une situation d'autant plus difficile et délicate pour répondre que les questions lui étaient posées d'après le mémoire dressé par Mons. Paul que nous avions sous les yeux ».

Quod autem Carolae assertiones veritati sint conformes iuxta oratorem irrefragabiliter ostenditur etiam ex iis quae tractu temporis evenerunt. Carola namque miserrime a pluribus iam annis duci militum per damnatas nuptias ligata est ; quapropter inconsummationis matrimonii argumentum, si revera existeret, eidem esset velut unica naufragii tabula ad suum statum, saltem coram hominibus legitimandum. Nihilominus die 25 Iunii 1894 Carola ad iudiciale examen

adducta, quaerenti Iudici : « Avez-vous constamment refusé le devoir conjugal à votre mari ? » Sub iuramento reponit : « Non, je ne l'ai pas refusé », et ad quaestionem: « Est-il vrai que par dépêche vous avez prié vos parents de préparer les pièces de séparation, et que vous annonciez en même temps votre grossesse? » ait: « J'ai annoncé ma grossesse; je ne me rappelle pas d'avoir parlé de préparer une séparation »: Iudice instante : « Maintenez-vous que vous n'avez pas refusé le devoir conjugal? » subiungit: « Je le maintiens; j'ai même subi des exigences, qui ne sont pas le devoir coniugai ».

Matrimonii consummationem nunc infìciatur quidem Paulus, sed eidem nullam adiicit fidem vinculi defensor, quia testes, qui eum probe noscunt, fide haud dignum habent.

E contra autem, ait orator, Carolae veridicitatem eius septima manus ad sidera tollit.

Ast, insistit sacramenti vindex, praeterquam quod Carola matrimonii consummationem affirmat proprium in detrimentum, constans semper in suo testimonio perseveravit, dum Paulus e contra inconsummationem matrimonii modo affirmât, modo denegat.

Cum talia adsint argumenta pro affirmanda consummatione , vinculi tutor flocci facit extraiudiciale testimonium diei 31 Augusti 1893 a medicis Le Tanneur, Bidault et Hubeau exaratum, qui asserunt : « Il est impossible d'affirmer que le rapprochement sexuel ait été consommé ». Huiusmodi enim examina nullo in pretio haberi possunt, nisi medici explorationem corporis peragant ex Iudicis mandato ac multiplices praescriptiones ad praecavendas fraudes ac collusiones iure invectas examussim servent, ita *Instructio S. C. Congr. 22 aug. 1840.* Iam vero in probatis est nec balneum a dictis medicis, nec alias circumspectiones in cit. Instruct. *§ Iudex praefigat et seqq.* praescriptas, adhibitas esse. Constat siquidem explorationem iudicialem ex deliberato animi consilio a Carola recusatam fuisse.

Constat denique, concludit orator, coniuges inter se collusisse circa factum corporalis Carolae explorationis. Quae-

renti nam Iudici : « Est-il vrai qu'il (Paulus) ait dit , je ferai tout mon possible pour empêcher le divorce civil, à moins qu'elle (Carola) ne jure n'avoir jamais été ma femme? » Carola respondit: «Cela est exact» atque Maria..., Pauli soror, iurata affirmat: « Madame.... (Carola) a écrit à ma mère dans ce sens à peu près : - Si Paul se conduit bien à mon égard, je ferai ce qu'il faut pour qu'il obtienne l'annullation de son mariage religieux; si non, il ne réussira jamais ».

Hisce praemissis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re disceptata sub die 8 Maii 1897, censuit respondere : *Non constare de non consummatione matrimon ii.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

FESULANA

RESTITUTIONIS

Die 18 Martii 1898.

COMPENDIUM FACTI. In Ecclesia Cathedrali Fesulana extat beneficium simplex sub invocatione S. Donati Seo torum, fundatum usque a saeculo XVI, habens, ceu dotem, domum in civitate Florentina sitam et iuripatronatui obnoxiam, cuius exercitium ultimo nempe an. 1867 pertransiit in Alexandrum Cardi-Cigoli Florentinum. Hic, utens beneficio notae legis italicae diei 15 Augusti 1867 circa prescriptionem proprietatis ecclesiasticae, praefatam domum ab unguibus Fisci

redemit solutis libellis 6202, 56, et dein Rectori beneficii pro tempore assignavit annuam pensionem libellarum 260 pro adimplemento oneris 104 missarum, gravantis dictum beneficium, et de statuta pensione a sac. Alamanni beneficii Rectore, sumpta est supra domum hypothecaria inscriptio. Id certo constat ex relativis documentis, sed non ita constat de necessaria venia qua se munire oportebat patronus coram Ecclesia ad beneficii dotem legitime vindicandam, imo in Curia Fesulana nullum super hoc extat documentum.

Interea patrono Cardi-Cigoli eiusque uxore viam universae carnis ingressis , Religiosi Patres Scholarum Piarum ceu haeredes universales dictam domum occuparunt. De hoc certior factus Episcopus Fesulanus apud eos primo amicabili via et dein libello oblato apud S. C. Episc, et Regular, institit, ut sibi redderetur domus benef! ciariam dotem constituens et insuper omnia lucra vel summae pecuniae indebite perceptae occasione ipsius detentionis tum a dictis Religiosis tum ab eorum auctore. Patres Scholarum Piarum parati sese exhibuerunt ad domus restitutionem, praevia tamen refusione libellarum 6202, 56, quae sunt expensae pro vindicando beneficio : sed expetitam summam titulo lucri denegarunt et cum nulla concordia possibilis evaserit inter partes, quaestio resolvi oportuit iudiciali tramite.

Disceptatio Synoptica

IURA PATRUM SCHOLARUM PIARUM. Patres Scholopii ad entitatem domus beneficialis adstruendam allegant duas peritias, unam an. 1875 et aliam an. 1895 ex mandato ipsius Episcopi Fesulani peractam, ex quibus resultat valorem domus ascendere ad libellas circiter 20000 ; qui valor multum decrescerei, in hypotesi coactae alienationis, attenta praesenti crisi oeconomica. Imo ex mediis decennalibus an. 1860-70 et annis 1859-69 datis ab ipso beneficii titulari exhibitis, confectis quando domuum locationes Florentiae maximum pretii attingebant, eruitur domus reditus, non detractis oneribus, non excedere libellas annuas 1300. Iam vero si ex hoc reditu annuali

(ietrahantur lib. 290 pro expensis manutentionis et eventualis non locationis domus, libellae 294,24 pro stipendio exactoris, libellae 310, 17 pro fructibus summae lib. 6202, 56 a patrono persolutae, praefatus reditus lib. 1300 reducitur ad libellas 246, 29 : contra regularibus acceptilationibus probatur, titularem beneficii usque in praesens semper recepisse annuatim libellas 260 : hinc ipse cum damno religiosorum in singulos annos lib. 13, 61 lucratus est. Quare haeredes patroni Cardi-Cigoli concludunt nihil ex retentione domus lucratos esse, et sibi refundendas esse lib. 6202,56 expensas ab eorum auctore in beneficii interesse.

Demum Religiosi producunt legalem attestationem Ratiocinatoris Tifi Pratesi ab ipso Demanii Officiali admissam. Ex ipsa liquet reditum domus beneficiariae an. 1896 ascendere ad libellas 1050, et onera domus administrationem gravantia, non comprehensis manutentionis expensis, consistere in libellis 1319,40. Hinc, iuxta religiosos, beneficii administratio nedum aliquid est lucrata, ceu immerito Episcopus Fesulanus praetendit, sed insuper habet annuum passivum lib. 269,40.

IURA EPISCOPI FESULANI. Hic ex adverso per adlectum Procuratorem contendit, religiosos nedum refusos fuisse de summa expensa a patrono pro beneficii redemptione, sed etiam lucrum habuisse, quod beneficio insimul cum fundo dotationis est restituendum. Enimvero cum taxa a Gubernio imposita pro beneficiis vindicandis de iurepatronatu sit 30 pro quolibet centenario valoris fundi beneficialis, prono alveo fluit, quod si patronus Cardi-Cigoli persolvit libellas 6202,56 pro vindicanda dote beneficii S. Donati, eius valor nitidus summari debuit in libellis 20675, 20, quarum annuus reditus est in libellis 1032, 76. Si ex hac summa detrahantur libel. 310, 12 pro annuo interesse pecuniae a patrono exsolutae, si detrahatur summa lib. 260 assignata Rectori beneficii, in comperto est adhuc superesse lib.463,64 quae in 28 annis cumulatae, cum vindicatio beneficii effecta fuerit an. 1869, ascendit ad totale libel. 12981, 91.

Si igitur haec sumiría imminuatur in libellis 6202, 56 expensis a patrono ut supra, adhuc restant lib. 6779, 39, quae lucrum indebite perceptum repraesentant, proindeque a religiosis reddendae sunt una cum beneficii dote : hinc summa totalis a Patribus Scholarum Piarum persolvenda, constaret in libellis 27454, 56. Ceterum, iuxta Episcopum Fesulanum, Religiosi neque ius habent ad detrahendum annuum interesse libel. 310,12 pro summa a patrono exsoluta ad dotem beneficii vindicandam : haec summa ceu rata annua restitutionis summae capitalis spectari debet. Siquidem patrono iuxta leges Ecclesiae, vindicare tantum fas est dotem beneficii, in exclusivum beneficii ipsius interesse : Ecclesia quidem patrono vindicanti concedit reiectionem expensarum, et aliquando in hunc finem etiam onera missarum suspendit, sed beneficii administratio redit non patrono, sed beneficii titulari. Hinc Episcopus per suum defensorem deducit Religiosos immerito etiam detrahere a summa restituenda annuas lib. 59, 20 pro expensis administrationis beneficii.

Postea Episcopi Procurator digreclitur ad nonnullas difficultates diluendas, ex adverso oppositas , quarum prima est quod valor fundi beneficialis in libellis 20675, 20 non sit nitidus, siquidem ex eo iuxta Religiosos detrahenda esset sors capitalis censuum in libellis 8584, 80. Reponit Advocatus quod valor domus in libel. 20675,20 est purus, quia valor ipsius non nitidus in libellis 29260 praecise reductus fuit ad dictam summam libel. 20675, 20, quia deducta fuit sors capitalis censuum. Aliunde non est tam facile credendum quod in liquidatione dotis beneficii de hac passivitate non fuerit ratio habita : et dato etiam quod res ita evenerit, de hoc errore non debet beneficium respondere, sed patronus et hinc eius haeredes, nempe Religiosi Patres Scholarum Piarum.

Alia difficultas a Religiosis opposita est quod Rector beneficii sponte acceptavit annuam pensionem libel. 260, Sed obvia est responsio. Rector beneficii huius summae con-

tentus ,• fuit, ad lites vitandas et ut aliquid beneficio salvaret ; constat ex ipsius epistola quod assignatae pensioni acquievit ex exhortatione auctoritatis ecclesiasticae.

Tandem aliis obiectis minoris momenti refutatis, praesertim circa diminutionem locativi valoris domus in actuali crisi oeconomica, Advocatus subdit quod Episcopus Fesulanus promptus est ad aliam domus beneficiariae peritiam permittendam, dummodo sibi ius reservetur nominandi unum ex duobus peritis eligendis.

Hisce utrobique disputatis, supposita fuere enodationi sequentia

Dubia

I. *An et quomodo Religiosi Patres Scholarum Piarum restituere debeant beneficio S. Donati Sectorum vel Episcopo Fesulana fundum constituentem beneficii dotationem aut quis sit eius valor in casu.*

II. *An et quomodo insimul cum stabili Religiosi Patres Scholarum Piarum reddere debeant etiam pecuniae sicmmam ratione lucri percepti durante fundi possessione in casu.*

III. *Et quatenus negative ad secundum, an et quomodo praefati Religiosi restituente^ fundum, ius habeant ad recuperandam summam ab eorum auctore exsolutum pro redemptione beneficii in casu.*

RESOLUTIO. Die 28 Martii 1898, Sacra Congregatio Episc et Regul., omnibus ex utraque parte productis motivis serio cribratis, respondit: *Ad I. 2. et 3., Solutis Instituto Scholarum Piarum libellis 6202,56 quae expensae fuerunt pro vindicanda beneficiali dote e manibus Demanii, cedatur Episcopo Fesidano domus, quae praedictam dotem constituit, facta eidem potestate domum alienandi, ea tamen lege ut pretium inde percipiendum, detractis supradictis libellis Patribus Scholarum Piarum tradendis, caute et utiliter favore beneficii S. Donati investiatur.*

ROMANA

EXPENSARUM

Die 18 Martii Í898.

COMPENDIUM FACTI. Cum Emus Urbis Vicarius decrevisset committere temporaneam administrationem novae paroeciae S. Mariae de Providentia in vico *Testacelo* Congregationi Clericorum Regularium Theatinorum, ad praesentationem Superioris Congregationis istius Generalis Uteris Secretarii dicti Emi Urbis Vicarii sub die 16 Ianuarii 1893 ceu Oeconomus Parochus renunciatio fuit Rev. P. Cocci. At neo oeconomo Curato non integra congrua 200 libellarum menstruarum fuit concessa, sed tantum 100 libellae in singulos menses et insuper pensio gubernativa lib. 600 quas P. Cocci ceu religiosus percipiebat a demanio. Reliquae 100 libellae congruae destinatae sunt ad dimittendum aes alienum, quo dimisso, a die prima Ianuarii 1896 Vicariatus integram congruam persolvere coepit in libellis 200 menstruis R. P. Generali Theatinorum, sed P. Cocci contentus exstare debuit summae seu pensionis sibi ab initio statutae.

Anno 1897 in mense Maio P. Cocci relicta paroeciae administratione a suo Superiore Generali missus fuit ad novam religiosam domum, in oppido Carpino fundandam. Verum mense insequenti re versus petiit et obtinuit a S. Sede transitum ad aliam religionem nempe ad Congregationem Clericorum Regularium Minorum. Quo obtento postulavit se indemnizan a Superiore Generali Theatinorum in summa libellar. I960. 85 pro expensis quos ipse aiebat sustinuisse de proprio in gestione memoratae paroeciae.

Rmus P. Generalis recursu oblato ad S. Cong. Episcop. et Regularium in primis pro amore pacis postulationem P. Cocci in parte tantum admittendam censuit, nempe pro summa dumtaxat libel. 484. 50: sed postea nova epistola ad eamdem S. Congregationem, hanc concessionem retracta-

vit, remittens controversiae decisionem in omni parte supremo iudicio ipsius S. Congregationis.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO RMI. P. GENERALIS THEATINORUM. P. Generalis ita ratiocinatur. Quando administratio paroeciae concredita fuit P. Cocci congrua paroecialis erat in manibus Secretarii Emi Urbis Vicarii, et ea in parte erat adhibita ad redimenda debita: hinc cum P. Cocci statuta fuit quaedam contractus forma gallice *forfait,* nempe ei data fuit paroeciae administratio assignatis ex congrua libellis menstruis centum, pensio gubernativa 600 libellai*, una cum missis liberis et incertis parochialibus. Initio mensis Ianuarii, an. 1896 expunctis debitis, integram congruam recepit P. Generalis in libellis 200, sed libellae menstruae 100 retentae sunt ab eo nempe lib. 50 pro pensione gubernativa percepta a P. Cocci quae Communitati S. Andreae vulgo *a Valle* spectabat, et aliae 50 pro expensis in fabricam paroeciae aliisque titulis. P. Cocci pluries sibi integram congruam exsolvi petiit, sed P. Generalis eius desideriis indulgere non valuit; quin imo cum ipsum ad rationes reddendas paroecialis gestionis non semel invitasset iuxta ss. canones et Congregationis suae Constitutiones, P. Cocci semper restitit, qui insuper ultimo S. Congregationi Episcop. et Regul. exhibuit notulam expensarum, in qua ipse praetendit eius creditum erga Congregationem Theatinorum ascendere ad summam libellarum 1960. 85.

Haec crediti notula, pergit P. Generalis Theatinorum, nullimode admitti potest. I°. Quia P. Cocci quando missus fuit ad novam erigendam religiosorum domum in oppidum Carpino, declaravit se renunciare re fusioni cuiuscumque crediti et de hoc, si opus sit, deferri potest P. Cocci iuramentum. 2°. Haec notula effecta est non ex codice seu regesto regulari, sed cerebrose ex memoriis evocatis a P. Cocci, et expensae peractae sunt nulla superioris habita licentia»

3°. Contraria est formae contractus *forfait* sub qua ei concredita fuit paroeciae administratio. 4°. Et tandem si spolium Religiosi ad praelaturam erecti cedit religioni, a fortiori ei remanere debet spolium religiosi transeuntis ad alteram religionem, seu ad aliam Regularem Congregationem.

Neque ex facto quod P. Generalis declaraverit in Epistola ad S. Congregationem Episcop. et Regul. sub die 7 Augusti 1897 se indulgere P. Cocci solutionem libel. 484.50, argui licet, subdit P. Generalis, se recognovisse crediti notulam. Reponit enim quod id egit tantum amore concordiae, et quoniam haec statui non potuit, idcirco rem remisit supremo S. Sedis iudicio.

Tandem adnotat idem P. Generalis quod residuum congruae cessit in beneficium Novitiatus, et quod P. Cocci numquam uti verus Parochus spectari potuit, quia ipse numquam se subiicere voluit examini in Vicariatu. Et concludit suam defensionem explicans rationem cur ipse etsi debitor, coactus fuerit recurrere ad Supremum Congregationis Tribunal nempe ut praecluderet P. Cocci aditus ad Tribunalia laica ad quae minabatur ipse P. Cocci se convertere iuxta ipsius declarationem cuidam Mengoli.

RATIONES EX-OECONOMI CURATI cocci. Ex alia parte hic in allegatione typis exarata ita sua iura protuetur. Praemittit quod P. Generalis actione iudiciali caret, quia haec creditori competit et non debitori, cui tantum a iure reservatur exceptio; attamen huic conceptui P. Cocci non intendit insistere ad eludendam controversiae decisionem, ideoque refusionem sui crediti seu expensarum, quas ipse sustinuit in exercendo ministerio paroeciali pro annis 1894-97 contendit certissimam et evidentissimam esse.

Re quidem vera, observat P. Cocci, paroeciae Divinae Providentiae annua summa libell. 3000. assignata fuit ceu dotatio; nulla adest fabriceria vel sodalitas. Inter oeconomum curatum, et ecclesiasticam auctoritatem aderat contractus nominatus *do ut facias:* hinc congrua quae ad Rectoris Ecclesiae manutentionem spectabat nullimode a P. Generali

distrahi poterat etiam partialiter in alium finem quamvis religiosum. Paroecia fuit quidem Congregationi Clericorum Regularium Theatinorum commissa, non ad subveniendum Congregationis exigentiis, sed potius ut maiori pompa et convenientia cultus externus exerceretur, et magis proficuum evaderet paroeciale ministerium.

Si itaque P. Cocci necessitatibus paroeciae et expensis cultus necessariis occurrere non valuit exigua pecuniae summa destinata, aequum est ut P. Generalis sibi compenset expensas de proprio factas cum P. Generalis retinuerit partem congruae quae in alium scopum fuit erogata.

P. Generalis ad eludendam hanc obligationem recursum habuit ad speciem contractus *forfait.* Sed P. Cocci huius contractus existentiam denegat, et quamvis existeret dicit, nullum effectum iuridicum producere valuisse I°. quia materia erat incapax talis formae contractus. 2°. Quia tunc conciliari non posset praetensa redditio rationum in expensis et multo minus excipi posset defectus licentiae ad expensas peragendas.

Quamvis, subdit P. Cocci, haec licentiae necessitas nullo iure obtruditur a P. Generali. P. Cocci ex rescripto S. Sedis 24 Martii 1876 capax effectus fuit possidendi beneficium ecclesiasticum, et ex alio rescripto diei 13 Aprilis 1883 facultatem habuit disponendi de paterna haereditate. Poterat itaque absque licentia sui Superioris Generalis de proprio expendere in paroeciali ministerio explicando.

Multoque minus oggeri possit quod P. Cocci erat paroeciae gestor ad nutum P. Generalis amovibilis, nam praeterquam quod tunc fuisset irrisoria Epistola Secretarii Emi Urbis Vicarii, qua ipse renunciabatur Oeconomus Curatus, in huiusmodi damnata hy po tesi denegari non posset, inter ipsum et P. Generalem extitisse quasi contractum parientem obligationem inter partes : proindeque P. Cocci ceu paroeciae gestor indemnis fieri deberet ab alia parte pro latis expensis in tali negotio.

Tandem P. Cocci réfutât theoriam ex adverso invocatam

circa spolium Religiosi de uno ad aliud institutum legitime transeuntis. Ipse innixus doctrinae *Card. De Luca diseur, de Reg. 39 § 16. 17.* duplicem bonorum cathegoriam in religioso distinguit : nempe ea quae intuitu religionis et industria personali acquiruntur, et ea quae religioso post professionem ex successione vel donatione obveniunt. Prima ad relictum institutum pertinent, alia cedunt ad Institutum ad quod religiosus transit. Hanc theoriam seu doctrinam convalidai etiam decisionibus S. Romanae Rotae nempe *dec. 136, 109, 155, par. 2. recent.* Atqui, pergit P. Cocci, summa quam ipse expendit de proprio in exercitio paroeciali pro an. 1894-97, sibi ob veniebat unice ex reditibus sui beneficii ecclesiastici et ex paterna haereditate a se cum licentia S. Sedis administrata. Verum quidem est quod ipse functus sit officio Secretarii P. Commissarii Belli, sed proventus ex huiusmodi officio vix aequarunt summam libellarum 200. Aliunde concessio P. Generalis sibi indulgendi eleemosynas (quam concessionem postea revocavit) in libellis menstruis 25 pro 41 mensibus, in facto fere evanuit, cum P. Cocci tantum libellas 260 hoc titulo receperit iuxta notulam a se exhibitam, quae si non desumpta fuit ex regulari codice exitus et introitus, id repeti debet ex tenuitate dotis paroeciae Divinae Providentiae quae opus non habebat regulari regesto : satis hinc fuit ut nota redacta fuerit per Ratiocinatorem ipsi personae P. Generalis addictum super memor iis a P. Cocci communicatis.

Haec est summa rationum, quas partes exhibuerunt pro enodandis sequentibus

Dubiis

i. *An Rev. P. Ioseph Cocci C 1er. Regularium Minorum, iam Parochus S. Mariae de Divina Providentia in Urbe creditor sit contra Rmum Generalem Cleric. Regid. Theatinorum P. Franciscum Ragonesi pro expensis factis in praefata paroecia annis 1894, 1895, 1896, 1897 in casu.*

Et quatenus Affirmative :

II. *In qua summa sit redintegrandi in casu.*

RESOLUTIO. Die 18 Martii 1898. S. Congregatio Episc, et Regul. re mature discussa respondit. - *Ad I. etil, placere de concordia.*

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM quoad effectus irregularitatis, ex haeresi partae, super professionem et praelaturas religiosorum.

Il Vicario e Procuratore Generale dei Ministri degP Infermi, umilmente prostrato al bacio del S. Piede, espone alla S. V. come da alcuni Provinciali del suo Ordine siano stati promossi varii dubbii intorno all'accettazione, professione, ordinazione ed elezione a prelature degli eretici e loro figli e nipoti, convertiti ed aspiranti allo stato religioso.

E poiché tali dubbii non sono solamente teoretici, ma riguardano la pratica e sono spesso causa di angustie di coscienza, e ciò specialmente nei paesi della Germania e del Nord; così è che l'oratore umilmente implora dalla S. V. la soluzione dei seguenti dubii, cioè :

I. Se l'essere ***nati nell'eresia ;*** o l'avere genitori, zii, fratelli o cugini ***eretici,*** o ***maritati ad eretici,*** sia per legge comune un impedimento che esclude dalla Professione religiosa ?

II. Se sia esatto il dire, che pel fatto dell' ***altrui*** eresia incorrono la irregolarità solamente coloro che hanno eretico o il Nonno, o il Padre, o la Madre ?

III. Se possa seguirsi la dottrina di coloro che insegnano, tale irregolarità non incorrersi nella Germania, pel fatto che ivi ***parentes nulla laborant infamia ?*** e se tale dottrina possa estendersi a tutte quelle regioni, ove la Religione dominante è eterodossa o protestante ?

IV. Se i legittimamente dispensati dalla irregolarità in rispetto alla S. Ordinazione, possano pel fatto della Professione religiosa venir promossi alle Prelature dell' Ordine : ovvero se

possano essere a ciò autorizzati dai loro Superiori, quando questi abbiano per antica concessione diretta e posteriore al Concilio di Trento di potere « ex quocumque capite vel causa, praeterquam homicidii voluntarii, bigamiae, ac membrorum mutilationem, irregularitatem incurrentes, Apostolica auctoritate, in forum conscientiae tantum absolvere, necnon cum eis, etiam cum rehabilitatione, et abstersione inhabilitatis et infamiae maculae dispensare ? »

Che ecc.

Ier. V. loeo IV, 3 Februarii 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab Emis et Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EEmi ac RRmi DDñi respondendum mandarunt:

Ad I. Negative, salvis constitutionibus cuiusvis Religiosae Familiae propriis.

Ad II. et III. Detur Decretum fer. IV, 4 Decembris 1890; id est: *Filios haereticorum, qui in haeresi persistant vel mortui sunt ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat, esse irregulares etiam in Germania et m aliis locis, de quibus petitur ; ideoque dispensatione indigere, ut ad Tonsuram et ad Ordines promoveantur.*

Ad IV. Prout exponitur, negative.

Sequenti vero die et feria, facta de praedictis relatione SS. D. N. Leoni PP. Div. Prov. Papae XIII in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, Sanctitas Sua Emorum Patrum resolutionem approbavit.

I. Can. MANCINI S. C. et U. I. Not.

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

MOTU PROPRIO SSmi D. N. Leonis Papae XIII quoad partes explendas a s. Congr. Indulgentiarum.

Christianae reipublicae tam late fusa tamque operosa administratio omnino postulabat, ut Pontifici romano viri sapientes et graves perpetuo assiderent, quibuscum et consilia communicare et quotidianam negotiorum molem partiri opportune posset. Hinc ea sunt S. R. E. Cardinalium Consilia sapientissime constituta, quae *Romanae Congregationes* nuncupantur; quorum est quibusdam in caussis ius dicere, de iure respondere, aliaque complura decernere, transigere, quae transigi decernique eorum auctoritate lex et consuetudo iubet. Iis tamen, quod ratio, quod naturalis rerum ordo requirebat, non promiscua universis, sed sua singulis potestas data, suumque negotiorum ad expediendum unicuique assignatum genus. Quod sane nisi decessorum Nostrorum providentia cavisset, magna erat permixtio iuris et confusio futura, simulque spes utilitatum maximarum, quas nomini christiano Congregationes Romanae pepererunt quotidieque pariunt, vel ab initio intercidisset. Iamvero officii Nostri est tueri in eis constitutionem temperationemque nativam, efficiendo ut singularum potestas suis contineatur finibus, ac si quid forte minus consentaneum invexerit diuturnitas, emendare. His de rebus et caussis cum animum adiecissemus ad sacrum Consilium, cuius muneris est de Indulgentiis Sanctorumque Reliquiis cognoscere ac statuere, aliquod ei officium providentiae Nostrae impertiri vidimus oportere.

Illud videlicet Clemens IX decessor Noster instituit *Motu proprio* die VI Iulii an. MDCLXIX edito, diligenterque eius quae forent partes praescripsit his verbis: . . . . « cum facultate omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum reliquiis, aut Indulgentiis emergentem, quae ad fidei dogma non pertineat, Nobis tamen et romano Pontifice pro tempore existente circa graviora difficilioraque consultis, expediendi. Ac si qui abusus in eis irrepserint, illos, iudicii forma plane postposita, corrigendi et emendandi. Falsas quoque, apocryphas indiscretasque Indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi,

ac ubi Nobis, seu romano Pontifici pro tempore existenti retulerit. Nostra seu illius auctoritate reiiciendi... Reliquias de novo inventas recognoscendi quoque et examinandi... omniaque pie, sancte et incorrupte fieret curandi ». Verum ad haec posteriorum concessu Pontificum alia accessit facultas, nimirum ipsa sacrae indulgentiae munera dilargiendi, adiecta rescriptis clausula, *praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione.*

Sed cum huius generis rescriptorum frequentia crevisset praeter modum, iisdemque de rebus rescribere eodem tempore consuesset Curia a diplomatibus pontificiis, abnormis quaedam ac praepostera agendarum rerum consecuta ratio est. Huic incommodo occurrendum tempestive censuit Pius IX f. r. decessor Noster, datoque in id decreto (1) Congregationem Indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis praepositam extra fines Constitutionis Clementinae excurrere prohibuit, indulgentiarum tribuendarum adempta facultate. « Nos praesenti *Motu proprio,* et ex certa scientia ac matura deliberatione decernimus ut Congregatio eadem pergat quidem retinere quaestiones et disceptationes quae super Indulgentiis aut Reliquiis forte oboriantur, et peragere etiam atque expedire alia omnia quae suae dumtaxat institutionis munia respiciunt ad tramites *Motus proprii,* quem hac de re praelaudata Antecessor Noster Clemens IX dedit sub die VI Iulii MDCLXIX; abstineat tamen omnino ab emittendis actis illis, quae ad Indulgentiarum pertinent concessionem ». Verumtamen huius vis decreti sensim excidit, restituta scilicet ea ipsa, quae fuerat adempta, facultate: ita plane ut non minore quam antea numero rescripta edi soleant cum ea clausula, quam supra diximus. Qua re quoniam perturbationem ordinis debiti ac vetera incommoda plane renovari, multorum testimonio Nobis constiterat, delectis quibusdam S. R. E. Cardinalibus mandavimus, ut caussam mature perpenderent, et quo remedio opus esse videretur, aperte significarent. Igitur cognita eorum sententia, ut sua quique munia serventur integra, *Motu proprio* et certa scientia decernimus:

I. Ut Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae ea salva iura permaneant, quae Clemens auctor instituit: praetereaque eidem confirmamus, et, quatenus opus sit, de integro concedimus facultates omnes, quae in syllabo, his litteris adnexo, numerantur.

(1) *Motu proprio* **diei II Ianuarii an. MDGGGLV.**

II. Volumus et statuimus, ceteras concessiones iterationesque indulgentiarum, privilegia altarium, facultates benedicendi et alia eiusmodi ad Nostram Secretariam Brevium exclusive pertinere.

III. Simili ratione decernimus, ut quae facultates Congregationi, de qua agimus, collatae sunt, eae ita sint eius propriae, ut nulli praeterea vel Congregationi vel Secretariae possint esse communes.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXXI Octobris anno MDCCCLXXXXVII, Pontificatus Nostri Vigesimo.

SYLLABUS

Facultatum quas SSmus Dominus Noster Leo PP. XIII S. Congregationi Indulgentiis et SS. Reliquiis praepositae confirmat et, quatenus opus sit, de integro concedit iuxta N. i Sui Motus proprii *sub die XXXIOct. a, MDCCCLXXXVII incip.* Christianae reipublicae.

1. Facultatem interpretandi Rescripta de Indulgentiis sacrisque Reliquiis edita, etiam propria manu a Summo Pontifice signata.

2. Dirimendi quaestiones et dubia minoris momenti, quae ita facile dilui possunt, ut necesse non sit de eis in Eminentissimorum Patrum Congregatione disceptare.

3. Approbandi Summaria Indulgentiarum.

4. Sanandi defectus cuiuslibet generis qui irrepserint in erectiones Confraternitatum, piarum Unionum, etc. vel etiam in earum aggregationem ad Archiconfraternitates, Primarias, Primo-primarias, etc.

5. Sanandi defectus quoscumque, quibus affici contingat adscriptiones Christifidelium ad Tertios Ordines, ad Confraternitates, Congregationes, Pias Uniones, etc. Itemque defectus in benedicendis et imponendis scapularibus, in benedictionibus Rosariorum, coronarum, etc., in erectione Stationum Viae Crucis et Matris Dolorosae.

6. Dispensandi super defectu distantiae requisitae ad erectionem Confraternitatum, ita tamen ut rescripti executio remittatur prudenti iudicio Ordinarii. Dispensandi etiam super con-

ditione distantiae inter ecclesias, quae praefiniri solet in rescriptis concessionis quarumdam Indulgentiarum.

7. Transferendi Indulgentias favore Sanctimonialium, cum de uno ad aliud Monasterium, sive de una ad aliam domum migrant ob temporum adiuncta.

8. Concedendi, quatenus opus sit, ut Indulgentiae, quibus gaudebant ecclesiae Regularium, vigere pergant post ipsorum expulsionem seu violentam conventuum suppressionem. Quae facultas extendatur ad casus tum praeteritarum, tum futurarum conventuum suppressionum; extensive etiam ad ecclesias sive Sanctimonialium, sive cuiuslibet Congregationis et Instituti.

9. Concedendi ut regularium Ordinum, et etiam Congregationum sive Institutorum alumni utriusque sexus Indulgentiis et gratiis, quibus gaudebant in propriis respective ecclesiis, frui possint et valeant dum vitam communem agunt in alia domo, in qua legitime habent oratorium vel publicum vel privatum.

10. Transferendi a die vel diebus ad diem vel dies alios Indulgentias iam concessas; exceptis *Indulgentia Portiunculae* aliisque Indulgentiis plenariis concessis *toties quoties.*

11. Transferendi ad aliam ecclesiam vel ad aliud oratorium publicum Indulgentias concessas ecclesiae vel publico oratorio.

12. Concedendi Dioecesibus intra et extra Italiam privilegium, ut Indulgentias, pro quibus requiritur sacramentalis confessio, lucrari valeant Christifideles qui sacramentalem confessionem peragere solent intra duas hebdomadas. Quod tamen privilegium non concedatur nisi Ordinario Dioecesis expresse petenti et ob penuriam confessariorum tantum.

13. Commutandi conditiones, seu pias exercitationes ad Indulgentiarum acquisitionem praescriptas, in alia pia opera omnino vel fere aequivalentia: exceptis semper Indulgentiis plenariis *toties quoties,* et exceptis etiam conditionibus sacramentalis confessionis et sacrae Communionis quotiescumque requiruntur.

14. Renovandi seu prorogandi pro Sanctimonialibus, vere pauperibus tantum, Indulgentias iam ipsis concessas etiamsi forte distulerint renovationem vel prorogationem implorare.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DUBIUM quoad decretum quo praecipitur, omnes sacerdotes sese conformare debere Kalendario ecclesiae in qua missa celebratur. (I).

Quum iuxta Decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 9 Decembris 1895 omnes Sacerdotes, sive saeculares, sive regulares Missas in aliena Ecclesia vel alieno Oratorio publico celebrantes omnino se conformare debeant dictae Ecclesiae vel Oratorio, ab eadem Sacra Congregatione postulatum fuit: utrum Sacerdotes alienae Dioecesis obligentur etiam ad dicendam Orationem praescriptam ab Episcopo loci, ubi celebrant, an potius sint liberi ab hac oratione imperata?

Et Sacra ipsa Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, proposito dubio respondendum censuit: *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam. Atque ita rescripsit. Die 5 Martii 1898.

CAMILLUS CARD. MAZZELLA & *R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI S. *R. C. Secretarius.*

NEAPOLITANA. Beatificationis et Canonizationis Ven Servi Dei Ignatii lennaco Sacerdotis Saecularis in archidioecesi Neapolitana.

Mirabilis et misericors Deus opportune seligit ac mittit suos fideles servos, benedicens eis benedictionibus propriis in Christo haerede universorum, cuius meritis et gratia adiuti, in exemplum ac praesidium virtutis singulis hominum statibus ipsi praelucent. Temporibus etiam a nostra aetate haud dissitis florentissima, Italia ac praesertim regio Neapolitana plures vidit eiusmodi Dei famulos atque ex iis laeta adhuc commemorat servum Dei Ignatium lennaco sacerdotem saecularem. Hic die 30 Aprilis anno 1752 in civitate Turri Annuntiata, Archidioeceseos Neapoli-

(1) Decretum istud relatum fuit Vol. XXVIII, 438.

tanae ortus, die sequenti in Ecclesia parochiali Spiritus Sancti baptismo regeneratus fuit. Boni parentes Nicolaus et Caecilia Salvatore christianam pueruli educationem suscipientes, in eo suavem docilemque indolem invenerunt. In ipsa prima aetate vocationis ecclesiastica indicia portendebat, erigendo domi parva altaria ac quotidiana pietatis exercitia et ad annua festa religiosa peragenda. Erga Beatissimam Virginem suam devotionem pandebat, tum per mariale rosarium, tum per ieiunium in sabbato. Dictis parentum obediens, si quid pecuniae ab eis vel ab aliis in praemium recipiebat, praeter morem puerorum et adolescentium, illud in Dei cultum et in hominum levamen expendebat; atque animas defunctorum piacularibus flammis addictas, stipe sacerdotibus oblata, ut sacra litarent, sublevabat. Ignatius domi, ecclesiae ac scholae amantissimus cum esset parvulus non parvuli speciem, sed viri formam induisse videbatur. Inde accidit ut clericali statu ac veste dignus habitus sit, unanimi cleri et populi consensione. Ob progressus in studiis et in christiana cathechesi inter alumnos Seminarii Urbani Neapolitani meruit cooptari, locum tenens gratuitum. Ex actibus processualibus liquet Ignatium peculiarem finem a Sacrosancto Concilio Tridentino alumnis in spem Ecclesiae succrescentibus propositum, plane assequutum fuisse. Eius pietas, modestia, obedientia et litteras ac scientiam addiscendi ardor ab ipso Ephebei Rectore ceteris clericis indicabatur. Quamvis vero, ut citius ad sacros ordines promoveretur optimum haberet testimonium, ipse tamen praetulit servare tempora singulis sacris ordinibus praefinita, alienum se ostendens a dispensationibus impetrandis. Adhuc iuvenis et vix diaconus ad humaniores litteras edocendas in praedicto Seminario electus fuit, et deinceps linguae hebraicae magister renunciatus eam maxima cum laude usque ad vitae exitum tradidit. Ad sacerdotalem dignitatem evectus sacris quotidie et devote operabatur, praedicationi verbi Dei naviter incumbebat, et pari sedulitate ac discretione confessiones fidelium excipiebat, praecipue sequens S. Alphonsi de Ligorio doctrinam. Quod sacrum ministerium exercuit tum Neapoli praesertim in Seminario urbano, directoris spiritualis munere fungens et simul sanctuarii candidatos iuxta regulam Ss. Patrum ad sacri textus intelligentiam instituens, tum in civitate Turri Annuntiata penes ecclesiam Congregationis SSmi Rosarii et paroeciam Spiritus Sancti. In confratres marialis rosarii, quibus erat magister pie-

tatis, atque in suos concives fervidum suum amorem, quo Eucharistiae Sacramentum atque Deiparam Perdolentem amplectebatur, transfundebat. Inde ibidem instituta ab eo triduana expositio Ss. Eucharistiae in Maiori Hebdomada a dominica palmarum ad feriam III, et pium exercitium feriae VI in Parasceve ad Beatissimae Mariae Virginis inexplicabiles dolores recolendos; atque illa duo opuscula eius sapientiam ac pietatem redolentia, primum super modo et ratione audiendi Missam, alterum super Virgine Matre Desolata. Decorem domus Dei dilexit atque promovit, eleemosynis etiam a fidelibus ad hunc finem collectis; insuper ut sacrae functiones rite peragerentur, ipse cantum ecclesiasticum in quo erat peritus, saepe dirigebat. Hisce aliisque operibus in Dei gloriam et in proximorum utilitatem intentus, studio et laboribus fractus; sed animo fortis et patiens dum extremo insanabili morbo afflictabatur, et sacramentis ecclesiae roboratus, die quam praedixerat 22 Decembris anno 1828, mortem occubuit. Corpus Servi Dei in sacello Seminarii Neapolitani prius expositum ac deinceps ad civitatem natalem delatum, ultra tres dies mansit insepultum, concivibus aliquid ex veste vel ex capillis, devotionis causa, sibi diripientibus. Exequiis rite peractis, in sepultura congregationis SSmi Rosarii, tunc conditum fuit et post octodecim annos, auctoritate ecclesiastica approbante, translatum in sacrarium eiusdem congregationis, sub pavimento tumulatum est. Interim fama sanctitatis quam Dei Famulus vivens acquisierat, post obitum magis inclaruit; et super ea in ecclesiastica curia neapolitana rite adornatus fuit Processus Ordinarius in Almam Urbem iam delatus, in Actis Sacrae Rituum Congregationis exhibitus et legitime apertus. Hinc rogante Rmo Dno Cosimo Stornatolo huius Causae Postulatore, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, per decreta 8 Iulii 1891, 13 Martii 1894 et 29 Martii 1895, et sententiam probavit ipsius Sacri Consilii super revisione peracta scriptorum Servi Dei, et veniam indulsit proponendi, etiam ante lapsum decennii, absque interventu et voto Consultorum in Congregatione Ordinaria dubium de signanda commissione introductionis eiusdem Causae. Quare, instante praefato Postulatore, attentisque Litteris Postulatoriis aliquorum Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Antistitum, nec non Rmi Capituli Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae, una cum clero et populo civitatis Turris Annuntiatae praesertim e sodalibus SSmi

Rosarii, Emus et Rmus Dnus Card. Vincentius Vannutelli, ipsius Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Comitiis, subsignata die, ad Vaticanum coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit : « *An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur* ? » Et Sacra Rituum Congregatio, post relationem Emi Ponentis, audito etiam R. P. D. Ioanne Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, omnibusque rite expensis, rescribendum censuit : « *Affirmative,* seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo Domino placuerit. » Die 7 Decembris 1897.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Venerabilis Servi Dei Ignatii lennaco, die undecima iisdem mense et anno.

CAMILLUS CARD. MAZZELLA, S. *R.* C. *Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, S. *R. C. Secretarius.*

T0L0SANA. Confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti servo Dei Sabino episcopo et Martyri et quarumdam Paroeciarum Patrono.

Eo temporis spatio, quo Saraceni, Abderamano Duce, Aquitaniam vastabant, ab anno nempe 728 ad annum 732, quantum coniicere licet, Sabinus Episcopus pro Christo vitam oppetiit. De eius ortu ac vitae gestis vix extat memoria, plurima tamen monumenta collecta reperiuntur sive antiqua sive recentiora, constanti traditione firmata, quae Servi Dei episcopalem dignitatem, pontificiam missionem, gloriosum martyrium, sanctitatis famam ac praecipue publicum ecclesiasticum cultum eidem ab obitu ad haec usque tempora exhibitum ostendunt. Ex his constat Sabinum prorsus diversum ab aliis eiusdem nominis sive Laveticano, sive Pictaviensi, sive Spoletano ceterisque quorum elogia leguntur in Martyrologio Romano, italum Episcopum, apostolicis virtutibus ornatum a Romano Pontifice electum et missum fuisse in Hispaniam et Galliam ut Saracenis per ea

loca degentibus Christi fidem nuntiaret. Eiectus ab Auscis penes quos munus apostolicum multo animarum lucro 'persolvent, per Péquilhan, traiecto rivo, ad sylvam Scande-Caprae pervenit, ibique in ipso primo pro religione certamine ab ethnicis in odium fidei interfectus fuit. Memoriae proditum est, S. Sabini nomine statim dedicata fuisse ea loca: atque etiam pristinum martyrii loco proximum. Corpus vero Servi Dei ab eum comitantibus susceptum ac in sepulcro marmoreo humi infosso clam repositum tandiu delituit quandiu, saracenis ab illa regione expulsis, mirifice detectum fuit. Namque taurus fugitivus, tintinnabulis eius collo appensis sonantibus, repertus est mugiens et cruribus complicatis terram lambens ubi idem corpus quiescebat. Eo in loco statim extructum fuit in honorem Servi Dei sacellum exiguum cui deinceps alterum maius substitutum est cum aedificio pro sacerdotibus in sacrum ipsius sacelli ministerium commorantibus. Documenta longe anteriora aevo Urbaniano S. Sabini nomen territorio sacello sive ecclesiae, et confraternitati inditum commemorant, atque etiam referunt ipsius Festum die 10 Iunii quotannis recolendum, statutis ea ipsa die tum nundinis ad maiorem celebritatem et populi frequentiam, tum oblationibus fidelium ad cultum S. Sabino sacerdotum ministerio servandum. Recentiora vero documenta docent indulgentias a sa. me. Paulo V concessas confratribus aliisque visitantibus sacellum eiusdem Sancti et solemnem supplicationem, ex voto pro gratiarum actione, singulis annis peragendam in civitate Cazères in honorem ipsius Servi Dei cui omnium ordinum cives a contagiosa lue liberationem, sicut S. Rocho et S. Francisco Assisiensi, tribuebant. Praedictum sacellum seu ecclesiam S. Sabini nomine ac reliquiis decoratam nefarii homines in commotione gallica anno 1792 polluerunt ac destruxerunt, hisce tamen sacris pignoribus pepercerunt quae sub ruderibus tecta iacuerunt donec anno 1796 effossa, inventa sunt in parva capsa, e quercu, sera obserata sigillisque obsignata cum recognitione rite facta anno 1780 a Patre Raymundo. Eadem statim cuidam christianae familiae custodienda tradita sunt et septem post annos, rogantibus incolis Scande-Caprae, iussu et auctoritate Archiepiscopi Tolosani, die 15 Augusti in Festo Assumptionis B. M. Virginis, e domo privata in ecclesiam parochialem translata fuere. Ibi prope altare maius collocata et fidelium veneratiomfproposita per quinquaginta annos perman-

serunt. Nam vertente anno 1853, aedes S. Sabino sacra fidelium pietate ac sumptibus rursus erecta et rite benedicta venerandas exuvias festiva solemnitate recepit, adstante clero et populo; et mane, sacro peracto et communione pluribus centenis fidelium 'distributa; post meridiem celebratis vesperis et sermone habito in laudem Servi Dei. Supradictus cultus immemorialis Sabino Episcopo et Martyri praestitus atque e dioecesi Convenarum, anno 1801 suppressa, ad alias quoque dioeceses, annuentibus Episcopis, propagatus, nondum ab Apostolica Sede per decretum Sacrae Rituum Congregationis recognitus ac probatus fuerat. Hoc tamen erat in votis omnium S. Sabini cultorum, quibus libenter obsecundans Cardinalis Florianus Desprez Archiepiscopus Tolosanus, per iudicem delegatum, inquisitione ordinaria absoluta, super praedicto cultu immemoriali sententiam protulit affirmativam. Causa vero ad Sacram Rituum Congregationem delata, instante Rmo P. Vincentio Ligiez Ordinis Praedicatorum, ipsius causae Postulatore, nomine etiam hodierni Rmi Dñi Archiepiscopi Tolosani, attentisque Litteris Postulatoriis Emi Card. Archiepiscopi Burdigalensis et plurium sacrorum Antistitum, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Caietanus Aloisi Masella, eiusdem Causae Relator, in ordinario Sacrorum Rituum Congregationis conventu, subsignata die, ad Vaticanum habito, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sententia iudicis delegati ab Emo et Rmo Dno Card. Archiepiscopo Tolosa.no super cultu praefato Servo Dei ab immemorabili tempore praestito, seu super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur ?* » Porro Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito etiam R. P. D. ioanne Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuerunt: *Affirmative seu sententiam esse confirmandam.* Die 7 Decembris 1897.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit, die undecima iisdem mense et anno.

CAMILLUS CARD. MAZZELLA *S. R. C. Praefectus-*

L. * S.

DIOMEDES PANICI *S. R. C. Secretarius.*

SAGONEN. seu ADIACEN. Beatificationis et Canonizationis ven. servi Dei fr. Bernardini a Calenzana sacerdotis professi ordinis minorum s. Francisci.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Caritate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine ac Temperantia earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur?

Virtus, quo ab oculis hominum et conspectu remotior, eo luce puriore nitentior.

Anno MDXCI, vi idus apriles Calenzanae in Gyrnaea insula ortus est Bernardinus: parentes divites magis, an pii iure ambigis. Integritas morum illi a teneris socia. Haec mentem eius animumque sanctissimis tempera vit legibus, eumque ad tumulum usque est prosequuta.

Obsequio parentes et magistros sibi adiunxit, nihilque quod ab eorum optatis aut nutu transversum unguem abesset, molitus est. Animi demissione inter aequales praestitit: modestia et obedientia omnibus in exemplum.

Pietatis studio ita efferebatur, ut nihil supra. Sacra de altari libabat frequens. Christum in sacramento augusto delitescentem quotidie intervisebat, oculos in eum cupide intendebat, adloquebatur adstantem.

Nihil illi in amore nisi caelestia, nihil mente libentius agitare nisi solitudinem. Utque nulla notatam labe caelo tutius inferret virginitatem, inter sodales franciscales, qui *Reformati* dicebantur, frustra reluctante patre, immigravi! Annum agebat **XV.** Brevi, ea in Bernardini virtutibus facta est accessio ut omnium iudicio ad metam pervenisse visus sit. Assidua illi cum Deo consuetudo, perpetuum orandi studium, summa humilitas, poenitentia singularis. Recolendis vero Christi cruciatibus ita addictus ut lacrimis temperare non posset, extases raptusque experiretur. Contubernales et socios uti fratres amore prosequutus est. Omnibus gratifican, omnes obsequio et comitate demereri, nullum singulis iuvandi locum dimittere, omnibus praesto esse.

Alumnos qui virtutis stadium ineunt, primisque sanctioris vitae imbuuntur praeceptis instituit praeses et magister; illis

exemplo praeivit, illos singulas in horas ope et consilio adfuit. Ut illorum mores ad Francisci Patris disciplinam fingeret nullam officii sui partem passus est desiderari.

Bernardini caritas intra coenobii fines non se continuit. In communem enim utilitatem magnopere fuit intentus, neve uno dumtaxat munere implicitus teneretur, nihil potius duxit quam ut necessitates cum corporis tum animi sublevaret. Incredibile est quot, eo auctore, odia posita, iurgiorum semina extincta, dissidiorum causae abscissae.

In medio tamen laborum cursu nunquam a se oculos dimovit; quare si quid otii ab animorum cultura vacaret, naviter ad caelestia conferebat, heic pietatis studio incalescebat: heic animum reficiebat; heic recens et integer ad conserendam educendamque evangelii messem sese referebat. Paucis, adeo Bernardini secunda fama percrebuit, ut sancti nomen illi fuerit factum.

Extremo conflictatus morbo, cum exitum sibi imminere persentiret, tantam cepit animo voluptatem, ut beatas caeli delicias praegustare visus sit. Eius funus non modo oppidani, sed et frequentes e viciniis turmae moerore et virtutum eius praedicatione prosequuti sunt: utque communi omnium pietati fieret satis illius cadaver triduo inhumatum fuit asservandum. Vitam sanctissime actam cum immortalitate commutavit anno MDCLIII, praeclarisque quae reliquit virtutum speciminibus defunctus licet, adhuc loquitur.

Mirum igitur non est si cum morte haud perierit Venerabilis Bernardini memoria. Quin imo ob eius sanctitatis famam longe lateque diffusam, de eiusdem Beatificatione et Canonizatione in Sacrorum Rituum Congregatione causa coeperit agitari. Praemissis autem quae in huiusmodi causis Decreta et Pontificum Maximorum Constitutiones servari iubent, deventum est ad discutiendas Venerabilis Servi Dei virtutes in Congregatione Antepraeparatoria habita decimonono calendas septembres anno MDCCCLXXXIII in aedibus Cardinalis Thomae Mariae Martinelli tunc causae relatoris. Huic Congregationi altera successit quae Praeparatoria dicitur, quaeque ad Apostolicum Palatium Vaticanum advocata fuit nono calendas augusti anno MDCCCXCIV. Tandem in generali conventu ibidem penes Sanctissimum Dominum Nostrum LEONEM PAPAM XIII indicto, anno superiore' decimosexto calendas décembres Rmus Cardinalis Isidoras Ver-

ga Episcopus Albanensis, Causae Relator dubium ad discutiendum proposuit: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate erga Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven. Servi Dei Bernardini a Calenzana, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?* Emi Cardinales, ceterique Patres Consultores suffragia singuli tulerunt, Beatissimus vero Pontifex decretoriam sententiam suam aperire distulit, divini luminis praesidium a Patre luminum impensius deprecaturus.

Hodierna autem die Dominica quarta post Epiphaniam sacro devotissime peracto, Rmos Cardinales acciri iussit Camillum Mazzella Episcopum Praenestinum S. R. C. Praefectum, et Isidorum Verga Episcopum Albanensem Causae Relatorem, nec non R. P. Io. Baptistam Lugari Fidei Promotorem, meque infrascriptum Secretarium iisque adstantibus solemniter pronunciavit: *Constare de virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate erga Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia , Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven. Serv. Dei Bernardini a Calenzana in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc decretum in vulgus edi, et in acta S. R. C. referri mandavit tertio calendas februarii anno MDCCCXCVIII.

CAMILLUS CARD. MAZZELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. % S.

DIOMEDES PANICI *S. R. C. Secretarius.*

BONONIEN. Beatificationis et Canonizationis ven. servi Dei Bartholomaei Mariae Dalmonte sacerdotis et institutoris Piae Operae Missionum.

Ad instantiam Rmi Diu Petri Crostarosa Antistitis Urbani et Causae Ven. Servi Bartholomaei M. Dalmonte Postulatoris, Emus et Rmus Dnus Card. Lucidus M. Parocchi, Episcopus Portuensis et S. Rufinae, eiusdem Causae Relator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu Rotali, subsignata die ad Vaticanum coadunato iuxta peculiares SSmi Dñi Nostri Leonis Papae XIII dispositiones annis 1878 et 1895 editas, sequens Dubium discutiendum proposuit : « *An constet de validitate et relevantia Processus Apostolica Auctoritate Bononiae constructi super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere praedicti Venerabilis Send Dei in casu et ad effectum, de quo agitur ?*

Et Sacra eadem Congregatio, omnibus accurato examine perpensis, auditoque R. P. D. Ioanne Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: *Affirmative seu constare.* Die 22 Martii 1898.

Facta postmodum de his SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII per subscriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 28 iisdem mense et anno.

C. CARD. MAZZELLA *Ep. Praenestinus,*
L. >$i S. S. *jR. C. Praefectus.*

DIOMEDES PANICI *Secr.*

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

DUBIUM quod executionem rescripti.

Beatissime Pater,

Sub die 30 Martii 1897, Ioannes B.... et Rosalia I____N... dioecesis, a Dataria Apostolica rescriptum dispensationis reportaverunt *supra secundo in linea aequali ex uno, ac duplici quarto ex tertio* stipitibus provenien. consanguinitatis gradibus.

Ita ferebat rescriptum, dum revera dispensatio postulata fuerat super *secundo ex uno, quarto ex altero ac demum item quarto ex tertio* stipitibus provenien. consanguinitatis gradibus.

Iamvero cum tempus urgeret et error rescripti circa quid accidentale versaretur, Ordinarius N.... rescriptum executus est, sponsique in facie Ecclesiae rite copulati sunt. Hinc quaerit:

I°. Utrum rescriptum valide et licite executus fuerit?

Die 1 Februarii 1895, cum quidam Ordinarius in libello supplici se originis Ordinarium affirmaverit, dum revera Ordinarius domicilii esset, S. Poenitentiaria sciscitanti respondit dispensationem valide et licite fuisse datam, verum errorem corrigendum esse. Hinc:

2°. Utrum ipse Ordinarius N.... debeat et in casu actuali errorem rescripti corrigere?

Et Deus....

Sacra Poenitentiaria Ordinario N.... super praemissis respondet: *Facta correctione acquiescat.*

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria, die 2 Iunii 1897.

B. POMPILI, *S. P. Corrector.*

V. Can. LUCCHETTI, *S. P. Secret.*

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De Consistorio habito die 24 Martii 1898.

SSmus Pater hac mane publicum habuit consistorium in Palatio Vaticano ut pileum rubrum traderet Emis Cardinalibus Martino de Herrera y de la Iglesia, Coullié, Labouré et Sourrieu creatis et publicatis die 19 Aprilis 1897. Quo peracto sequentes proposuit Ecclesias:

Archiepiscopalem Ecclesiam Rossanien. **vacan, per promotionem R. P. D. Donati Mariae Dell' Olio ad Ecclesiam Metropolitanam Beneventanam, favore R. P. D. Horatii Mazzella, Episcopi titularis Cymaei.**

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Nicopolitanam, **vacan, per obitum bo. me. Alexandri Grossi, ultimi illius Archiepiscopi apud romanam curiam defuncti, favore R. P. D Henrici Grazioli, iam Episcopi Guastallensis.**

Cathedralem Ecclesiam Abulen. **vacan, per obitum bo. me. Iosephi Mariae Blanc et Baron, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioachimi Beltran et Asensio, Presbyteri dioeceseos Carthaginen. ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis.**

Metropolitanam Ecclesiam Baren, **vacan, per obitum bo. me. Hernesti Mazzella, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iulii Vaccaro, Archiepiscopi titularis Ancyrani.**

Metropolitanam Ecclesiam Goritien, seu Gradiscan. **vacan, per obitum bo. me. Aloisii Zorn, ultimi illius Archipraesulis, extra Romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iacobi Missia Episcopi Labacen.**

Cathedralem Ecclesiam Herbipolen. **vacan, per promotionem R. P. D. Francisci Iosephi de Stein ad Metropolitanam Sedem Monacensem et Frisingensem, favore R. P. D. Ferdinandi Schloer, Presbyteri dioeceseos Herbipolensis.**

Cathedralem Ecclesiam Segobien. **vacan, per translationem R. P. D. Iosephi Pozuelo et Herrera ad Sedem Cathedralem Cordubensem, favore R. P. D. Iosephi Raymundi Quesada et Gascon, Episcopi titularis Domitiopolitani.**

Titularem Ecclesiam Episcopalem Ionopolitan. **sub Archiepiscopo Gangrensi, vacan, per obitum bo. me. Iacobi Daddi, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Andreae Cassato, Presbyteri Hydruntinae archidioeceseos: qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Caietani Caporali, Archipraesulis Hydruntini.**

Cathedralem Ecclesiam Caiacen. seu Calatin. **vacan, per translationem ad Ecclesiam titularem Episcopalem Zenopolitan. R. P. D. Raphaelis Danise, favore R. D. Felicis De Siena, presbyteri dioeceseos Casertanae.**

Metropolitanam Ecclesiam Toletanam, **cui adnexus est Titulus Patriarchae Indiarum Occidentalium, vacan, per obitum clar. me. Antolini dum viveret S. R. E. Presbyteri Cardinalis Monescillo et Viso, ultimi Archiepiscopi ei Patriarchae extra romanam curiam defuncti, ad quam Sanctitas Sua transtulit Emum ac Rmum Dominum Cyriacum Mariam Titulo S. Petri in Monte Auro eiusdem S. R. E. Presby-**

terum Cardinalem Sancha et Hervas Archiepiscopum Valentinum, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis.

Metropolitanas Ecclesias Tranen, ac Barolen. **aeque principaliter unitas, una cum Titulo Archiepiscopali Nazareno, et Episcopali Ecclesia Vigiliensi ab Archiepiscopo pro tempore Tranensi perpetuo administranda, vacan, per promotionem ad Patriarchalem Ecclesiam Alexandrin, latini ritus R. P. D. Dominici Marinangeli, favore R. P. D. Thomae De Stefano, Episcopi Ruben, ac Bituntin.**

Metropolitanam Ecclesiam Friburgen, **in Magno Ducatu Badensi vacan, per obitum bo. me. Ioannis Christiani Roos, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Georgii Ignatii Komp, Antistitis Fuldensis.**

Titularem Ecclesiam Episcopalem Samosatenam **vacan, per translationem R. P. D. Caroli Gustavi Walranens ad Sedem Cathedralem Tornacensem, favore R. P,. D. Geraldi Soubrier Episcopi Oranensis..**

Tiiularem Ecclesiam Episcopalem Traianopolitan. **certo modo vacan., favore R. P. D. Henrici Iosephi Reed da Silva, iam Episcopi S. Thomae de Meliapor.**

Cathedralem Ecclesiam S. Petri **seu** *Martinicen.* **vacan, per dimissionem a R. P. D. Iuliano Francisco Petro Carmené, libere ac sponte in manibus Sanctitatis Suae peractam et ab Eadem admissam, atque successivam assignationem tituli Archiepiscopalis Hierapolitani eius favore factam, favore R. D. Iosephi Stephani Friderici Tanoux, e Congregatione S. Vincentii a Paulo, Presbyteri dioecesis Massiliensis.**

Patriarchalem Ecclesiam Antiochen. **Nationis Graeco-Melchitarum, vacan, per obitum bo. me, Gregorii Jussef, ultimi illius Patriarchae, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Petri Geraigiry, Episcopi Caesarien. Panaen.**

Titularem Ecclesiam Episcopalem Proconnesien. **sub Archiepiscopo Cyziceno vacan, per obitum bo. me. Petri Mariae Geniel, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Carli, Presbyteri dioecesis Vinlimiliensis.**

Cathedralem Ecclesiam Eporedien. **seu** *Ipporegien.* **vacan, per promotionem ad Sedem Metropolitanam Taurinensem R. P. D. Augustini Richelmy, favore R. D. Matthaei Filipello, Presbyteri archidioeceseos Taurinensis.**

Cathedrales Ecclesias Recineten, et Lauretan. **invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Thomae Gallucci, ultimi illarum Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Guilelmi Giustini, Presbyteri Senogalliensis.**

Cathedrales Ecclesiam Sarsinaten, **vacan, per obitum bo. me. Henrici Graziani, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Dominici Riccardi Presbyteri dioeceseos Feretranae.**

Cathedralem Ecclesiam Seguntin. **vacan, per obitum bo. me. Iosephi Mariae Caparros et Lopez, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Fr. Thuribii Minquella et Arneco a Virgine de Mercede, Episcopi Portoricensis.**

Cathedrales Ecclesias Ruben, ac Bituntin. **invicem perpetuo canonice unitas vacan, per promotionem R. P. D. Thomae De Stephano ad Metropolitanas unitas Ecclesias Tranensem ac Barolensem, favore R. D. Paschalis Berardi, Presbyteri dioeceseos Triventinae.**

Metropolitanam Ecclesiam Messanen., **cui ex Litteris Apostolicis sub Annulo Piscatoris datis die 31 Augusti 1883 adnexus est Archimandritatus SS. Salvatoris, vacan, per obitum clar. me. Iosephi dum viveret S. R. E. Card. Guarino, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Lilterii d'Arrigo, presbyteri Messanensis.**

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Hierapolitan. **vacan, per obitum bo. me.**

Caroli Aslanian, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iuliani Francisci Petri Carmené, Episcopi S. Petri seu Martinicen.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Arsinoënsem **vacan, per translationem R. P. D. Ioannis Boneo ad Sedem Cathedralem Sanctae Fidei, favore R. P. D. Caroli Iosephi Ludovici Abel Hilbert, Episcopi Cenomanensis.**

Cathedralem Ecclesiam Corduben, **vacan, per promotionem R. P. D. Sebastiani Herrero et Espinosa de los Monteros ad Sedem Metropolitanam Valentinam, favore R. P. D. Iosephi Pozuelo et Herrero, Episcopi Segobiensis.**

Cathedralem Ecclesiam Bovinen, **vacan, per translationem R. P. D. Michaelis De Iorio ad Cathedralem Sedem Stabian. seu Castri Maris, favore R. P. D. Iosephi Padula, Presbyteri Dioeceseos Tursiensis.**

Metropolitanam Ecclesiam, Valentin., **vacan, per translationem Eifii ac Rmi D. Cyriaci Mariae S. R. E. Titulo S. Petri in monte aureo Presb. Card. Sancha et Hervas ad Sedem Metropolitanam Toletanam et Patriarchatum Indiarum Occidentalium, favore R. P. D. Sebastiani Herrero et Espinosa de los Monteros, Episcopi Cordubensis.**

Cathedralem Ecclesiam Liburnen. **vacan, per promotionem R. P. D. Leopoldi Franchi ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Antiochenam Pisidiae, favore R. P. D. Iulii Matteoli, Episcopi Pisciensis.**

Cathedralem Ecclesiam Piscien. **vacan, per translationem R. P. D. Iulii Matteoli ad Sedem Cathedralem Liburnensem, favore R. P. D. Donati Velluti-Zali e Ducibus S. Clementis, Episcopi Oropensis.**

Metropolitanam Ecclesiam Neapolitan. **vacan, per obitum bo. me. Vincentii Mariae Sarnelli, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, quam eadem Sanctitas Sua gubernandam tradere intendit Emo ac Riño Domino Iosepho tituli S. Xysti Presbytero Cardinali Prisco.**

Titularem Ecclesiam Episcopalem Zenopolitan. **sub Archiepiscopo Seleuciensi, vacan, per tanslationem R. P. D. Francisci Albini Symon ad Sedem Cathedralem Plocensem, favore R D. Engelberti Vorsak, Presbyteri dioeceseos Sirmien. et Bosnien.**

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem donam, **certo modo vacan., favore R. P. D. Henrici Carfagnini, Episcopi Galli politam.**

Cathedralem Ecclesiam Aliphan. **vacan, per translationem R. P. D. Antonii Scotti ad titularem Ecclesiam Episcopalem Tiberiopolitanam, favore R. P. D. Septima Caracciolo e Marchionibus Petraevallis et Principibus Torchiaroli et Ripae, Presbyteri Neapolitani.**

Titularem Ecclesiam Episcopalem Tiberiopolitanam, **vacan, per translationem R. P. D. Mariani Antonii Espinosa ad Sedem Cathedralem Platensem, favore R. P. D. Antonii Scolti, Episcopi Aliphan.**

Cathedralem Ecclesiam Labacen. **vacan, per promotionem R. P. D. Iacobi Missia ad Metropolitanam Sedem Goritiensem seu Gradiscanam, favore R. P. D. Antonii Ieglié, Episcopi titularis Siuniensis.**

Cathedralem Ecclesiam Salten, **in Republica Argentina Americae Meridionalis, vacan, per translationem R. P. D. Pauli Padilla ad Sedem Cathedralem Tucumaniensem, favore R. D. Mathiae Linares, presbyteri dioeceseos Salten.**

Cathedralem Ecclesiam Paranen. **in Republica Argentina Americae Meridionalis, vacan, per obitum bo. me. Iosephi Gelabert, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Rodesindi de La Lastra, Episcopi titularis Miletopolitam**

Cathedralem Ecclesiam de Garthagena **in Republica Columbiana Americae Meridionalis, vacan, per obitum bo. m. Eugenii Biffi, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Petri Brioschi, Presbyteri archidioeceseos Mediolanensis.**

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Caesareae Ponti, **vacan, per successionem R. P. D. Antonii Mariae Buglione ad Metropolitanam Sedem Compsanam, favore R. P. D. Iustini Adami, Presbyteri dioeceseos Vasten.**

Ecclesiam de la Piata **in Republica Argentina Americae Meridionalis, per Decretum Consistoriale «** *Cum muneris sit Apostolicae Sedis* **» editum die 15 februarii 1897 (super quo Apostolica Bulla expedita fuit) ad Cathedralis honorem evectam et a primaeva sua erectione vacantem, favore R. P. D. Mariani Antonii Espinosa, Episcopi titularis Tiberiopolitan.**

Metropolitanam Ecclesiam de Piata **in Boliviana ditione Americae meridionalis vacan, per obitum bo. me. Petri Iosephi Caietani de la Llosa, ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Michaelis a Sanctis Taborga, Presbyteri Platensis.**

Cathedralem Ecclesiam Stabian. **seu** *Castri Maris,* **vacan, per promotionem R. P. D. Vincentii Mariae Sarnelli e Dynastis Iuranorum ad Metropolitanam Sedem Neapolitanam, favore R. P. D. Mchaelis De Iorio, Episcopi Bovinensis.**

Cathedralem Ecclesiam Anglonensem-Tursiensem **vacan, per translationem R. P. D. Seraphini Angelini ad Cathedralem Ecclesiam Abelliuen., favore R. D. Calmeli Pujia, Presbyteri dioecesis Miletensis.**

Cathedralem Ecclesiam Signin. **vacan, per obitum bo. me. Costantini Costa, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Pancratii Giorgi, Presbyteri Anagninae dioeceseos.**

Cathedralem Ecclesiam Interamnen. **vacan, per promotionem R. P. D. Antonii Belli ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Chalcedonense!», favore R. D. Francisci Bacchini, Presbyteri dioeceseos Ariminensis.**

Episcopalem titularem Ecclesiam Amathen. **sub Archiepiscopo Apamen. vacan, per obitum bo. me. Gherardi Araldi, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Bartholomaei Mirra, Presbyteri Abbatiae S. Pauli extra moenia.**

Ecclesiam Patriarchalem Alexandrin, **latini ritus vacan, per obitum bo. me. Pauli Ballerini ultimi illius Patriarchae extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Dominici Marinangeli, Archiepiscopi Tranensis, Nazareni ac Barolensis.**

Metropolitanam Ecclesiam Beneventan. **vacan, per obitum clar. me. Camilli S. R. E. dum viveret Presb. Card. Siciliano di Rende ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Donati Mariae Dell'Olio, Archiepiscopi Rossanensis.**

Cathedrales Ecclesias Savonen. et Naulen. **invicem perpetuo canonice unitas vacan, per obitum bo. me. Iosephi Boraggini, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iosephi Scatti, Presbyteri archidioeceseos Mediolanensis.**

Cathedralem Ecclesiam Quinquecclesien. **vacan, per obitum bo. me. Ferdinandi Dulanszky, ultimi illius Episcopi, extra romanam Curiam defuncti, favore R. D. Samuelis Hetyey, presbyteri dioeceseos Sabariensis.**

Metropolitanam Ecclesiam Monacen, et Frisingen. **vacan, per obitum bo. me. Antonii Thoma ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Francisci Iosephi de Stein, Episcopi Herbipölen.**

Cathedralem Ecclesiam S. Thomae de Meliapor. **in Indiis Orientalibus vacan, per renuntiationem R. P.. D. Henrici Iosephi Reed da Silva, favore R. P. D. Antonii Iosephi de Souza Barroso, Episcopi titularis Himeniensis ac Praelaturae Mozambicensis Praesulis.**

Titularem Ecclesiam Episcopalem Castorien. **sub Archiepiscopo Achridan. vacat, per obitum bo. me. Francisci Gasparic, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Gasparis Feliciani Cyrtowt, Presbyteri dioeceseos Samogitiensis.**

Cathedrales Ecclesias Luceorien. ac Zytomirien. **invicem perpetuo canonice unitas vacan, per promotionem R P D. Simonis Martini Kozlowski ad Metropolitanam Ecclesiam Mohiloviensem, favore R. P. D. Cyrilli Lubowidzki, Episcopi titularis Dulmensis et Suffraganei Luceoriensis ac Zytomiriensis.**

Titularem Ecclesiam Episcopalem Samien. **sub Archiepiscopo Thodien. vacan, per translationem ad titularem Ecclesiam Famagostan. R. P. D. Angeli Mariae Meraviglia Mantegazza, favore R. D. Caroli Antonii Niedziadkowski, Presbyteri dioeceseos Camenecensis.**

Cathedralem Ecclesiam Vilnen. **vacan, per obitum bo. me. Antonii Andziewicz, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Stephani Alexandri Zwierowicz, Presbyteri dioeceseos Podlachiensis.**

Cathedralem Ecclesiam Leonen, **in ditione Mexicana Americae Septentrionalis vacan, per obitum bo. m. Thomae Baron et Morales, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iacobi Garza Zambrano, Antistitis Saltillensis.**

Titularem Eccl. Archiepiscopalem Seleucien. **in Syria, vacan, per obitum bo. me. Tancredi Fausti, ultimi illius Archiepiscopi apud romanam curiam defuncti, favore R. P. Fr. Thomae Mariae Granello, Presbyteri Bononiensis, ex Ordine Praedicatorum.**

Titularem Ecclesiam Episcopalem Eleutheropolitan. **sub Archiepiscopo Caesariensi vacan, per obitum bo. me. Theodori Hermanni Rutjés, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Boleslai Hieronymi Klopotowski, Presbyteri dioeceseos Camenecensis.**

Cathedralem Ecclesiam de Seyna vel Augustovien. **vacan, per obitum bo. me. Petri Wierzbnwski, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Antonii Baranowski, Episcopi titularis Thespiensis et Suffraganei Samogitiensis.**

Cathedralem Ecclesiam. Tabasquen. **Mexicana in ditione Americae Septentrionalis vacan, per translationem ad Sedem Angelopolitanam R. P. D. Iosephi Perfecti Amezquita, favore R. D. Francisci Campos, Presbyteri dioeceseos de Tulancingo.**

Cathedralem Ecclesiam Tornacen. **vacan, per obitum bo. me. Isidori Iosephi du Rousseaux, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Caroli Gustavi Walravens, Episcopi titularis Samosateni.**

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Philippen, **vacan, per successionem R. P. D. Bernardi Arguinzonis ad Ecclesiam Metropolitanam Veropolilanam, favore R. P. D. Antonii Vico, Presbyteri dioeceseos Anconilanae.**

Ecclesiam Zuliensem **in Republica de Benezuela Americae Meridionalis, per Decretum S. Congregationis Consistorialis datum die 25 Iulii 1897 ad Cathedralis honorem evectam et a primaeva sua erectione vacantem, favore R. D. Francisci Marvez, presbyteri archidioeceseos S. Iacobi de Benezuela seu Caracensis.**

Cathedralem Ecclesiam Cochabamben. **in Boliviana ditione Americae Meridionalis, vacan, per obitum bo. me. Francisci Mariae Granado, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Hyacinthi Anaya, Presbyteri Cochabambensis.**

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Caesarien. **in Palaestina, vacan, per assignationem Tituli SS.. Nerei et Achillei, factam Emo Dno Antonio S. R. E. Presb. Card. Agliardi, favore R. P.. D. Petri Gasparri, Presbyteri dioeceseos Nursinae.**

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Antiochen. **Pisidiae vacan, per obitum bo. me. Henrici de Rossi, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Leopoldi Franchi, Episcopi Liburnensis.**

Metropolitanam Ecclesiam Taurinen, **vacan, per obitum bo. me. Davidis Riccardi, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Augustini Richelmy, Episcopi Eporediensis.**

Cathedralem Ecclesiam Goccinen. **in Indiis Orientalibus vacan, per obitum bo. me. Ioannis Gomes Ferreira, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Matthaei de Oliveira Xavier, Presbyteri Portalegrensis dioeceseos.**

Archiepiscopalem Ecclesiam titularem Turen, **vacan, per assignationem tituli SS. Marcellini et Petri factam Emo ac Rmo Dno Dominico S. R. E. Presb. Card. Iacobini, favore R, P.. D. Victoris Ioannis Iosephi Mariae Van den Branden de Reeth, Episcopi titularis Erythrarum.**

Archiepiscopalem Ecclesiam titularem Chalcedonen. **vacan, per obitum bo. me. Vincentii Leonis Sallua, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Antonii Belli, Episcopi Interamnen.**

Titularem Ecclesiam Episcopalem Epiphanien. **sub Archiepiscopo Anazarbeno, vacan, per successionem R. P. D. Francisci Bourne ad Sedem Cathedralem Southwarcensem, favore R. D. Sebastiani Iosephi Pereira, Presbyteri dioeceseos Portalegrensis.**

Metropolitanam Ecclesiam S. Sebastiani Fluminis Ianuarii **in Brasilia vacan, per obitum bo. me. Ioannis Ferdinandi Iacobi Esberard, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ioachimi Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti, Episcopi S. Pauli in Brasilia.**

Episcopalem Ecclesiam titularem Dionysiaden. **sub Archiepiscopo Boslren. vacan, per obitum bo. me. Ludovici Felicis Zdanowicz, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ioannis Volpi, Presbyteri Lucani.**

Titularem Ecclesiam Episcopalem Himerien. **sub Archiepiscopo Edesseno, vacan, per translationem R. P. D. Antonii Iosephi de Souza Barroso ad Sedem Cathedralem S. Thomae de Meliapor. favore R. D. Ioannis Gigante, Presbyteri Neapolitani.**

Ecclesiam Sanctae ***Fida*** **in Republica Argentina Americae Meridionalis, per Decretum Consistoriale diei 13 februarii 1897, ad Cathedralis honorem evectam et a primaeva sua erectione vacantem, favore R. P. D. Ioannis Boneo, Episcopi titularis Arsinoitis.**

Post haec, SSmus significavit per Suas Litteras in forma Brevis sequentes etiam iam renunciatos fuisse Antistites:

Patriarcham Alexandrinum latini ritus, **Dominicum Marinangeli.**

Archiepiscopos :

Chalcedonensem, **.antonium Belli.**
Taurinensem, **Augustinum Richelmy.**
Beneventanum, **Donatum Dell' Olio.**
Tyrensem, **Victorem Van de Branden..**
Philippensem, **Antonium Vico.**
Caesariensem in Palaestina, **Petrum Gasparri.**
Caesariensem in Cappadocia, **Iustinum Adami.**
Seleuciensem in Syria, **Thomam Granello.,**
Antiochenum in Pisidia, **Leopoldum Francfei.**
Pariggensem, **Emmanuelem Van den Bosch,**
S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, **Ioachimum Arcoverde.**
Monacensem et Frisingensem, **Franciscum de Stein.**
Armidensem Chaldaeorum, **Salomonem Sabbagh.**
Platensem, **Michaelem Taborga.**
Marianopolitanum, **Paulum Bruchesi.**
Novae Aureliae, **Placidum Chapelle**
Corcyrensem, **Antonium Delenda.**

Episcopos :

Stabiarum, **Michaelem De Iorio.**
Anglonensem-Tursiensem, **Carmelum Puiia.**
Diompiadensem, **Ioannem Volpi.**
Savonensem ac Naniensem, **Iosephum Scatti.**
Himeriensem, **Ioannem Gigante.**
Signinum, **Pancratium Giorgi.**
Interamnensem, **Franciscum Bacchini.**
Amathensem, **Bartholomaeum Mirra.**
Tornacensem, **Carolum Wabravens.**
S. Thomae de Meliapor, **Antonium de Souza.**
Luceoriensem et Zytomiriensem, **Cyrillum Lubowidzki.**
Angustoriensem, **Antonium Baranowski.**
Paranensem, **Rodesindum de La Lastra.**
Tucumanensem, **Paulum Padilla.**
Platensem, **Marianum Espinosa.**
Leonensem, **Iacobum Garza.**
Tabasquensem, **Franciscum Campos.**
Coccinensem, **Matthaeum de Oliveira.**
Zuliensem, **Franciscum Marvez.**
Cochabambensem, **Hyacinlbum Anaya.**
Vilnensem, **Stephanum Zwierowicz.**
Quinque Ecclesiarum, **Samuelem Hetyey.**
Saltensem, **Mathiam Linares.**
Carthaginensem in Indiis, **Petrum Brioschi.**
Amisensem, **Ioannem Filzmaurice.**
Epiphaniensem, **Sebastianum Pereira.**

Samium, **Carolum Niedziadkowski.**
Castoriensem, **Gasparem Cyrtowt.**
Eleutheropolitanum, **Boleslaum Kloptowski.**
Laganiensem, **Conradum Abels.**
Ruphanearum, **Petrum Lalowyer.**
Remesianensem, **Iosephum Leray.**
Pentacomiensem, **Alphonsum Favier.**
Rusicadensem, **Augustinum Hacquard.**
Attudensem, **Maximum Fernandez.**
Tursonensem, **Petrum Bourgade.**
Sancti Clodoaldi, **Iacobum Trobec.**

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

UTINEN.

MATRIMONII

Die 26 Iunii 1897.

Sess. 24 cap. 5 De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Die 13 Februarii 1893, in parochiali ecclesia Archidioeceseos Utinensis, Petrus in 28 aetatis anno constitutus, praetermissis solemnitatibus civilibus, rite nupsit Angelae puellae annorum 19.

Statim post nuptias et per mensem integrum eodem tecto eodemque thalamo sponsi usi sunt, dein exortis dissidiis inter eos, mulier maritum deseruit et apud matrem se recepit. Quibus vero causis haec separatio effecta sit, ex actis strictim non eruitur ; et revera in hoc puncto depositiones coniugum non plene conveniunt.

Interea annus pertransiit quo mulier nunquam viro suo reversa fuit; deinde cuiusdam Sacerdotis Pelizzo consilio instructa, Angela Curiam Utinensem adiit et petiit ut nullum declararetur matrimonium suum ex capite vis et metus, vel saltem dispensationem a Summo Pontifice effiagitavit super matr. rato et non consummato.

Ex mandato S. C. C. Curia Utinen. processum tam super asserta nullitate, quam super inconsummatione rite instrui curavit; actaque omnia inde transmisit.

Ex quibus apprehendimus Angelam, prout ipsa refert, nupsisse Petro inductam tantummodo precibus, blanditiis verberibusque matris ; quod non plene convenit cum depositione viri, qui aliam causam assertae inconsummationis statuit, plane dissimilem ab ea quam mulier docet.

Disceptatio Synoptica

VOTUM CANONISTAE. Pluribus praenotatis quoad factum Consultor sibi tria revocanda ad trutinam proposuit. Primum an Angela revera metu gravi coacta contraxerit matrimonium cum Petro, ideoque nullum atque irritum fuerit praedictum matrimonium.

Secundum an constet de inconsummatione matrimonii in casu.

Tertium denique utrum adsint in casu iustae et legitimae causae, ut consulatur SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato.

Extra omnem dubitationis aleam positum est, matrimonium metu contractum, modo metus requisitas habeat conditiones, nullum esse atque irritum iure saltem ecclesiastico. *Cap. Cum locum 14, c. Veniens 15, c. Consultationi 28, De sponsal. et matrim, et cap. Significavit 2, de eo qui duxit in matrim, etc.,* prout uno ore tradunt Theologi et Canonistae. D. Thomas *4 dist. 29 quaest, tenie, art. 3.* Sánchez *De matrimonio lib. 4, disp. XII.* Salmanticenses *tract. IX, cap. IX, dub. unie.* ReifFenstuel *lib. IV, tit. 1, n. 325.* Schmalzgrueber *lib. IV* tit. I, num. 386 etc.* Sed metus, ut matrimonium irritet, gravis sit oportet, seu cadens in virum constantem, ab extrinseco, a causa nempe libera, ad matrimonialem consensum extorquendum iniuste illatus. Conditiones vero, quae ad metum gravem requiruntur, ad duas apte revocari queunt ; quarum prima est, ut malum quod

metum incutiens minatur grave sit, sive absolute, sive saltem respectu personae metum passae; secunda, ut metum patiens, non inani apprehensione permotus, sed probabili ductus ratione iudicet sibi imminere malum grave, cui facile neque per se, neque per alios occurrere valeat.

In themate, uti liquet ex exposita facti specie, de illo metus genere agitur, quem reverentialem appellat.

Preces quoque importunae, si adhibitae fuerint ab eo, respectu cuius timor reverentialis habetur, irritum reddunt matrimonium iuxta communissimam sententiam. « Monuerim tamen, habet Sánchez *lib. IV, disp. VII, n. 8,* non quascumque preces assiduas importunas dici ; sed quae sunt instantissimae et saepius repetitae et inculcatae ut probat textus etc. »

Metus vero, ut matrimonium nullum reddat, perdurare debet usque ad tempus celebrationis matrimonii ; Cosci *De separatione tori coniugalis lib. I, cap. VIII, num. 13.* De Iustis *lib. secun. cap. XII, num. 90.* Probari autem oportet argumentis quae nullitatem matrimonii indubiam reddant; quae si desint, standum est pro valore matrimonii. « Si omnibus diligenter consideratis, monet Paulus Laymann *lib. V, tract. X, part. 2* cap. V, num. 4,* dubium sit, utrum metus iniuste ad matrimonium contrahendum incussus gravis censendus sit, necne, ideoque utrum matrimonium irritum, an validum existat; arbitror pro valore matrimonii iudicandum. Quia licet maximopere curandum sit, ut matrimonium in perpetua coniunctione consistens libera voluntate contrahatur.... Postquam tamen semel matrimonium contractum est, potius est, ut validum quam ut invalidum iudicetur; cum matrimonii causa favorabilis sit ».

His in iure positis, inquirendum est num matrimonium, quo de agitur metu gravi initum fuerit, ideoque nullum sit atque irritum.

Ex actis processualibus haud satis liquido constat, metum gravem fuisse unquam illatum Angelae, ut matrimonium contraheret cum Petro, et aliunde certum videtur me-

tum, si quando forte incussus fuit, plene purgatum fuisse ante coniugii celebrationem.

Actrix asserit in libello se animum ab hoc matrimonio adversum perpetuo gessisse, et nonnisi a matre precibus, blanditiis, minis et verberibus coactam nuptias sibi invisas contraxisse.

Attamen testes septimae manus ab Actrice inducti nihil deponunt de hac perpetua aversione Angelae a matrimonio cum Petro. Confessio vero iudicialis ipsius actricis aperte pugnat cum assertione extraiudiciali. Et sane: Angela diserte fatetur in iudicio sub iuramenti sanctitate se a duobus fere annis ante matrimonium deamare caepisse Petrum ab eoque quaedam munuscula, licet exigui pretii, recepit. Petrus saepissime accedebat tunc temporis ad domum Actricis, eam invisendi causa, quod quidem initio gratum sibi accidisse confitetur Angela. Postremo cum mater Actricis annuit Petro filiam in matrimonium petenti, Angelae arridebat matrimonium cum Petro « Ed io allora era contenta, perchè la gente mi diceva: prendilo, che è un buon giovane. »

Haec factorum series satis superque ostendit Angelam, aliquandiu saltem, amore affectam fuisse erga Petrum, atque voluisse, nullo compulsam metu, matrimonium cum eodem contrahere, proindeque a vero alienam esse assertionem actricis dicentis se contrariam semper fuisse huic matrimonio.

Neque vero preces et blanditiae , quae mater Angelae adhibuit, eiusmodi erant quae metum gravem incutere possent. Nemo sane dicet, parentes metum gravem inferre filiis ex eo quod eisdem suadeant unum matrimonium prae alio, prolatis in medium argumentis, quae utilitatem unius matrimonii prae alio ostendant. Iamvero, mater Angelae, dum iuxta actionem huiusmodi verba proferebat « in domo Petri bene se habent, Petrus domum propriam possidet, re familiari satis instructam, non longe a me eris, et si quando in morbum incidens, ego tibi praesto adero » nihil aliud effecisse videtur, quam filiae exponere rationes quae ostenderet utilitatem matrimonii quod eidem suadebat.

Ad minas autem\et verbera quod attinet, declarat oratrix coram iudice, Petro petitionem matrimonii iteranti, praesente Francisco actricis germano fratre, se respondisse « noli amplius ad domum meam accedere pro hoc negotio, quia ego nolo te in matrimonium ducere » quod ubi mater rescivit a Francisco, filiam verberibus affecit, ea iterare minitans donec Angela e domo discedere cogeretur, si matrimonium cum Petro contrahere nollet ; et subiicit actrix se hisce minis inductam futuras nuptias promississe Petro, praesente matre, dominica insequenti.

Notandum in primis, teste viro, responsum super relatum non fuisse datum ab Angela : Franciscum autem qui, aiente actrice, praesens aderat, non fuisse interrogatum in iudicio : unde incertum manet verumne an falsum sit prolata fuisse huiusmodi verba, quae tamen iuxta Angelam ansam praebuerunt minis et verberibus.

Notanda sunt etiam obiter verba actricis. Interrogata quam ob causam verberibus caesa fuerit a matre, respondit « quia renui petitioni Petri, *et forsitan etiam, quia sciebat* (mater) *me adamare supra memoratum Aloysium* », quod quidem responsum suspicionem iniicit haud prorsus compertum fuisse actrici, num mater verbera adhibuerit ad extorquendum consensum in matrimonium, vel an potius ad coercendam filiae licentiam. Porro metus, qui non fuerit illatus ad consensum matrimonialem extorquendum, non irritat matrimonium.

Mater Angelae interrogata an exoptaverit matrimonium filiae cum Petro, eamque verberibus ad praedictum matrimonium contrahendum cogere conata fuerit : respondit, se desiderasse hoc matrimonium, et post celebrata sponsalia, filiae, matrimonii celebrationem in mensem aprilem differre volenti, aiapam impegisse: sed voluntas differendi aliquantisper matrimonii celebrationem non excludit in Angela voluntatem prorsus liberam ducendi Petrum.

Omnes paene reliqui testes ab actrice producti in haec fere verba deponunt « Audivi ab Angela, aut ab aliis ante,

vel post matrimonium matrem verbera adhibuisse, ut filiam ad matrimonium cum Petro induceret », quin ullam aliam probationem afferant, nec exprimant nomina eorum a quibus audierint, ideoque cum sint testes de auditu non plene probant: Leurenius *lib. II, tit. XX, quaest. 612, n. 2.* Schmalzgrueber *lib. II, tit. XX, n. III.*

Sed non est diutius immorandum in expendendis assertionibus horum testium, quia etiamsi admittatur, metum gravem aliquando locum habuisse in casu; indubium tamen videtur metum haudquaquam perdurasse usque ad tempus celebrationis matrimonii, uti eruitur ex testium depositionibus et ex omnibus circumstantiis matrimonium praecedentibus, concomitantibus et subsequentibus.

Sacerdos Constantinus Gentium, qui ex delegatione parochi matrimonio interfuit, et connubium benedixit, testatur sub iuramenti religione « Pridie quam celebraretur matrimonium accersi vi Angelam, quam interrogavi an verum esset matrem velle omnino, ut ipsa, licet invita, in matrimonium duceret Petrum: et Angela respondit: uno abhinc mense mihi non placebat hoc matrimonium; sed nunc placet: immo in praesens ducerem illum (Petrum), sed renuente matre mea, quia video Petrum in praesentiarum me amore prosequi, dum antea videbatur me ducere voluisse causa tantummodo dotis ».

Angela interrogata, an mater ante matrimonii .celebrationem ipsi facultatem concesserit faciendi quod mallet respectu matrimonii respondit « Ipso die celebrationis matrimonii... dicente Petro se nolle, uno dumtaxat iuvene Francisco sponsos comitante, ecclesiam petere ad nuptias ineundas, mater mihi dixit : rebus sic extantibus, noli abire : exue te veste nuptiali : cui ego respondi : quaenam te dementia cepit quae suades, ut huiuscemodi rem nunc faciam. » Quae plane consonant confessionibus matris Angelae et viri, qui testatur die celebrationis matrimonii, Angelam contentam sibi visam fuisse, tam ante, quam post matrimonium.

Sacerdos Gentilini declarat « Ante matrimonium et tem-

pore celebrationis matrimonii contenta mihi visa fuit Angela, sicuti esse solent ceteri sponsi. Fidenter consensum praebuit »: quod confirmatur ab uno ex testibus matrimonii: deest in actis processualibus depositio alterius testis.

Ex hactenus dictis concludendum putarem:

I° Non satis constare in themate, matrem metum gravem unquam incussisse Angelae ad extorquendum consensum in matrimonium cum Petro, cum depositiones testium non sint eius generis, ut plenam fidem faciant.

2° Metum gravem, si quando forte illatus fuit Angelae, plene purgatum fuisse ante matrimonii celebrationem, ceu patet ex universa agendi ratione actricis, tam ante, quam post matrimonium, et tempore quo matrimonium contraxit. Quamobrem omnino negandam censerem in casu nullitatem matrimonii ex cap. vis et metus.

Interclusa itaque via iustitiae, inquirendum superest, an in casu aditus pateat gratiae, seu dispensationi super matrimonio rato et non consummato.

Ut huiusmodi dispensatio concedi valeat, oportet in primis inconsummationem matrimonii ostendere argumentis, quae dubium penitus excludant ; inconsummatio vero matrimonii duplici potissimum probationum genere evincitur, morali nempe deprompta ex confessione coniugum, iuramento confirmata, de non consummato matrimonio, ac depositionibus iuratis testium, quos vocant septimae manus, et physica quae petitur ex inspectione corporis mulieris facta ad normam instructionis S. Congregationis.

In themate adesse videtur prima facie probatio moralis pro inconsummatione matrimonii, sed cum confessione partium et testimonio septimae manus pugnant opiniones obstetricum et iudicia peritorum.

Angela declarat sub sacramento coram iudice, matrimonium numquam fuisse consummatum.

Petrus interrogatus, an tempore quo cohabitavit cum uxore rem maritalem perfecerit : respondit sub iuramenti sanctitate « eo tempore numquam perfeci actum coniugalem ».

Magni autem ponderis est confessio coniugum in themate; primum quidem, quia uterque coniux idipsum declaraverat tempore non suspecto, ceu patet ex quorumdam testium depositionibus iuratis.

Sunt et alii testes qui deponunt se accepisse ab Angela, vel ab aliis qui et ipsi ab Angela audierunt, matrimonium non fuisse consummatum.

Iosephus Bernich parochus coniugum testatur se, elapso fere mense a fuga mulieris, advocasse utrumque coniugem, et Angelam hisce verbis explicasse causam separationis quia a *iuramento* habita fuit ut ancilla, non ut uxor ita ut nec me tetigerit. Petrum vero interrogatum quoad consummationem matrimonii dixisse pluries hoc ab uxore expeti visse, sed parere illam noluisse.

Deinde quia abesse videtur in casu omne periculum collusionis, siquidem vir, qui veracitatis laude commendatur, non desiderat matrimonii dissolutionem, quemadmodum diserte fatetur coram iudice, et vitam coniugalem instaurare paratus est, ideoque nullum sibi commodum ex mendacio comparare posse videtur: unde plurimi faciendum est eius testimonium de non consummato matrimonio. Hinc idem parochus interrogatus quid sentiat de consummatione matrimonii et de periculo collusionis in casu; respondit: credo matrimonium non fuisse consummatum, quia fidem adhibeo verbis Petri. Non admitto collusionem, quia Petrus semper paratus est Angelam excipere, et ipsa non vult redire. - Eodem fere modo excludit periculum collusionis Sacerdos G-entilini.

Praeterea testes septimae manus, tum a viro , tum a muliere inducti confirmant suo suffragio iuratam partium confessionem, unanimi namque consensu laudibus efferunt honestatem, religionem et veracitatem coniugum, eosque tales censent, ut a periurio prorsus abhorreant, et plures ex testibus in ea sunt sententia, ut existiment matrimonium non fuisse consummatum.

Haec omnia coniunctim sumpta et ponderata idonea vi-

dentur ad moralem, quae in casu requiritur, certitudinem constituendam pro inconsummatione matrimonii, et protinus concluderem matrimonium in casu tantummodo ratum mansisse, nisi alia obstarent quae ab hac conclusione eruenda revocant.

In primis in memoriam revocandum est generatim matrimonium praesumi consummatum, ubi coniugibus rem perficiendi copiam fuisse constiterit, et quoties vir pollens viribus non solum cohabitaverit, verum etiam condormierit in eodem lecto cum uxore, quae aetate floreat et ad matrimonii usum habilis existat, exurgit praesumptio iuris et de iure pro consummatione matrimonii. Pignatelli *tom. 1, Consult. 148, n. 21.* Quae quidem praesumptio validissimum suppeditat argumentum in foro externo pro consummatione matrimonii, prout colligere licet ex cap. Litteris 12 de praesumptionibus, et pro veritate habenda est, nisi aliunde accedant concludentissimae probationes quae citra omne dubium consummationem matrimonii excludant; Zacchias *lib. IV, tit. II, quaest. III* de signis violatae virginitatis nn. 13, 14.

Iam vero constat in themate ex diserta utriusque partis confessione coniuges aetate florentes, non semel aut bis tantum, sed per mensem in uno eodemque lecto condormiisse. Neque ulla adest suspicio de impotentia viri aut mulieris. Haec autem praesumptio pro consummatione matrimonii vehementior evadit ex circumstantiis quae in casu concurrunt: etenim coniuges, teste viro, animorum consensione vitam duxerunt per plures dies, quod minime negat oratrix, quae patefecit suo parocho se contentam fuisse tempore cohabitationis cum viro. Ad hoc accedit quod vir debitum coniugale petiit, uti deponit sub iuramento; immo teste parocho declaravit extraiudicialiter se pluries et instanter debitum petiisse. Et Angela fatetur se haud denegaturam fuisse debitum viro petenti.

Nemo est qui non videat in hisce rerum adiunctis violentissimam haberi praesumptionem pro consummatione ma-

trimonii, quae pro veritate accipienda erit, nisi afferantur argumenta quae inconsummationem matrimonii certo ostendant.

Porro argumentum depromptum ex iurata partium confessione, licet confirmata suffragio testium septimae manus, non videtur tantam habere probandi vim, ut inconsummationem matrimonii moraliter undequaque certam reddat : primo quia coniuges, etsi plene conveniant in asserenda inconsummatione matrimonii, prorsus inter se dissident in assignanda causa inconsummationis.

Enimvero ; Petrus deponit « nocte secunda post initas nuptias invitavi illam ad usum matrimonii, sed ipsa acquiescere noluit sub obtentu fluxus menstrui ». Et testante coram iudice coniugum parocho, vir confessus est extraiudicialiter se pluries et instanter petiisse debitum : et uxorem semper renuisse.

Aiente vero oratrice, Petrus nullo umquam tempore petiit debitum coniugale, neque ostendit desiderium consummandi matrimonium. Fatetur insuper oratrix se paratam fuisse debitum reddere. Angela interrogata ex officio an tempore cohabitationis quaesierit a viro qua de causa nollet rem maritalem perficere ; respondit : « Bis aut ter ; et ille noluit responsum dare : unum hoc dicebat : sine me dormire ». « Quinque circiter diebus, pergit oratrix, antequam fugerem dixi Petro : Die mihi quid habeas ; cur ita mecum agas ; habesne forsitan aliquod vitium seu defectum ? Quod si dicere nolis, ego in Americam proficiscar. Et ipse mihi respondit: nolo nunc huiusmodi fastidia ». Denique Angela conquesta est coram parocho se loco ancillae, et non uxoris, habitam fuisse a viro, quia vir matrimonium consummare noluit.

Unde si fides adhibeatur Petro, matrimonium non fuit consummatum, quia Angela viro petenti debitum reddere noluit ; dum ex adverso Angela aperte fatetur se paratam fuisse debitum reddere ; quinimo uti voluisse matrimonio, quod si consummatum non fuit, causam inconsummationis referendam esse in Petrum, qui nec debitum petiit, nec uxori

matrimonio uti desideranti acquievit. Confessiones igitur partium quoad causam inconsummationis mirum in modum inter se pugnant. Porro cum coniuges in re tanti momenti omnino discordes deprehendantur, eorumdem confessio iurata quoad inconsummationem matrimonii, quae ceteroquin magni fieri solet in huiusmodi causis, plurimum auctoritatis amittit ad fidem faciendam.

Neque silentio praetereundum est Angelam, ipsamet fatente, ad alias nuptias transire velle; cuius proinde testimonio de non sequuta consummatione matrimonii non ita facile deferendum est. Cosci *lib. 1, cap. XVI, num. 19.*

Cum igitur causa inconsummationis prorsus lateat, immo nulla adesse videatur in themate, testimonium iuratum partium, etsi suffragio septimae manus confirmatum, valde nutat in casu, nisi fulciatur probatione deprompta ex inspectione corporis mulieris, quod tamen minime contingit.

Nam periti, audita relatione obstetricum, absque ulla prorsus haesitatione pronuntiant, Angelam esse corruptam.

Factum igitur deflorafionis Angelae certum est iudicio peritorum, qui tamen, excluso concubitu cum viro, nullam aliam deflorationis causam assignare possunt.

Cum itaque factum corruptionis certum videatur et, exclusa semel copula, nulla alia causa appareat, si Angela ex coitu amisit integritatem virginalem, quemadmodum probabile censent tam obstetrices quam periti, putandum est a viro suo potius quam ab alio cognitam fuisse, cum non liceat praesumere crimen absque probatione.

Ex hucusque dictis satis constat, ni meus me fallit animus : I° Coniuges aetate floren tes cohabitasse, atque uno eodemque lecto usos fuisse per mensem ; 2° animorum concordia vitam duxisse per plures dies, fatente viro, et Angelam contentam sese exhibuisse primis diebus post matrimonium, immo, teste parocho Iosepho Bernich, toto tempore cohabitationis cum viro ; 3° coniuges, prout declarat pro sua quisque parte, uti voluisse matrimonio ; 4° nullam subesse causam cur suspicandum sit de impotentia, sive viri,

sive mulieris ; 5° nullam afferri idoneam rationem inconsummationis matrimonii : quae omnia violentam procul dubio inducunt praesumptionem pro consummatione matrimonii, cui profecto praesumptioni 6° favent omnino relationes obstetricum et iudicia peritorum.

VOTUM THEOLOGI. Brevissime ad memoriam revocatis quae facti speciem attingunt, ait Consultor veniendum est ad meritum causae et videndum : *a)* utrum matrimonium hoc nullum haberi possit ex capite vis et metus ; *b)* utrum saltem fuerit inconsummatum, et causae praeterea habeantur, quae Beatissimum Patrem iure movere possint ad matrimonii rati vinculum abrumpendum.

Porro quoad primam quaestionem sciunt omnes metum quibusdam in casibus matrimonium irritare ; quod ab ecclesiastica potestate rectissime inductum est, ut in re tanti momenti maxima esset in consensu libertas. Sed quum ex alia parte necessitas stabilitatis contractus matrimonialis vehementer postularet, ut nonnisi gravibus de causis matrimonium aliquod infirmaretur, merito sancitum fuit ut metus, qui matrimonium invalidum redderet, non solum deberet esse incussus a causa libera, iniuste et in ordine ad extorquendum matrimonium, sed praeterea gravis, idest qui caderet in virum constantem c. 15, XIV, 1. Verum quidem est metum per se levem aliquando fieri relative gravem, spectatis nempe circumstantiis et qualitatibus metum passi, ut est metus, quem vocant reverentialem ; sed gravis sive absolute sive relative necessario debet esse. In casu autem nostro si quis metus intercessit, non fuit nisi metus reverentialis ; neque enim de ullo alio, matre excepta, queritur actrix, neque ex processu apparet alium quempiam ulla quacumque ratione egisse ut Petro Angela nuberet. At metus huiusmodi reverentialis non is fuisse videtur, qui gravem metum et ad irritandum matrimonium sufficientem constituere posset. Nam praeter unum alterumve bacilli ictum, unam alteramve alapam nihil aliud contra Angelam egit mater, quae praeterea mulier est, ut videtur, praeceps in iram, a qua tamen fa-

cillime desistit. Sed praeterea notandum est ne evidens quidem esse haec omnia praecise matrem egisse ut filiam in matrimonium induceret. Nec praetereundum est haec omnia locum habuisse inter villicos, qui ordinarie non magno ex huiusmodi rixis et reprehensionibus moerore afficiuntur. Quare nec magni faciendum videtur quod Angela postquam vapulavit e materna domo aufugit, quum praeterea statim postea cum Aloisio fratre ad eam est reversa. Quare ex his apparet metum huiusmodi gravem non fuisse. Sed praeterea rationes sunt quae suadent omnino matrimonium hoc fuisse libere et sponte celebratum. Profecto ipsa Angela fatetur se quo mane ad nuptias perrexit nec hilarem fuisse, nec tristem. Et Rev. Dnus Constantinus Gentilini cooperator parochialis, qui huic matrimonio adfuit et sponsis benedixit, testatur se Angelam hilarem et contentam nuptiarum tempore vidisse nec ullum in ea deprehendisse tristitiae signum. Et revera primis etiam diebus matrimonii pluribus visa est contenta; hoc deposuerunt Ioanna Grimatz viri mater, Valentinus Sgerovello qui idipsum ab Angela acceptum testatur, et alii. Rebus autem ita se habentibus qui non diceret matrimonium hoc libere fuisse ab Angela contractum ?

Quare statim ad alteram quaestionem est nobis transeundum ; exquirendum videlicet est utrum moraliter certo constet matrimonium hoc numquam consummatum fuisse. Porro haec moralis inconsummationis certitudo in sequentibus casibus habetur Gasparri *Tract, can. de matr. II, 1066 :* I° quum coniuges copulam habere certo non potuerunt, sive quia nuptiis initis numquam soli fuerunt, sive quia viri impotentia est plane certa ; 2° quum evidenter constat de mulieris virginitate ex inspectione corporali; 3° quum talia indicia et circumstantiae tales concurrunt, ut simul sumptae moralem certitudinem de inconsummatione praebeant. Videndum igitur est utrum in nostro casu huiusmodi habeantur moraliter certa argumenta, quae prudenti aestimatori persuadeant, matrimonium hoc ratum mansisse. At primum argumentorum caput exulat omnino. Coniuges enim per

mensem integrum, ipsis testantibus, eodem cubiculo eodemque lecto usi sunt ; nec ulla plane habetur non tantum certitudo, sed ne suspicio quidem impotentiae viri. Quare nullum hinc desumi potest argumentum pro inconsummatione, sed vehemens potius exurgit praesumptio, matrimonium fuisse consummatum, quae praesumptio elidi non potest nisi certis argumentis in contrarium. - Quoad alterum caput argumentorum inspectio corporalis locum habuit, sed uno ore obstetrices et medici Angelam iudicarunt corruptam. Imo notandum est omnes obstetrices et duos medicos Gabrielem Mandez et Virgilium Scaini uno ore testari, Angelam esse corruptam, huiusque corruptionis causam probabilissime fuisse coitum. His autem positis, quodnam non dicam certum, sed ne probabile quidem pro inconsummatione argumentum desumi potest ? - Videndum restat utrum alia concurrant in casu indicia quae simul sumpta inconsummationem suadeant. Porro si quae essent ea profecto continerentur praesertim iurata coniugum depositione. Equidem coniuges deponunt unanimiter matrimonium ratum mansisse ; sed magna videtur adesse probabilitas eorum depositionem non esse veridicam. Mulier enim aperte negat maritum ab ea exquisivisse, ut debitum redderet. Affirmavit imo se copulae fuisse consensuram si maritus ab ea ipsam petiisset. Vir contra deponit : sese secunda nocte invitasse uxorem ad peragendum actum coniugalem ; sed oppositionem fecit adducens fluxum menstruum. Sed praeterea mulier ex sua depositione moraliter certo videtur mendax. Asserit enim sub iuramenti fide se virginitatem suam amisisse numquam. Contra, ut vidimus, certo certius corrupta est et probabilissime ex coitu. Ergo testimonium Angelae valde probabiliter est falsum, et proinde certo non est attendendum. Manet igitur testimonium Petri actricis viri ; sed unius testimonium et in his circumstantiis profecto plenam fidem non facit. Nec testimonium coniugum quod ex se plenam et certam probationem sine dubio non facit, multum corroboratur ex testimonio septimae manus. Hi enim testes, quorum tres ex parte mulieris ne interro-

gati quidem fuerunt de propria persuasione circa non consummationem matrimonii, omnes stant pro veridicitate coniugum, sed quoad inconsummationem vel dicunt se nihil scire vel referunt tantummodo rumorem esse matrimonium non fuisse consummatum. Quare quum nullum certum erui possit argumentum inconsummationis, nullo modo procedi posse videtur, ad matrimonii huius dissolutionem, quum evidentissimum sit periculum violandi ius divinum.

His stantibus inutile est accuratissime inquirere utrum conditiones in casu adessent, quibus permoveri iure posset SSmus Dnus ad dispensationem concedendam a supposito matrimonio rato et non consummato. Sed fateor me etiam in hypothesi non consummationis, nullam gravem causam in casu invenire. Vir enim paratus est ad iterum admittendam Angelam in maritale consortium, imo desiderat ut matrimonium suum non abrumpatur. Mulier vero nulla gravi ratione adducta videtur ad maritum deserendum. Sunt enim qui dicunt eam a viro aufugisse quia apud eum non satis commodus esus erat, alii ob quamdam circa dotem quaestionem, alii quia matri potius quam marito erat addicta. Sunt equidem qui dicunt Angelam aufugisse quia Petrus copulam cum ea habere nolebat. Sed admittine hoc potest, quum et Petrus asserat se copulam ab ea exquisivisse, sed frustra ; Angela autem fateatur se nunquam ab ipso petiisse ut actui coniugali operam daret ? Sed praeterea Angela eius ingenii est, ut spem relinquat se ad maritum aliquando reversuram.

Quare puto non esse consulendum SSmo, ut ab hoc matrimonio dispensationem concedat.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Legenti mihi acta controversiae, ab Angela excitatae, occurrit illud poetae :

. . . . quid non mortalia pectora eo gis
Auri sacra fames?

Cardo enim litis est : Angela a patre 500 libellas haereditate adepta est : mater cum Angelam, 19 annos natam,

Petro in aetate annorum 28 constituto, anno 1893 die 13 februarii uxorem commisit, detrectavit numerare pecuniam.

Id aegre ferente Petro, Angelae mater elapso a nuptiis mense maluit filiam valedicere viro, quam dotem dare : « Mia madre, inquit Angela, si rifiutò di consegnare a lui i danari : ed io dissi : allora io vengo a casa. Ed ella disse: Vieni ».

Infelix ista mater inaudita animi levitate duas-animas, filiam nempe ac generum, deducit ad orcum. Non enim impune Ille contemnitur qui iubet: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

Pauculum puto immorari fabellis matrimonii sive coacti sive inconsummati, cum in unum laborandum sit, ut mater scilicet Angelae praeteritam culpam redimat. Hoc namque si assequi datum sit, matrimonium est in vado.

Reque vera Petrus iurat : haud desiderare matrimonium dissolvi. Petri mater ait : ego non desidero, matrimonium dissolvi. Ipsamet Angela profitetur : ego non discessi antequam Mater diceret veni ; nam Petrus haud mihi molestus erat.

Hisce praemissis, propositum fuit enodandum

Dubium

An consulendum sit SS ño super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C C . re discussa sub die 26 Iunii 1897, censuit respondere : *Negative, et ad mentem.*

ROMANA

PENSIONIS

Die 31 Iulii 1897.

Sess. 24 cap. 13 De Ref.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Carolus Menghini, Conclavistarum (1) privilegio fruens, ultimo quo decessit elogio haec statuit : « *Ad Augusto Preziosi_____per mia memoria lascio il mio Crocifisso d'argento e, conforme i privilegi Apostolici, la pensione di Conclavista in quella misura che gli può appartenere, mentre io ho riscosso come Conclavista L. 155,86 annue* ».

Bona quibus pensio imposita fuit olim Coenobio Criptae Ferratae, hodie vero S. C. De Propaganda Fide addicta sunt; quare Sacerdos Preziosi, Sacerdote Menghini vita functo, adiit Administrationem ita dictam *Spoliorum,* petens sibi solvi pensionem testamento relictam.

At renuit *Spoliorum* Administratio asserens, pensiones valide transferri posse per *actum inter vivos,* minime vero per *testamentum,*

Quare Sacerdos Pretiosi recursum habuit ad Beatissimum Patrem, instans pro iure pensionis sibi vindicando, memorans praecipue in *Motu proprio* concessionis pensionis concedi privilegium transferendi pensionem *etiam in mortis articulo.* Denique clementiam Saeratissimi Principis deprecabatur pro *gratia sanationis* si ius plene non suppeteret.

Votum exquisitum fuit Emi Vicarii et Emi Praefecti administrationi spoliorum. Emus Vicarius remisit rem prudentiae S. C. C. Emus vero Praefectus Spoliorum animad-

(1) Nomine conclavistarum veniunt illi Cardinalium familiares quos Emi in Conclave ducere possunt ut eorum curam habeant. Conclavistae approbantur in octava congregatione habita a Cardinalibus in sacristia s. Petri post mortem Pontificis. Multa sunt conclavistarum privilegia ; inter quae ut valeant in alium transferre pensionem occasione conclavis obtentam.

versiones exhibuit adversas petitioni D. Augusti Pretiosi, suffultas voto canonistae, ad hoc concinnato: quodque est sequentis tenoris.

Disceptatio Synoptica

VOTUM CANONISTAE. Titius Sacerdos qui interfuit Conclavi in quo electus fuit Leo XIII, quem Deus diu sospitet, in suo olographo testamento haec inter alia habet: « Conforme i privilegi Apostolici lascio a Caio la pensione di Conclavista in quella misura che gli può appartenere, mentre io ho riscosso come Conclavista lire 155,86 annue ». Quaeritur:

An ex privilegiis apostolicis, et praesertim ex motu-proprio Leonis XIII, VII Idus Martias an. 1878, quo ea privilegia declarantur, translatio pensionis sustineatur in casu.

Ad propositum dubium respondeo: *Negative,* sequentibus praecipuis innixus argumentis.

Exploratissimum in iure est, translationem pensionis factam sub conditione mortis transferentis, esse invalidam. Monacell. *Formul. Adnotat, p. II, tit. XIV, n. 4* - Garcia, *De beneficiis, p. 1, c. 5, n. 54 et 55.* - Paris, *De confid. quaest. 23, n. 49.*- Card. De Luca, *De pens. diseurs. LXIV, n. 2 et passim.* - Lotter. *De re benef. lib. I, quaest. 40, nn. 19 et 20.* - Barbosa, *De pens.* - Rodríguez. -Flam. - Vega. - P. Ledesma.

Ratio quam omnes Pontificii iuris Doctores afferunt haec est: quia nimirum translatio facta sub conditione *praemorientiae* transferentis non est quaedam *prorogatio* eiusdem pensionis, sed constitutio novae in praeiudicium et novum gravamen ^Ecclesiae. Per translationem enim etiam ab infirmo morti proximo, dummodo per actum inter vivos, non constituitur nova pensio, nam, ut bene advertit Monacelli loco citato n. 15 in adnotatione « *cum omnibus exemptionibus et privilegiis* ». Per hanc expressionem datur intelligi quod

cum pensio translata sit, eadem pensio cum prima et nihil differat a reservata Card. De Luca, *De pens. ad Constit. Innocentii XI, c. 15, n. 1* et extinctio quae fit ab exequutore in actu translationis sit potius mutatio personae et vitae transferentis in personam et vitam translatarii, quam proprie *extinctio,* iuxta constantem opinionem Rotae *coram Buratt. decis. 638, n. 3, coram Merlin, decis. 243, n. 12 et 23, coram Dunozz. Iun. dec. 768, n. 17, 48 et 19,* et *coram Cerr. dec. 628, n. 5,* exemptiones et privilegia transeunt in translatarium, qui utitur eodem iure et privilegio prout utebatur transferens. Rota *decis. 122, n. 10, part. 2 rec.* Lotter., *De re benef. part. 1, q. 40, n. 346,* sicut etiam illius favore vigent et intactae remanent obligationes factae et fideiussiones datae in pensionis reservatione. Tondut., *De pension, cap. 30, n. 32.*

Mordicus disputatum fuit a veteribus super validitate pensionis translatae per actum inter vivos a Conclavistis in mortis articulo constitutis, praesertim post editam Constitutionem Urbani VIII : et Doctores qui validitatem propugnabant, hanc tantum rationem in medio proferebant, quam tradit Card. De Luca, *Dépens, disc. LVI, n. 5:* « Ubi agitur de translatione, quotidiana praxis docet, ut concedatur fieri posse etiam ab infirmis, immo et in mortis articulo constitutis, *ex ea ratione quia* Ecclesia non dicitur gravari novo onere ob *incertitudinem* quod translatarius transferenti praemori valeat, ut advertitur in allegatis decisionibus coram Buratti et Merlin. » Item in alio discursu : «.... quod translatio non esset odiosa minusque importaret prorogationem oneris ac servitutis *propter possibilem praemorientiam translatarii,* procedendo cum vulgari dicterio quod saepius mori solet prius agnus quam ovis ». De Luca,' *disc. LI, n. 10.*

Haec sufficerent ad excludendam facultatem transferendi pensiones per testamentum : nam si sola conditio praeminentiae transferentis nocet validitati pensionis translatae per actum inter vivos, quid erit dicendum de translatione

facta per actum ultimae voluntatis, qui necessario implicat mortem testatoris? In uno tantum casu conditio mortis non vitiat translationem sed vitiatur; quando nempe, iuxta elegantissimam distinctionem a Card. De Luca propositam, conditio mortis ponitur ut causa *impulsiva,* non ut causa *finalis.* Quapropter notat Garcia contra Navarrum « quod rectius tenet additio Consilii posita in fine cum de translationibus sub conditione mortis haec scribit: « quod cum per translationes extinguatur Pensio et nova constituatur...... videtur quod ista facultas transferendi non possit sibi locum vindicare nisi in *absoluta* translatione ». Unde, concludit Garcia, etiam videtur quod *translatio fieri non possit per testamentum.* Ceterum sufficeret dispositio quae habetur in exhibito Motu-proprio Leonis XIII, qui facultatem facit Conclavistis concedendi et assignandi pensiones « ita ut praefati translatarii subrogatio esse *censeatur in omnibus et per omnia* (quod facultatem exigendi pensiones seu fructus) *in qua ipsi Conclavistae tempore translationis existebant* ». Atqui tempore translationis factae per testamentum, quod non valet nisi intercedente morte testatoris, Conclavistae non sunt amplius in possessione pensionis, quae est vitalitia, neque ius ullum habent ad fructus exigendos. Ergo translatio facta per testamentum erit invalida et inanis. Superfluum duco immorari diutius in re evidentissima; quapropter omitto argumenta omnia quae desumi possent ex tractatu *De donationibus* quaeque haberent arctissimam analogiam cum praesenti quaestione.

ANIMADVERSIONES ACTORIS. EX adverso sac. Pretiosi contendit, pensionem taliter translatam per testamentum sustinendam esse. — Et in primis invocat favorem privilegii, quo gaudent conclavistae ad transferendas pensiones; et autumat hoc privilegium, concessum *Motu proprio* esse latissimae interpretationis. — Verba vero quibus hoc privilegium exprimitur sunt sequentis tenoris: « *Insuper conclavistis praefatis et eorum singulis______quascumque pensiones annuas______reservatas seu reservandos etiamsi semel vel plu-*

ries translatae fuerint usque ad summam sexaginta ducatorum auri de Camera similium in toto vel in parte, ac in una seu pluribus vicibus ac etiam IN MORTIS ARTICULO *cassure et extinguere ac postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas usque ad summam praefatam sexaginta ducatorum uni vel pluribus aliis personis Ecclesiasticis_____eisdem modo ac forma, quibus eisdem conclavistis erant reservatae, etiam absque beneficia huiusmodi obtinentium consensu, integre persolvendas et per eas propria auctoritate percipiendas, exigendas, levandas______».* Inde deducit Orator, eam clausulam *etiam in articulo mortis* alii aequipollere nempe - etiam *per testamentum.* In auxilium suae interpretationis advocat Doctorum auctoritatem, et primo citat sententiam Lotterii, *De re benef., lib. 1, q. 40, n. 9,* scribentis : « Ex quo facultas transferendi exerceri potest *etiam in articulo mortis* translatio fieri potest per testamentum; cum enim indultarius potestatem habet transferendi donec vivit, utique transferre potest per actum inter vivos »; et dein n. 52 ait: « Et quamvis ea clausula *etiam in mortis articulo* videtur dari ex abundantia quam ex necessitate, cum etiam *sine illa translatio censeatur permissa in articulo mortis,* nihilominus videtur aliquomodo prodesse quod, sicut sustinetur testamentum factum a moribundo balbutente vel semimortuo, dummodo etiam ad interrogationem Notarii vel alterius poterit exprimere mentem; ita sustinetur translatio facta per huiusmodi moribundum ». Tonduti in *Tractatu de translatione pensionis, cap. 28, n. 13* haec habet : « Successores possent tales pensiones praecipere modo et forma quibus poterat ipse transferens. Quae verba comprehendunt non solum successorem translatitium per actus inter vivos, sed etiam nominandum per ultimam voluntatem »; et *n. 30* advertit: « Milites S. Petri habent facultatem transferendi pensiones coram Notario et testibus, quia hoc casu adhibetur Notarius non uti auctoritatem interponat, sed tantummodo ad probationem; *idem privilegium* Conclavistarum concessum.... dummodo non excedat sum-

mas in eorum privilegiis contentas ». Farinelli de Fatinellis in *Tractatu de translatione pensionis, cap. 4, n. 1* docet: « Translatio valide peragitur in mortis articulo etiamsi in indulto expressum non sit; nam cum hoc non reperiatur prohibitum censetur permissum, ut fuisse decisum in Rota *an. 1541* testatur Puteus *Dec. 133, lib. 1,* quod pluribus tuentur Gambar, *De pet. leg. lib. 6 tit. De pensionibus, n. 637,* et alii. Mandos. *De lit. Signat. Orat. tit. translationes pensionum vers, Quantum attinet.* - Paris, *De résignât, lit. 6, q. 4, n. 34.* - N. 2. Tunc potest transferri etiam nutu dummodo transferens sit mentis compos ». Corradus in *Praxi benef. lib. 5, c. 5, n. 50* asserit : « Cum enim translatio suapte natura possit peragi in *mortis articulo,* multo magis *cum id in indultis de stylo exprimatur, regulanda est regulis legatorum valide eonficiendorum;* assimilatur enim pensio legatis et contractibus, ut autumat Gomes *q. 16* - Card. De Luca, *De pensionibus, disc. 59, n. 8* ».

Demum orator conqueritur, hactenus dilatam fuisse legatae pensionis executionem referens hanc auctoritatem Barbosae *Prax. de pens., P. I^a q. 2 n. 69,* aientis : « Nec huiusmodi viam executivam translatario competentem potest titularis pervertere praeveniendo in iudicio nullitatis translationis, quasi exceptio litis prius pendentis debeat executionem retardare, quia per praeventionem non impeditur via executiva ».

Praeterea nonnullas auctoritates refert orator S. Rotae quae expenduntur, postquam allata fuerint nonnulla iuris momenta.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. In primis recolere praestat, hic non agi *abstracte* et *doctrinaliter* an pensio *etiam per testamentum* transferri valeat, sed quaeritur an illa clausula, *etiam in articulo mortis,* hanc facultatem impertiatur, seu, uti loquuntur canonistae, an haec obtineatur *vi indiati translationis* pensionum.

Porro quia Summus Pontifex omnia beneficia habet manualia eorumque fructus pro suo arbitrio dispensare valet,

sane pensionano veniam concedere potest, ut hic in suo testamento designet personam, cui post eius mortem iterum pensio reservetur. Inquam - *designet personam* - nam pensionarius, cum eius morte ius pensionis extinguatur et resolvatur penitus, non potest *ius pensionis* in alium transferre. In *designata* vero *persona* per testamentum pensionara, Summus Pontifex intendit ius iterum reservare pensionis illamque personam pensionis iure augere. Haec significare videtur Tonduti /. ab oratore *cit.,* aiens sub n. 13: « Idem dicendum est si translatio fiat per viam ultimae voluntatis, quando *ad id concessa fiat facultas a Summo Pontifice;* veluti si iuxta conventionem partium per Bullas desuper expeditas fuisset concordatum cum consensu illorum, qui pensiones solvere tenebantur quod tales pensiones transferri possent per pensionarium in quascumque personas ; et quod transirent ad successores ipsius, qui successores possent tales pensiones percipere modo et forma quibus poterat ipse transferens. *Quae verba comprehendunt non solum successorem translatarium per actum inter vivos* sed etiam *nominandum* per *ultimam voluntatem,* tum attenta locutione generali, tum quia successoris appellatione continetur etiam ille, qui succedit per dispositionem ultimae voluntatis, ut in istis terminis concludit Paris, *Consil. 46, lib. 4,* et Flam. Paris, *De resign. lib. 6, tit. 4 n. 35* ». Verum explicat ipse Tonduti *cap. 29, n. 1,* tunc non haberi *translationem* pensionis, sed pensionarii *electionem.* Et iuxta hanc distinctionem intelligi potest Fatinelli de Fatinellis, *Tract, de transi, pens., cap. 4, n. 10* advertens : « Neque in contrarium urgent Garz. *De benef,* et Corrad. in *Prax. benef,* censentes translationem fieri non posse in testamento quia loquuntur et ita intelligendi sunt, de translatione per modum hereditariae successionis et ultimae voluntatis *independenter ab indulto,* puta, *si pensio legaretur vel donaretur causa mortis,* non vero de ea quae fiat *servata forma indulti ».*

Hinc quaestio haec est, in praesentiarum, *an vi indulti - Motu proprio -* *possit pensio transferri per testamentum.

Iamvero verba *huius indulti* concipiimtur suetis formulis, quas data opera exponunt canonistae et praecipue Lotterius, *De re benef., lib. I, qq. 36, 60.* Atqui disertissime hae clausulae permittunt translationem tantum *actu inter vivos* factam. — Clausula vero *etiam in articulo mortis,* cui tantum confidit orator, reapse nihil singulare habet neque aliquid facultatis impertitur quod aliunde non contineretur *in indulto* transferendi pensionem *actu inter vivos.*

Nemo enim inficias iverit, quem adhuc in vivis esse quamvis hic versetur *in articulo mortis.* Hoc tantum fatentur omnes Doctores, quos sibi suffragari arbitratur orator. Lotterius ***l.*** *c, q. 40, n. 55* ait: « Et quamvis ea clausula *etiam in articulo mortis* videtur dari ex abundantia, quam ex necessitate *cum etiam sine illa translatio censeatur permissa in articulo mortis* etc. ». Et Fatinelli ***l.*** *cit.* ait: « Translatio valide peragitur in mortis articulo etiamsi in indulto expressum non sit; nam cum hoc non reperiatur prohibitum censetur permissum etc. ». Et ita alii Doctores; at haec innuisse sufficiat.

Admissa vero valida translatione *etiam in periculo mortis,* sequitur posse una cum testamento confici actum translationis ; ita *materialiter* unum alteri actui adiungendo quamvis toto coelo inter se distent; quippe alterum morte testatoris consummatur, alterum voluntate vivi transferentis; secus translatio non sustinetur adeo ut clausula *praemorientiae* nullimode admitti valeat.

Ita ratiocinatur canonistae ab oratore citati. Lotterius ***l.*** *cit.* docet: « Ex quo facultas transferendi exerceri potest *etiam in articido mortis,* translatio fieri potest per testamentum; cum enim indultarius potestatem habet transferendi donec vivit, utique transferre potest per actum inter vivos ». Fatinelli, *Op. cit. n. 10* advertit: « Facultas transferendi exerceri potest etiam in mortis articulo, translatio fieri potest etiam in testamento ; cum enim Indultarius potestatem habeat transferendi donec vivit, utique transferri valet per actum inter vivos, expletum etiam *in testamento...*

dummodo fìat servata forma indulti ». Ubi eleganter Fatinelli exprimit unionem *materialem* translationis cum testamento ; aiens istam non *neri per* testamentum, sed *in* testamento.

In themate autem verba *Indulti* disertissime praescribere *actum inter vivos,* in dubium revocari haud posse videtur; quippe concedunt « Conclavistis____ac etiam *in mortis articulo cassare* et *extinguere* ac postquam CASSATAE et EXTINCTAE fuerint ALIAS SIMILES pensiones annuas.... uni vel pluribus, aliis personis eccles. . . . reservare, constituere, concedere et assignare____». Quare translatio vim habet postquam transferens, *ipse, actu suo, pensionem sitam cassaverit, extinxerit et aliam constituerit.* Rem dilucide explanat Lotterius *Op. cit., Uh. I. q. 40, n. 12* (ibi): « Sed cum (Pontifex) sive mandet sive ipse transferat, hanc formam perpetuo observet ut translatio fiat hoc ordine quod pensio antea extinguatur et nova alia reservetur ad favorem personae illius, quem translatarium dicimus. . . . . investiganda est prius formae huius ratio... » N. 13: « Et quod attinet ad rationem formae huius alia non est, quam ut in hac materia prorsus excludatur cuiusque hereditariae successionis species, *cap. ex transmissa ad fin.* ubi *Glossa verb. successorum de filiis presbyt. — cap. consuluit* ubi *Glossa in verb. hereditariae de iur. pat. cum similibus;* et propterea actio sive ius illud omne quod habet transferens debet extingui, ut hac ratione ius illud novum quod creatur in persona translatarii immediate illi sit ac dependeat a Papa ; quemadmodum contingit in renunciationibus etiam ad favorem factis ; porro in his Papa non prius confert quam per admissionem resignationis extinguatur ius resignantis et sic inducat novam vacationem, unde fit ut resignatarius nullo modo intelligatur nactus ius aliquod a resignante, sed ab ipso Papa dumtaxat; Cassad. *decis. 15, n. 1, De praeb.* Idem Doctor ad n. 17 haec habet: « Atque ita satis tuto concludi potest formam hanc esse substantificam actus translationis ex quo non potest reservari haec nova pensio in persona translatarii quin praecedat extinctio in persona transferentis ».

Quamobrem clare patet quomodo huiusmodi iuris translatio *actu inter vivos* naturam induit contractus etsi materialiter in testamento perficiatur et fit ad instar donationis quae acceptatione donatarii fit *irrevocabilis,* neque est *deambulatorio,* usque *ad extremum vitae spiritum* ceu voluntas testatoris. Quod praeclare confirmat Fatinelli, *Op. cit., I. cit. n. 13 et 14* (ibi): « Etsi translatio testamento inita fuerit, assumit tamen naturam contractus propter ius translatario quaesitum ex cessione seu delegatione in eum facta praesertim pro eo stipulante notario, receptum quippe in iure est, posse in testamento celebrari contractum et *actum intes vivos,* hinc habente translatione, de qua res est, naturam contractus evincitur eam irrevocabilem esse ».

Quare *Indulti - Motu proprio-* voluntas in aperto est, de qua tantum in themate quaeritur, quin inquisitio fiat de aliis clausulis quibus alia *Indulta* aut specialia *privilegia* concepta forsan fuerunt. — Quamobrem nullius ponderis sunt Decisiones S. Rotae Rom. quas adducit orator; quippe hae se referunt ad facti species omnino alienas a quaestione de qua modo agitur ; hoc ipse orator fatetur. Attamen hic innititur quibusdam generalioribus principiis quae in hisce decisionibus recoluntur et explicantur. — Ita inter *Recentiores Par. V, tom. I in Decis. 12, n. 33* applicatur et evolvitur hoc principium, nimirum : « *Indultum concessum amplissimis verbis absurdum est quod nihil operatur* ». Iamvero hanc regulam nemo sanus inficiabitur, in casu autem plane applicatur adeo ut *etiam in articido mortis,* a *balbutiente* et *semimortuo* et *nutibus* transferri possit pensio. Verum favor non id operari potest ut *actum inter vivos* convertat et traducat *in actum mortis causa.* — Ex *Decis. 30, n. 35 eiusd. Part. et tom.* affertur haec assertio : « Clausula *omni meliori modo* operatur ut translatio pensionis sustineatur prout est possibile » et recolit orator, Adv. Menghini pensionem transtulisse *in quel modo che gli può spettare.* — Verum quaecumque fuerit transferentis intentio, in probatis est, translationem perficere voluisse *actu mortis*

causa seu testamento ; quocirca etsi *translatio pensionis sustinenda sit prout est possibile ;* tamen haud possibile est sustinere translationem quae nullimode *huiusmodi actu* perfici valebat.

Subsequens allata *decis. 46, n. 8, I. c.* haec docet: «*Apponebatur quod non esset servata forma translationis ...... cum dicta privelegia non dent certam formam verborum, sufficit quod virtualiter fuerit servata forma in privilegio transferendi* ». — Re quidem vera si attendatur forma constituta pro transferendis huiusmodi pensionibus, in aperto erit, actum translationis de quo agitur, non tantum *in substantiam,* sed etiam *in formam* graviter peccasse eamdemque neque *virtualiter* fuisse servatam. — Fatinelli, *Op. cit., cap. 3, n. 1,* usurpans eadem verba quae in Indulto *Motu proprio* expressa fuerunt ita *formam translationis* explicat (ibi): « Cum praecipue *in Conclavistarum Indultis* deputentur executores coram quibus debeat fieri translatio, nimirum : *quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum vel Cathedralium, seu duarum Insignium Urbis Collegiatarum Ecclesiarum aut personae aliae quaecumque Eccles, in dignitate Eccles, constitutae.* Poterit proinde etc. ». — Et inferius in *cap. 4, n. 10* ait valere translationem *actu inter vivos* factam « *dum?nodo fat servata forma Indulti quoad interventum personae in Ecc. dignit. constitutae etc.* » Item confirmat Tonduti, *Op. cit., cap. 28, n. 30;* et Lotterius, *Op. cit., 1.1, q. 4.0, n. 42* affirmât, translationis actum, non servata forma, nullius esse valoris.

Quibus praemissis, duae propositae fuerunt ab ipso oratore dubitandi formulae, ita ut si falleret via iustitiae, praesto esset via gratiae.

Dubia

L *An sustineatur translatio pensionis in casu?*

Et quatenus negative

II. *An sit supplicandum SSmum pro gratia sanationis seu novae concessionis in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 31 Iulii 1897, censuit respondere: *Ad* I. *Negative. Ad II. Non esse inter loquendum.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Quaestionem in themate agitari an vi indulti pontificii, quo conclavistis conceditur pensio, cum facultate eandem transferendi in aliam personam, ius eisdem conferatur eiusmodi pensionem transferendi in alios per testamentum vi clausulae indulti pontificii *etiam in articulo mortis.*

II. Pensionem a Conclavistis consequutam, posse in alium transferri nullum esse dubium, dummodo id fiat per actum inter vivos, etiamsi conclavista, dum id peragit, sit in *articulo mortis, balbutiens,* semimortuus, et nutibus tantum propriam pandat voluntatem.

III. Nam dum adhuc pensionarius vivit et pensione fruitur, etiamsi in extremis constitutus, si per actum *inter vivos* transfert in alium propriam pensionem, videtur prorogare suam, non constituere novam pensionem, seu novum gravamen Ecclesiae.

IV. Post declarationem S. C. C. in hac quaestione, dubium evanuisse, certumque factum esse, ex clausula indulti pontificii, *etiam in articulo mortis* colligi non posse facultatem oriri conclavistis transferendi in alios propriam pensionem per testamentum.

NULLIUS SSMAE TRINIT. CAVEN.

FACULTATIS CONFERENDI SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS.

Die 11 Decembris 1897.

Sess. 23 cap. 10 De refor.

COMPENDIUM FACTI. Iam a sua fundatione seu ab anno 1011 Monasterium SSmae Trinit. Caven, pluribus honestatum fuit privilegiis et potissimum spirituali iurisdictione in fideles agrum Monasterio finitimum late incolentes ; im-

munitatem vero a quacumque iurisdictione Archiepiscopali seu Episcopali obtinuit idem monasterium a Gregorio VII decreto anni 1073, ab aliis dein Pontificibus amplissime confirmatam. Prae ceteris Urbanus II qui monachum egerat in monasterio Cavensi et huius Ecclesiam, postquam Pontificalem sedem obtinuerat, suis manibus consecraverat, auxit Abbatis dicti monasterii dignitatem ei conferendo, Constitutione *14 Septembris 1092,* munia episcopalis iurisdictionis ; haec enim statuebat (ibi) :

« Concedentes et edicto perpetuo confirmantes, ut tam tu, quam successores tui per terras tui monasterii habitas, et habendas, libere posais ecclesias construere, cum cruce signare, aliaque Pontificalia, et spiritualia exercere, sacrorum ordinum collatione ; Basilicarum, et altarium consecratione, atque chrismatis confectione tibi, tuisque successoribus dumtaxat abdicata penitus potestate, etc. ».

Dein ob privilegium ab Alexandro III concessum iurisdictionis Episcopalis insignia quoque Episcopalia accesserunt seu usus Pontificalium adeo, ut huiusmodi Ecclesia in commendam coeperit concedi Episcopis, ipsisque S. R. E. Cardinalibus. At ob abusus inde derivantes Alexander VI Bulla *diei 10 Aprilis 1497* res in pristinum statum restituit, Abbati iura et privilegia Episcopalia confirmando.

Verum civitas Caven, dolens exinde eius praestantiam admodum diminutam iri expetiit et a Leone X impetravit, ut ad sedem Episcopalem eveheretur, quod factum est sub *anno 1514 per dismembrationem* territorii Abbatiae SSmae Trinitatis.

At haec, diminutis licet suae iurisdictionis finibus, suorum privilegiorum iacturam non passa est ; ut declaratum fuit a S. Rota in *Marsicen, seu Nullius iurisdictionis super bono iure 7 Iun. 1700* (ibi) :

« Abbates indistincte in eodem territorio exercuerunt omnes actus iurisdictionales. Ipsi enim literas dimissoriales Episcopo Marsicano direxerunt, primam tonsuram, minores ordines,' chrisma et beneficia contulerunt, illorumque resi-

gnationes admiserunt, iurapatronatus confirmarunt, concursum ad parochiales indixerunt, sacramenta administrarunt, Synodos con vocarunt, iurisdictionem in causis spiritualibus, temporalibus, civilibus, criminalibus et mixtis in territorio Tramutulae et promiscuo exercuerunt, et ad hunc effectum vicarium constituerunt,... loci ecclesias, locaque pia visitarunt, actus pontificales faciendo in visitatione etc. ».

Atque haec omnia extra controversiae aleam hodie quoque versantur; quaeritur vero hac mane apud S. C. C. *an Abbati liceat Sacramentum confirmationis conferre alienis subditis in aliena dioecesi ex Episcoporum venia.*

Hoc dubium anxie animum occupavit Abbatis, iam vita functi, qui anno 1892 hoc libello supplex adiit Sacratissimum Principem :

« L'odierno Abbate... seguendo la consuetudine de' suoi predecessori, suole anche fuori del proprio territorio amministrare la Cresima ai fedeli delle limitrofe diocesi, sempre con la esplicita venia dei loro Vescovi, segnatamente nei casi estremi, qualora in assenza del Vescovo diocesano ne viene richiesto d'urgenza o dal Vicario generale, o almeno dal parroco del luogo. Essendogli pertanto venuti dei dubbi sulla legittimità del suo operare, l'Abbate oratore ricorre alla clemenza della Santità Vostra supplicandola di voler confermare con opportuna sanzione Apostolica la pratica surriferita ; e ciò sia per tranquillare la sua coscienza, sia ancora per evitare 1' ammirazione e lo scandalo che ne verrebbe al popolo fedele se l'Abbate Cávense, desistendo dalla antica pratica, dovesse per l'avvenire rifiutarsi alle consuete richieste, segnatamente nei casi di urgenza ».

Preces ablegatae fuerunt S. C. C. *aï die 7 ian. 1893* rescriptum fuit « *Non expedire* ». Hoc aegre ferens Abbas Morcaldius, ipse a Summo Pontifice, cuius adloquio recreatus fuit, dubium auferri efflagitavit « *ed ottenne, vivae vocis oraculo, la detta facoltà personale, vita sua durante ».*

Hodiernus Abbas qui Morcaldio successit supplici libello petiit, eamdem gratiam sibi ad vitam prorogari. Sed ex Au-

dientia SSmi *die 3 Iulii 1894* rescriptum prodiit « *Non expedire* ». Tunc Orator instantius petiit a Sacratissimo Principe, ut sibi expetita facultas concederetur ad vitam, sed Beatissimus Pater tantum *precario* gratiam concedere annuit ; quamobrem iteratis denuo Abbatis litteris Cardinalis qui publicis Status negotiis praeest, ita respondit :

« Sua Santità non ha inteso pronunziarsi sulla questione di diritto. Per questa soluzione è necessario ricorrere al competente Dicastero, cioè alla S. Congregazione del Concilio. Ad essa quindi potrà la S. V. sottoporre le sue ragioni , per 'far dichiarare che l'Abbate di Cava ha in se stesso il privilegio, che Ella sostiene, fondato sopra una legittima interpretazione, e sanzionato dalla pratica di molti anni ».

Disceptatio Synoptica

IURA ABBATIS CAVENSIS. Abbas per suum procuratorem plura deduxit in iure et in facto. In primis procurator recolit, etiam simplicem presbyterum a Summo Pontifice posse delegari ad conferendum Sacramentum confirmationis. Dein notat non posse negari hanc ministrandi potestatem per summos Ecclesiae Pontifices in Abbates Cavenses amplissime fuisse collatam. Nam octo ab hinc saeculis Urbanus II integram ac perpetuam episcopalem iurisdictionem Abbati iamdiu commissam sancivit, tribus tantummodo iuribus exceptis, nempe « Sacrorum ordinum collatione, basilicarum et altarium consecratione atque chrismatis confectione, tibi tuisque successoribus dumtaxat abdicata penitus potestate ». Quo in loco, cum chrismatis confectio tantum excipiatur, plane sequitur eiusdem chrismatis collationem admitti.

Sed hanc aliasque iurisdictiones nedum agnovit, sed amplissime definivit, etiam per novam « adiectionem, suppletionem, concessionem » si opus esset, anno 1596 sancta Gregorii XIV memoria, post votum S. Ordinis vestri, ita constituens « omnia et singula quae per Congregationem dictorum Fratrum . . . . approbata fuerant privilegia, immu-

nitates, gratiae, facultates et indulta, praesertim conferendi sacramentum chrismatis, dummodo illud foret prius per catholicum Antistitem, gratiam et communionem dictae Sedis habentem consecratum . . . . Apostolica auctoritate perpetuo confirmavit et approbavit ».

Iuxta rerum adiuncta tribus modis distinguit advocatus exercitium in confirmandi potestate : quatenus Abbas sibi subditos confirmat in sua dioecesi : quatenus in sua dioecesi confirmat alienos : quatenus alienos confirmat in aliena ditione.

Hac mane tantum res est de postrema quaestione ; seu de iure confirmandi alienos subditos in aliena dioecesi, sed advocato opportunum videtur dicere etiam de facultate confirmandi alienos in sua dioecesi, ut via sternatur facilis expeditioni hodiernae quaestionis.

In hoc propositum advertit patronus, iuris pontificii scriptores docere, cuilibet episcopo licere alienos subditos in suam dioecesim convenientes confirmare, non modo expressa vel tacita, sed praesumpta competentis Episcopi delegatione, si usus consuetudine invaluerit. Sanctus Ligorius, in *lib. 6. tract. 2, cap. 2, dub. 2, n. 172* haec habet : « Quaeritur an Episcopus in sua dioecesi alienos confirmare possit. Per se loquendo certum est non posse... Certum est et commune apud doctores quod ubi ex consuetudine id permittitur, licite fieri potest, ut dicunt Concina *I. 8, pag. 216, n. 18.* Holzm. *p. 45, n. 209.* Roncaglia *quaest. 1, R. 1.* Et hanc esse praxim usu receptam recte aiunt Palaus *pag. 9,* **n.** *7,* et Croix *lib. 6, p. 1, n. 392 ».*

Hoc etiam in sacris ordinibus conferendis praestare solent Abbates Cavenses, nempe ut in suo territorio conferant alienis : quod post S. Rotae sententiam conceptis verbis sancivit S. C. C. diebus *26 Iunii* et *31 Augusti 1634.* Propositis enim dubiorum formulis « I. *An Abbates SSmae Trinitatis Cavae habentes iurisdictionem ordinariam gaudeant privilegio conferendi Ordines minores subditis non suis.* - II. *An sit valida ordinatio uti in casu,.* - III. *An*

in casu negativo ordinatio repetenda sit etc. » rescripsit « *Ad primum et secundum* Affirmative. - *Ad tertium* Negative ».

Hinc, arguit orator, si haec iure communi obtinent Abbates ope consuetudinis, pro alienis subditis, etiam sine competentium Episcoporum venia, multo magis obtinebunt cum Episcopi ipsi consentiant, concedant vel requirant. Non modo theologi ad unum omnes licitam et validam cuiusque Episcopi confirmationem renuntiant, sed etiam demonstrant aliorum Episcoporum expressam veniam non requiri, sed eorum consensum praesumi. Reapse divus Ligorius, *loc. cit. n. 173* ait : « Bonacina sentit probabilius esse quod in hoc (in confirmandis alienis) non sit praesumenda ratihabitio Episcoporum, nisi constet... Alii vero communius et probabilius censent Episcopis licitum esse confirmare alienos subditos, quia semper praesumitur, nisi aliter constet, tacitus consensus aliorum Episcoporum, qui credendi sunt velle suas oves non privari hoc sacramento, cum nullum incommodum ex eo ipsis proveniat ».

Ac paucis S. R. E. Cardinalis D'Annibale in *Summula I. 3, § 282 not. 13.* - ibi- : « In- sua vero dioecesi (Episcopus) licite confirmat extraneos ; quod consuetudine et tacita episcoporum consensione est introductum ». Hanc facultatem vero competere Abbati declaravit S. Cong. Rituum *die 17 Nov. 1881* quae primo constituit : « Abbas etc. sacramentum confirmationis conferre consuevit non tantum fidelibus sibi subiectis, sed etiam iis qui ex finitimis dioecesibus in territorium propriae iurisdictionis eiusdem sacramenti suscipiendi causa advenire solent ». Deinde vero « ut omnis haesitatio in re penitus abigatur, Sanctitas sua referente etc... declaravit revmos Ordinarios praefatae Abbatiae posse in territorio propriae iurisdictionis sacramentum confirmationis, etiam fidelibus ad aliam dioecesim pertinentibus ministrare, dummodo plane constet eos ab Ordinariis veniam obtinuisse ; quibus collatae confirmationis fides ab ipsis revmis Abbatibus post transmittenda est ».

A potestate vero confirmandi alienos in propria dioecesi argui posse ad potestatem confirmandi alienos in aliena dioecesi, probat orator notans priorem facultatem derivare ex venia Episcoporum, praesertim cum usus antiqua consuetudine nitatur. Atqui et consuetudo et venia pro Cavensi Praesule in utroque pariter casu conspirant, tum in propria dioecesi, tum in aliena. Unum discrimen animadverti posset, aliam esse causam ordinarii collatoris vel Episcopi, aliam delegati, sive Abbatis. Sed hoc nominis discrimen esset, non substantiae ac veritatis. Quippe communi iure par est utriusque conditio, et ab alienis confirmandis prohibentur non modo inferiores antistites, verum etiam Episcopi. Nihil igitur, instat orator, utrumque vetat alienis ministrare, in suo vel alieno, quoties proprius Episcopus consentiat vel postulet. Cum autem Pontifex, posita hac venia, Abbatem ministrare posse decreverit, eo ipso definivit, ordinarios pariter et delegatos praesules in eadem conditione versari. Sed altius in iure repetens quaestionem patronus, notat Episcopos nativa facultate confirmationis sacramentum ministrare : Abbatem vero cavensem insigni privilegio pontificiae delegationis. At neminem latet, per delegationem ad aliquem actum non partem iurisdictionis, sive minorem iurisdictionem conferri, sed integram, quantam leges in illo ministerio requirunt, ut tradit Schmalzgrueber *lib. 1, tit. 29, § 6* - ibi : - « Delegatus ille censendus est, cui iurisdictio non iure oificii sui, aut habita ratione ad illud, sed ex speciali 'tantum commissione competit, ita ut ratione illius censeatur habere totam ».

Unde deducit procurator, Abbatem cavensem ad confirmationes a Pontifice delegatum toto Episcopi iure potiri. Quippe idem auctor ita sequitur § 10: « Quaeritur 2° an subdelegare possit delegatus a Papa, vel alio supremo Principe... Certa est affirmativa sententia etc. Delegatus a supremo Principe aequiparatur Ordinario ».

Proinde quia in Abbate pro exercitio concessae facultatis ministrandi Sacramentum confirmationis etiam in aliena

dioecesi tantum obstare videtur Ordinarii consensus, advertit nefas esse non debere Episcopo, permittere Abbati ut exerceat huiusmodi actum suae facultatis in eius ditione et in eius subditos.

Verum obiici posset, datam a Pontifice facultatem, privilegium esse, et iuxta privilegiorum naturam dimetiendam, ita nempe ut ne latum quidem unguem excedat fines concessionis. Atqui Urbanus II anno 1092, quamquam de confirmationis ministerio non loquitur, privilegium tamen omnimodae iurisdictionis indulget « per terras tui monasterii habitas et habendas » ; ac propterea extra monasterii fines exerceri nequit. - Cui difficultati occurrens advocatus, notat, argumentum hoc nimis probare et hinc nihil probare, quia non Abbati dumtaxat haec verborum conceptio convenit, sed cuilibet Episcopo. Nam auditum nunquam fuit omnimodam iurisdictionem Episcopis committi « extra terras dioeceseos... » Idipsum omnino semper intelligendum in qualibet iurisdictione adscribenda, quia concipi iurisdictio nequit sive Episcopi sine dioecesi, sive parochi sine paroecia, utcumque clausula adiecta non reperiatur. Adiecta fortasse fuit, opinatur orator, pro Abbate cavensi, quod nova tunc erat haec dioecesis Nullius inter finítimas sedes ; ac propterea demonstrative, ut aiunt pragmatici, Pontifex significavit tantum patere Abbatis iurisdictionem, quantum illius territorium.

Sed pressius notat procurator, obiecta verba non posse traduci in sensum privilegii restrictum, quia verba illa « per terras tui monasterii » alias concessiones respiciunt - ibi - « Concedentes— ut tam tu quam successores tui per terras tui monasterii habitas et habendas, libere possis ecclesias construere, cum cruce signare etc. ». Si congrua congruis referantur, arguit orator, haec specialia sunt, quibus aptari potest peculiare illud adiunctum « per terras tui monasterii ».

Alia quae sequuntur verba, iuxta patronum, plenitudinem totius iuris ordinarii conferunt, nullius limitibus se-

ptam vel rerum, vel etiam loci, quae implicite complectitur ius confirmationis ministrandae. Qua in privilegii parte quaestionem conficere arbitratur procurator hac brevi animadversione. Pontifex universam Episcoporum potestatem in cavenses Abbates contulit, tribus solummodo iuribus exceptis, ut initio animadverti. Ex hac trina vero exceptione quid sit in iure definiendum, respondet pro cavensi Praesule Rota in *cit. Marsicana num. 7* - ibi : - « In eodem brevi Urbano transferente iurisdictionem in Abbatem excipitur collatio ss. Ordinum, confectio chrismatis et consecratio basilicarum et altarium, quae cum exerceri non possint nisi ab habentibus iura episcopalia, ab hac exceptione aliquorum iurium episcopalium infertur alia omnia eiusdem generis quae exceptuata non fuerunt, Abbatibus fuisse concessa ».

Hactenus de privilegii interpretatione iuxta Urbani literas, quae, ait orator, peculiarem huius sacramenti mentionem non fecerunt. Sed aliae prostant Literae Gregorii XIV, in quibus non modo mentio fit confirmationis, sed ius - conceditur « praesertim conferendi sacramentum chrismatis ». Accedit quod Gregorianum privilegium nititur S. C. Congregationis sententia : quod hanc sententiam sanciverat Xistus V 16 kal. Septembris, Pontificatus sui anno sexto ; et quod uterque Pontifex perinde omnia probavit, ac si ex integro conceptis verbis constituerentur « approbatione, adiectione, suppletione, concessione »,

Inspecta vero privilegii litera, recolit patronus in narratione dicit Abbates perpetuo « sacramentum chrismatis contulisse ». Mox in iudiciis de hac facultate praehabitis adiicit « probata fuerant privilegia, immunitates, gratiae, facultates et indulta, praesertim conferendi sacramentum chrismatis » et nihil de conditionibus, praeter unam quae sequitur « dummodo illud foret prius per catholicum antistitem, gratiam et communionem dictae sedis habentem consecratum ». Ubi concessio rursus definitur, haec verba leguntur : « Nec non sacramentum chrismatis per catholicum

Antistitem, gratiam et communionem dictae sedis habentem, consecratum conferre ».

Hisce in iure enucleati s, descendit procurator ad facti momenta.

Et in primis narrat, vi Bullae Leonis X divisum fuisse Abbatiae territorium ; et hinc novus Episcopus ordinario iure omnimodam iurisdictionem nactus est in civitate : Abbas autem antiqua iura integra servavit in omnibus quae novae dioeceseos erectioni non repugnarent, per transactionem initam cum Cardinali de Aragonia, hisce verbis « quod per huiusmodi erectionem et assignationem nullum penitus inferatur praeiudicium libertati et exemptioni, quas dictum Monasterium de praesenti habet, quin imo potiantur suis omnibus et singulis iuribus, privilegiis, immunitatibus et dignitatibus quibuscumque, etiam intra fines suprascriptos Cavenses, in his tantum quae suprascriptis iurisdictionibus et aliis praedictae ecclesiae cathedrali concedendis non repugnant, et in eorum diminutionem non tendunt. Extra vero praedictum territorium indistincte et indifferenter in omnibus et per omnia sit et remaneat dictum Monasterium, sicut de praesenti est, et perinde ac si suprascripta assignatio et praesens conventio nunquam facta fuisset ». Et haec omnia Leo X apostolicis Literis sancivit. Omnino hoc exploratissimum est, instat orator, consuetudinem circa huiusmodi facultatem Abbatis Caven, excedere hominum memoriam. Duobus ab hinc saeculis « Abbas Cavensis plures moniales civitatis Salerni, de licentia eiusdem Illmi Antistitis, sacro chrismate insignivit ». Tum de eadem dioecesi exacto saeculo testimonium edidit Salernitanae ecclesiae canonicus, antea vicarius generalis, ac deinde capitularis « più volte diede licenza alii rmi Padri Abbati pro tempore di conferire il sacramento della cresima alle signore monacande, ed altri di detta città ».

Refert vero orator, hunc morem praecipue vigere in dioecesi Cavensi, in Salernitana, in Murana (Muro Lucano), in Amalphitana. Si autem verba delegationum attendantur, de-

prehenditur perinde Abbates accerseri, ac si frequens esset usus, ut in epistola num. 13 Summ. « Comunico a V. E. anche in iscritto tutte quelle facoltà che altra volta le comunicai » (n. 5) « confermando quanto Le ho detto altra volta, potrà avvalersi sempre della facoltà di amministrare il detto sagramento » (n. 9). « Perdoni la continua noia che Le procuro etc ». Praeterea, superiori anno, cum « Abbas ordinarius salernitanum Archiepiscopum adivisset eius invitatu, in eius privato oratorio uni ex eiusdem subditis sacramentum chrismatis contulit ». Idemque triginta fidelibus praestitit in privato sacello Cavensis Episcopi, « ex eiusdem invitatione ».

Ipse vero Abbas suis litteris animadverterat : « Notisi che gl'inviti più recenti non sempre furono fatti per lettera, ma più volte solo personalmente e verbalmente ». Ipse Pontifex vero, arguit orator, quamvis quaestionem in iure definiendam non censeret, semel nihilominus atque iterum possessionem interea servandam esse iussit, ut Vir emus publicis Status negociis Praefectus testatur : « Allorché trattossi di concedere a V. S. la stessa facoltà di cui godeva il suo Predecessore, di buon grado il Santo Padre aderì a tale richiesta, e la autorizzò ad amministrare il sagramento della Cresima, anche fuori del suo territorio, col consenso dell'Ordinario. Questa concessione però è temporanea etc ».

Huiusmodi morem fuisse inductum ob fidelium utilitatem, docet ipse Abbas, explicans conditionem locorum.

Deinde Praesul geometrae peritissimi testimonium edidit, unde liquet quindecim oppida in illa regione longe amplius a Sede Sarnensi distare quam a monasterio. Ita factum est ut assidua Abbatum frequentia proximis in locis etiam Salernitanos Archiepiscopos alliceret ad eos accersendos commoditatis causa, cum Hospitium Abbatis et Cellerarii sit « meno di un miglio distante da Salerno ».

Proinde deducit advocatus, si hic mos prohibeatur, magnam iacturam passuros esse fideles, ipsosque Abbates offensiones et populi accusationes incursuros fore.

Quum vero obiici possit annis 1892 et 1894 Abbates ipsos in discrimen adduxisse hanc facultatem in alienos, quia illam a Pontifice postularunt, advertit patronus, Abbatem Morcaldium nihil negavisse, imo usum confirmari petiisse « per tranquillare la sua coscienza » ; et in propositum citat auctoritatem Rotae in *cit. Marsicen. :* **« Sicut nec aliqua vis fieri potest in supplici libello porrecto de anno 1620 f. m. Paulo V, in quo fuit ab Abbate petita licentia concedendi dimissorias et conferendi ordines, quasi ex hoc inferatur talem licentiam prius non habuisse ; siquidem hoc totum petitum fuit ad bene esse, et quia, ut dicitur in dicto supplici libello « da alcuni scrupolosi si fa difficoltà se l'Abbate possa dare dette dimissioni etc. ». Si itaque facultas haec petita fuit a Pontifice ad tollendos scrupulos, difficultatem et occasionem litium, ex hoc elici non potest aliqua confessio Abbatis super talis facultatis deficientia. Verba enim quae ad bene esse et ad maiorem cautelam proferuntur, non praeiudicant ». Rota in** *Rec. dec. 212 n. 12,* **et** *dec. 320, n. 47, par. 6.*

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. **In primis ne aequivocationi fiat locus, innuere praestat magnum quod intercedit discrimen inter Abbatis potestatem** *ad confirmandum* **delegatam, et aliam Episcoporum ordinariam. Siquidem Episcopi confirmationis Sacramentum conferunt** *ex potestate ordinis,* **alii simplices sacerdotes ex potestate** *iurisdictionis* **a Summo Pontifice** *delegatae.* **Ad rem Benedictus XIV in** *op. De Syn. dioec. lib. 7, c. S, n. 7 (sub. med.)* **ait: «... quamvis confirmare sit actus ordinis episcopalis, cuius firmitas et validitas a Pontificis nutu non pendet,** *delegare tamen simplici presbytero potestatem exercendi eiusmodi actum, potius ad iurisdictionem quam ad ordinem pertinet etc.* **». Rem ita conficit Card. D'Annibale** *(III. n. 282).* **« Minister ordinarius huius Sacramenti est Episcopus et ex delegatione (penes Latinos solius Romani Pontificis) quivis presbyter. Ille hoc sacramentum confert ex ordinis cum primis episcopalis, hic cum primis ex iurisdictionis potestate ;** *ideo-*

que valide hic (simplex sacerdos), *si non excedat fines mandati nec quoad territorium, nec quoad personas, nec quoad modum : ille* (Episcopus) *omnibus et ubique, sed si extra suum territorium, gravi non caret* ». Hoc consectarium rem nostram quod spectat^ probe advertere iubet, ne Abbas Caven, confirmando alienos in aliena dioecesi etsi ex Episcoporum venia, *limites mandati excedat* et hinc *invalide* agat.

Quamobrem in propositum fortior urget difficultas quam iniiciunt ea verba Constitutionis Urbani II concedentis iurisdictionem utendam « *per terras tui monasterii habitas et habendas* ».

Ceteroquin Abbati qui territorium habet immune a iurisdictione cuiusque Ordinarii sane conferenda erat potestas confirmandi suos et alienos subditos in suo territorio ; sed quoad alienos in alieno territorio aliter res se habet. Namque Abbas qua simplex Sacerdos est minister confirmationis *extraordinarius,* tantum a Summo Pontifice delegandus ; sed aliqua gravi instante causa. Sane docet Benedictus XIV *op. cit. I. 13, cap. 15, n. 1:* « Quare omnis difficultas eo redigitur, ut iusta ratio et causa proponatur, ob quam dispensatio sive indultum concedi merito possit. *Neque enim extraordinarii ministri expetenda est opera, ubi minister Ordinarius per se ipsum, agere valet* ».

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An Abbati Nullius SSmae Trinitatis Cavensis competat ius confirmandi alienos subditos in aliena dioecesi ex Episcoporum consensu in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 11 Decembris 1897, censuit respondere : *Negative.*

DUBIA quoad Missae binationem.

Emi Patres: Post Benedictinam Constitutionem ***Declarasti Nobis,*** communis esse videtur theologorum sententia, qua necessitatis casus ad Missam eodem die iterandam is in praxi reputetur, quo presbyter duas paroecias habet et in alterutram nequeat populus convenire, nec alius praesto sit sacerdos, praeter parochum, qui Missam valeat celebrare.

Nec absimilis ad hunc effectum reputatur etiam casus, quo parochus, etsi minime praesit duabus paroeciis, vel duos regat populos adeo inter se dissitos, ut alter ipsorum parocho celebranti nullatenus adstare valeat ob maximam locorum distantiam, vel tametsi una tantum sit ecclesia in qua Missa a parocho iteranda sit, universus tamen populus in ea simul adesse non possit.

Nunc autem, cum ad Malacitanam sedem nuper translatus fuissem, consuetudinem inveni, vi cuius aliqui sacerdotes diebus festis bis Sacrum conficiunt: semel in ecclesia cuiusdam civitatis, ubi et alii adsunt sacerdotes, et diversa sacra templa, paroeciae, et sanctimonialium monasteria erecta inveniuntur; et iterum in oratorio suburbano vel rurali.

Item, aliquis sacerdos rem divinam iterato facit vel in eadem civitate, et fortasse in ipsamet ecclesia in qua etiam alter celebrat sacerdos.

Pro huius binationis causa adducitur paucitas sacerdotum; convenientia distinctae celebrationis horis distinctis, ut commoditati fidelium fiat satis; nec non et necessitas celebrandi Missam parochialem in paroeciis, et conventualem in monasteriis.

Cum igitur de huius agendi rationis liceitate dubitem, ad hanc Sacram Congregationem confugio, dubiaque mea et postulationes admodum reverenter exponam:

I. An liceat Episcopo licentiam binandi concedere presbytero unam Missam celebranti in oratorio suburbano vel rurali, aliam vero in civitate vel loco ubi etiam adsint alii sacerdotes Sacrum facientes?

II. An liceat huiusmodi licentiam concedere presbytero ambas Missas celebraturo in diversis ecclesiis eiusdem civitatis vel loci, in quo et alii sacerdotes celebrant, et hoc etiam si una ex Missis celebranda sit in ipsa ecclesia in qua et alius sacerdos sacrosanctum Sacrificium eadem die litat?

III. An expediat Episcopo Oratori ob expositas rationes et allatas causas huiusmodi licentiam et agendi rationem confirmare: et etiam ad similes casus, in aliis locis et civitatibus suae dioecesis, prout necessitas expostulet, extendere?

Haec dum ab hac S. C. cum debita reverentia expostulo, et quaero, Emtiis VV. cuncta fausta et prospera in Domino apprecor.

Malacae, die 25 Aprilis anni 1897.

IOANNES, EPISCOPUS MALACITANUS.

RESPONSIO S. CONGREGATIONIS. Rme Dñe. Relatis in S. C. Concilii postulatis a te propositis in litteris die 25 Aprilis p. p. circa facultatem binandi, Emi Patres rescribendum censuerunt: *Ad 1. 2. et 3 : Non licere; et Ordinarius, quatenus m aliquo ex enuneiatis casibus necessarium iudicet ut Sacrum iteretur, recurrat ad Apostolicam Sedem.* Idque notificari mandarunt, prout per praesentes exequor Amplitudini Tuae, cui me profiteor

Romae, 10 Maii 1897.

Uti fratrem:

A. CARD. DI PIETRO, *Praefectus.*

B. ARCHIEP. NAZIANZEN., *Pro-Secretarius.*

EPISTOLA Sacrae Congregationis Conciiii ad Ordinarios Italiae circa observantiam Decreti *«Vigilanti».* **(1)**

Non obstantibus perspicuis normis Decreti *Vigilanti,* datis ab hac Sacra Congregatione die 25 maii 1893 poenisque gravissimis in eodem sancitis ad cohibendam pravam quorumdam licentiam, qui ad ephemerides, libros, aliasque merces facilius cum clero commutanda, Missarum ope utebantur: non sine dolore rescitum est, saepe et in pluribus locis per Italiam, a librariis et mercatoribus, praesertim sacrarum supellectilium venditoribus, oblata fuisse et adhuc offerri libros aliasque merces pro Missarum celebratione.

Ex quo necessario deducitur quosdam esse qui in istorum

(i) Recole Vol. XXVI, 56.

manus congerant Missarum obligationes una cum respectiva eleemosyna, iisdem committendo curam eas obligationes adimplendi; a quibus proinde aperte violantur leges ecclesiasticae, speciatim salutaria Decreta *Cum saepe contingat* et *Nuper,* Urbani VIII et Innocenti XII, necnon praedictum Decretum *Vigilanti;* manifestum incurritur periculum ne Missarum celebratio oblivione negligatur, aut saltem nimis retardetur, neve disperdantur eleemosynae, praeter casus maioris adhuc culpae aut malitiae.

Praeterea, ex repetitis mercatorum vetitis invitamentis aperte demonstratur sacerdotes esse non paucos qui, vel circa verum legis sensum decepti, vel supposititiis indultis confisi, huiusmodi illicito commercio se faciles praebent[1], non advertentes a Decreto *Vigilanti* gravissimis poenis plecti utramque partem, nempe et dantem et accipientem pro Missis mercem quamcumque.

Quamvis autem haec S. Congregatio casibus sibi delatis pro posse suo providere curavit, haec tamen satis non esse habita sunt ad impediendam et reparandam tam gravem deordinationem, unde necessarium visum est hac super re animum Ordinariorum Italiae speciali modo revocare.

Quapropter hac praesenti epistola circulan precor Amplitudinem Tuam, ut monere curet istius dioecesis clerum, et alios quoscumque, qui in hoc deplorando commercio partes habere aut se complices exhibere, suo iudicio, possent, ad hoc ut deinceps a quocumque actu huiusmodi omnino abstineant, secus incurrant poenas a Sanctissimo Domino Nostro Leone P. XIII in decreto *Vigilanti* sancitas, et quoad praeteritum, conscientiae suae, si oportuerit, provideant; item meminerint quod si haec Congregatio quadam benignitate usa est, in casibus determinatis, ut facilius clerus nomen det certis catholicis ephemeridibus benemeritis!, quoad existentiam, durationem et modum indultorum huiusmodi quisque ad Ordinarium se referat, secus in se assumet quaecumque etiam in hoc speciali casu ex violata lege cuique obvenire possunt.

Certus sum quod Amplitudo Tua, eo quo praestat zelo, huius Sacrae Congregationis sollicitudini obsecundans, quemcumque abusum, si quis adhuc sit, in ista dioecesi, extirpare et scandalum quodcumque praevertere valebit, in re tam gravi, sacra et fidelium conscientiae reverenda, prout est sanctum Missae sacrificium.

Datum ex Secretaria S. Congregationis Concilii, die 28 augusti 1897.

A. CARD. DI PIETRO, *Praefectus.*

L. * S.

B. ARCHIEPISCOPUS NAZIANZENUS *ProSecr.*

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

DECRETUM quo statuitur facultates habitualiter concessas non perire morte Ordi* nariorum, quibus concessae fuerunt.

Feria IV, 24 Novembris 1897.

In Congregatione Gen. S. Rom. Univ. Inquis. habita ab Emis ac Rmis DD. Card. in rebus fidei et morum Gen. Inquisitoribus, iidem Emi Patres, rerum temporumque adiunctis mature perpensis, decernendum censuerunt: Supplicandum SSmo, ut declarare seu statuere dignetur, facultates omnes speciales, habitualiter a S. Sede Episcopis aliorumque locorum Ordinariis concessas, non suspendi vel desinere ob eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad successores Ordinarios transire ad formam et in terminis decreti a Sup. hac Cong. editi die 20 Februarii 1888 quoad dispensationes matrimoniales.

Insequenti vero feria VI, die 26 Novembris 1897, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de his omnibus SSmo D. N. D. Leoni Div. Prov. PP. XIII. relatione, Sanctitas Sua Emorum Patrum resolutionem approbavit, atque ita perpetuis futuris temporibus servandum mandavit, contrariis non obstantibus quibuscumque.

I. CAN. MANCINI, *S. R. et U. Inq. Notarius.*

POSTULATUM circa matrimonia ineunda ab impiis viris, qui dicuntur *liberi pensatores.*

Feria III, loco IV, die 25 Maii 1897.

In Relatione Status Ecclesiae Tabascensis, exhibita S. Congregationi Concilii die 27 Novembris 1896, sequens legitur sub num. I. *Postulatum:*

« His in Regionibus frequenter occurrit, ut viri impii, vulgo *liberi pensatores,* matrimonium inire cupientes cum mulieribus catholicis, praeviam confessionem facere renuant, eo quod, ut explicite fatentur, fidem Sacramenti Poenitentiae corde incredulo reiecerunt et totam fidem negaverunt. Peto an hi, infidelibus deteriores, debeant aut possint admitti ad contrahendum matrimonium, cum magno mulieris catholicae et familiae detrimento et periculo ».

Cum hoc Postulatum transmissum fuerit ad hanc Supremam S. R. et U. Inquisitionem, in Congregatione Generali habita ab Eminentissimis et Reverendissimis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Eminentissimi ac Reverendissimi DD. responderi mandarunt:

Supplicandum SSmo., ut in Decreto Feriae IV. die 30 Ianuarii 1867.

Feria vero IV die 26 eiusdem mensis Sanctissimus, per facultates Eminentissimo Cardinali S. R. et U. Inquisitionis Secretario concessas, benigne annuit pro gratia.

Porro citatum Decretum fer. IV. diei 30 Ianuarii 1867 sic se habet:

« I. Quid agendum quando vir baptizatus, sed apostasiam a fide verbis et corde profitens, asserensque nominatim se non credere Sacramentis Ecclesiae, petit matrimonium coram eiusdem Ecclesiae facie unice, ut desiderio sponsae satisfaciat?»

« II. Quid si idem vir petit sectae condemnatae muratorum vel simili addictus, qui licet fidem non omnino amiserit, sectae tamen debite renunciare recusat?»

« III. Quid si idem postulat vir, qui fidem non abiecit, sed eam profiteri, officiaque christiana adimplere abnuit? »

Responsum fuit: Ad I. « Quoties agatur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram, quae a fide ita defecit, ut alicui falsae religioni vel sectae sese adscripsere, requirendam

esse consuetam et necessariam dispensationem cum solitis ac notis praescriptionibus et clausulis. Quod si agatur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram, quae fidem abiecit, at nulli falsae religioni vel haereticae sectae sese adscripsit, quando parochus nullo modo potest huiusmodi matrimonium impedire (ad quod totis viribus incumbere tenetur) et prudenter timet ne ex denegata matrimonio adsistentia grave scandalum vel damnum oriatur, rem deferendam esse ad R. P. D. Episcopum, qui, sicut ei opportuna nunc facultas tribuitur, inspectis omnibus casus adiunctis, permittere poterit, ut parochus matrimonio passive intersit tamquam testis *authorizabilis*, dummodo cautum omnino sit catholicae educationi universae prolis aliisque similibus conditionibus».

Ad II. « Dandum esse Decretum diei 28 Iunii 1865, quod est huiusmodi: *Quoad matrimonia, in quibus una contrahentium pars elandestinis aggregationibus per Pontificias Constitutiones damnatis adhaeret, dummodo absit scandalum, Ordinarius habita circumstantiarum ratione pro casibus particularibus, ea decernat quae magis expedire iudicaverit ».*

Ad III. « Consulat probatos Auctores, et praesertim Benedictum XIV *De Sgnodo Dioeces.* L. VIII, Cap. XIV, n. 5 ».

I. Can. MANCINI S. R. et U. Inquis. Not.

Quid intelligendum sit per dictionem *per modum potus* **in dispensationibus ieiunii naturalis.**

Beatissimo Padre.

N. N. prostrato ai piedi della S. V., umilmente espone che egli ottenne a causa di cronica malattia la facoltà di prendere qualche ristoro, *per modum potus*, prima della Comunione. Aggravatosi vie più il suo male, e non bastandogli solo delle bevande, supplica la S. V. che si degni permettergli anche qualche cosa di solido per sostentarsi. Che ecc.

Feria III. loco IV, die 7 Sept. 1897.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab Eminentissimis et Reverendissimis DD. Cardinalibus, in rebus

fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Eminentissimi ac Reverendissimi Patres rescribendum mandarunt :

Respondeatur ad mentem, ut in Abellinen. 4 Iunii 1890 — « La mente è che quando si dice *per modum potus* s'intende bensì che si possa prendere brodo, caffè, od altro cibo liquido in cui sia mescolata qualche sostanza, come p. e. semolino, pan grattato ecc. purché l'insieme non venga a perdere la natura di cibo liquido ».

Feria vero VI. die 10 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita facta de his omnibus SSmo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SSmus resolutionem Eminentissimorum Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI S. R. et U. Inquis. Not.

Quoad sepulturam dandam membris humanis amputatis.

Beatissime Pater.

Superiorissa Generalis *Sororum a Matre Dolorosa,* quarum Domus matrix Romae extat, devotissime exponit, in Hospitalibus Congregationis, quae in America Septentrionali exstant, singulis hebdomadibus evenire, ut unius vel alterius aegroti brachium seu crus amputetur. Sorores adhuc bona fide eiusmodi membra recisa sive in terra profana sepelierunt, sive suadente medico, igne combusserunt. Quum vero humilis Oratrix anxia haereat, num Sorores in hac parte recte egerint, devotissime quaerit, utrum eiusmodi agendi ratio etiam in futuro prosequi possit vel non : sive agatur de aegrotis catholicis', sive de acatholicis seu infidelibus. Iuvat forsan adnotare eiusmodi membrorum sepulturam in aliquo coemeterio saepissime moraliter et haud semel physice impossibilem evadere. Et Deus etc.

Feria III. loco IV. die 3 Augusti 1897.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab Eminentissimis et Reverendissimis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascri-

ptis precibus praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres rescribendum mandarunt:

Quoad membra amputata acatholicorum, Sorores praxim suam tuto servare possunt. Quoad membra amputata fidelium baptizatorum, pro viribus curent ut in loco sacro sepeliantur. Sin vero graves obstant difficultates quominus in loco sacro condi possint, circa praxim hucusque servatam non sunt inquietandae. Quoad membrorum combustionem, praecipientibus medicis, prudenter dissimulent et obediant. Et ad mentem. — « Mens est quod, si fieri potest, in proprio horto domui adnexo deputetur aliquod parvum terrae spatium, ad sepelienda membra catholicorum amputata, postquam fuerit benedictum ».

Feria vero VI die 6 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de iis omnibus SSmo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII. relatione, SSmus resolutionem Eminentissimorum Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI S. R. et U. Inquis. Not.

An Episcopi qui dispensare valent ab abstinentia in diebus magnae solemnitatis» id etiam possint quoad dies veneris et sabbati adventus.

Beatissime Pater.

Per Decretum S. R. et U. Inquisitionis diei 5 Decembr. 1894 Sanctitas Vestra locorum Ordinariis concessit facultatem anticipandi atque ob gravissimas causas dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae, quando festum sub utroque praecepto servandum Patroni principalis aut Titularis Ecclesiae inciderit in ferias sextas aut sabbata, per annum excepto tempore Quadragesimae, diebus Quatuor Temporum et Vigiliis per annum ieiunio consecratis.

Iam vero in Hispania, per Decr. S. R. C. diei 2 Maii 1867 nonnullae Vigiliae ieiunio consecratae per annum abrogatae fuerunt, et ieiunium translatum in singulas ferias sextas et sabbata Sacri Adventus. Quare infrascriptus Archiepiscopus Compostellanus humillime petit, ut Sanctitas Vestra declarare dignetur utrum Ordinarii, vi Decreti 5 Decembris 1894, anticipare possint, vel etiam ob gravissimas causas dispensare a lege ieiunii et abstinentiae in Feriis sextis et Sabbatis Adventus.

Feria IV, die 15 Decembris 1897.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab Eminentissimis et Reverendissimus DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Eminentissimi ac Reverendissimi Patres rescribendum mandarunt :

Negative.

Subsequenti vero Feria VI, die 17 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Assessori impertita, facta de his omnibus SS. D. N. Leoni Div. Prov. PP. XIII relatione, SSmus resolutionem Eminentissimorum Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI S. R. et U. Inquis. Not.

EX 8. CONGREGATIONE STUDIORUM

Epistola Eminentissimi Cardinalis Praefecti S. Congregationis Studiorum ad Praesules Hispanos, in quorum dioecesibus erecta noviter sunt Pontificia instituta.

Eminentissime ac Reverendissime Domine :

Quum iam favente Deo, haud levibus superatis difficultatibus et nullis omissis curis et studiis', per hanc Sacram Studiorum Congregationem decem iam sint erecta Pontificia Instituta, iuxta diversas Hispaniae regiones, mei muneris est, antequam novi scholaris anni sub statutorum regimine instaurentur cursus, nonnulla ex Summi Pontificis mandato, Amplitudini Tuae communicare, ut clarius Sacrae Congregationis mens innotescat, et nobilissimi plenius attingantur fines, quos eadem Sanctitas Sua Sibi proposuit in ipsis erigendis Institutis.

I. Mox adveniente mense octobri ad normam Instructionis sub die 30 iunii 1896 ab hac Sacra Studiorum Congregatione datae, antiqua cessat studiorum ratio penes Instituta, Auctoritate Pontificia erecta, ac in suum transeunt plenum vigorem Statuta ab eadem Sacra Congregatione pro singulis Institutis

approbata una cum recenti studiorum ratione in eisdem Statutis praescripta.

Firma Summi Pontificis voluntas est ut pro Theologia « *Dogmatico-scholastica* » *Summa Divi Thomae* ceu textus adhibeatur : pro Theologia vero *Dogmatico-positiva* illi praeferri debeant magnae notae auctores, qui Bellarmini more quaestiones ampla ac profunda ratione pertractent.

Hinc vetantur omnino compendia vel summulae theologicae, prouti Instituta decet more universitario erecta.

Plena item et *ampla commendatur Sacrae Sripturae expositio,* ita ut Professores super recentioribus melioris notae auctoribus (ex. gr. *Patrizi, Cornely* et *Vigouroux)* in duas partes studium Sacrae Scripturae dividant: 1. SS. Bibliorum amplectatur Criticam Hermeneuticam et Exegesim ; 2. Introductionem ad universam Scripturam ac de nonnullis S. Scripturae libris commentaria.

Pro *Iuris Canonici* facultate compendia item vetantur : sed ius canonicum *in ipsis fontibus ample est exponendum,* hoc est in *Decretalium libris* et subsequentibus Pontificum Constitutionibus vel Conciliorum Decretis, quin praetermittantur praecipuae iuris civilis quaestiones, alumnis pro opportunitate exponendae : hinc valde commendandum ut alumnis secundi et tertii anni, quum ipsis tempus non desit, imo satis suppetat, praeter duas per diem praelectiones textus canonici alterna bis saltem in hebdomada habeatur lectio de iure romano ac patrio, et de historia et de philosophia iuris.

Quod *Philosophiam Scholasticam* respicit, melioris notae auctores exponendi sunt, qui scholasticorum systemata et doctrinas D. Thomae proprius sequantur ac plene philosophicas quaestiones exponant. Hinc saltem semel in hebdomada a Professoribus lectio fiat super *Summa Philosophica* vel super *Quaestionibus Disputatis Angelici Doctoris.* Solida est etiam alumnis comparanda institutio in affinibus disciplinis Philosophiae rationalis, cui potiores partes, ut clericos decet, dari debent.

II. Prae oculis interim habeant Institutorum Moderatores et Magistri, praescriptam studiorum rationem ita cum privilegio conferendi gradus intime connecti, ut nisi fideliter servetur et amussim in executionem deducatur, una cum omnibus quae in Statutis praescribuntur, privilegium ipsum, ut patet, suspensum censeatur, gradusque collati prorsus nulli sint habendi.

III. Dispositiones, quas hucusque Sacra Congregatio concessit clericis, qui penes Instituta studia non compleverint, novo adveniente scholari anno cessabunt omnino, ita ut biennii lex pluries ab hac Studiorum Congregatione decreta et a Summo Pontifice semper confirmata, nedum pro Hispania, sed pro Catholicis omnibus Universitatibus per orbem erectis, strictim servanda sit, rarissimis et extraordinariis, exceptis casibus, in quibus a Sacra Congregatione tantum dabitur dispensatio.

Verum hac prima erectionis periodo transitoria, hoc est a mense octobri huius labentis anni 1897 usque ad totum mensem septembris 1898, ne alumnis eorumque familiis damnum afferatur, facultas fit Magnis Cancellariis eos ad examina pro licentia admittendi alumnos, qui S. Theologiae cursus in omnibus Hispaniae Seminariis rite expleverint : S. Theologiae inquam tantummodo, non vero Philosophiae vel Iuris Canonici ; in duabus enim istis disciplinis haud constat fuisse alumnos iuxta antiquam studiorum rationem sufficienter instructus, prouti iure suspicari fas est in S. Theologia, cuius studio solidos septem annos eadem Studiorum ratio in Seminariis adhuc vigens praescribit.

IV. Pro gradibus in novem Pontificiis Institutis rite collatis, reciproca et mutua admittenda est validitas et recognitio, ita ut gradus in uno adepti, ab aliis validi habendi sint Institutis.

Quin immo firma voluntas Summi Pontificis est, a qua nullo modo recedendum esse mandavit, ut gradus quos heic Romae vel alibi penes Catholicas Universitates vel Pontificia Instituta clerici hispani adepti fuerint, omnino validi in Hispania censendi sint, quin nova ad effectus canonicos egeant revalidatione vel confirmatione, nec ad eorum validitatem novae sint expensae vel taxae exigendae.

Huiusmodi gradus revalidandi abusum, quem in nonnullis Seminariis, vulgo dictis Centralibus, invectum fuisse refertur, Sanctitas Sua omnino reprobat et damnat, pro alumnis praesertim qui in spem Ecclesiae heic Romae succrescunt penes Hispanicum Collegium, cui in ipsis initiis mortale vulnus inferretur ab iis, quorum potissimum curis, studiis et expensis Collegium ipsum, iuvenibus ingenio, diligentia et pietate praestantibus florescere in dies sub ipsius S. Pontificis auspiciis, vehementer Urbs tota laetatur.

V. Mens huius Sacrae Congregationis est, ut nova Pontificia Instituta non opus tantum censenda sint Archidioecesim, in quibus erecta sunt, sed potius totius Provinciae ecclesiasticae et Dioecesium Suffraganearum commune negotium et opus, in commodum nempe clericorum, quibus penes singulas diversas et inter se dissitas regiones centrum praesto est ad altiora studia excolenda. Hinc Sanctitas Sua Archiepiscopos et Episcopos enixe commendandos per Sacram hanc Congregationem voluit, ut in conventibus, qui pro negotiis dioecesanis exsolvendis quotannis habentur, negotium non praetermittatur praestantissimum studiorum : et ardens Pontificis votum est, ut, collatis inter se consiliis, Antistites curas omnes impendere satagant ad promovendum, opportunis provisionibus, Institutorum decus et incrementum.

Faxit Deus, et Immaculata Verbi Mater, nec non Patroni omnes, quibus Instituta dicata sunt, validis precibus hoc impetrent ab Ipso Sapientiae ac Veritatis Fonte, ut nempe quos consociata Archiepiscoporum actione haec Sacra Congregatio subivit et adhuc subitura est labores, felix coronet exitus, iactaque semina uberibus ac solidis cumulentur fructibus.

Hac firma nixus fiducia et spe peculiaris aestimationis meae sensus ex corde Amplitudini Tuae pandere pergratum habeo, cui omnia fausta et felicia adprecor a Domino.

Datum Romae die 15 septembris 1897.

F. CARD. SATOLLI, *Praefectus.*

L. * S.

IOSEPHUS MAGNUS, *Secretarius.*

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

Pro Orientalibus Christifidelibus in America Septentrionali.

Romana Ecclesia charitate Apostolica et suprema auctoritate sua sedulam vigilemque in eo iugiter operam posuit, ut Pastorum ac iura Fidelium tueri et confirmare niteretur. Quocirca Orientalium in America Septentrionali degentium potestatem recognovit proprium exercendi ritum, at simul ipsis subie-

ctionem debitam Latinis Ordinariis enixe commendavit. His duabus conditionibus praestitutis, plures postremis hisce annis, easque utilissimas normas 'edidit quibus eorumdem Fidelium bono prospiceret et pietatem foveret. Dolendum tamen est Orientales non paucos ob defectum Sacerdotum proprii ritus', spiritualibus auxiliis ferme destitutos manere. Quapropter ut eorum necessitatibus occurrere posset haec S. Congregatio plurium Episcoporum precibus permota (firmis ceteroquin manentibus praescriptionibus contentis in litteris circularibus editis die 1 octobris 1890 et 12 aprilis 1894, praesertim quoad mittendos in Americam dignos ac caelibes sacerdotes, et quoad subiectionem servandam erga Ordinarios Latinos) haec tria, Sanctissimo Domino Nostro Leone probante, decrevit:

I. Fidelibus Orientalibus Americam Septentrionalem confluentibus facultas esto, si libuerit, sese conformandi ritui Latino; regrediendum tamen ipsis erit ad ritum proprium simul ac in patriam redierint.

II. Orientalibus, qui verum et stabile domicilium in America Septentrionali constituerait, non permittatur transitus ad ritum Latinum, nisi obtenta in singulis casibus venia Apostolicae Sedis.

III. In provinciis Ecclesiasticis Americae Septentrionalis, in quibus multi sunt Fideles Rutheni ritus, Archiepiscopus cuiuscumque Provinciae, initis consiliis cum suis Suffraganeis, Sacerdotem Ruthenum caelibatu et idoneitate commendabilem deputet, et huius defectu Sacerdotem Latini ritus Ruthenis benevisum, qui super populum et clerum dicti ritus vigilantiam et directionem exerceat, sub omnimoda tamen dependentia Or. dinarii loci, qui pro suo arbitrio, facultates ei tribuat, quas in Domino expedire iudicaverit.

Contrariis quibusqumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus eiusdem S. Congregationis die 1 maii 1897.

MIECISLAUS CARD. LEDOCHOWSKI
S. *R.* C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS VECCIA, *Secretarius.*

EX 3. POENITENTIARIA APOSTOLICA

DUBIUM quoad dispensationem impedimenti consanguinitatis.

Beatissime Pater,

Ad Sacram Poenitentiariam nuper scripsi quod Carolus D..., 26 annos natus, et Iulia Ludovica M...., 23 annos et sex menses nata, dioecesis N..., pedibus S. V. provoluti, legitimum matrimonium contrahere cupientes, humiliter dispensationem implorabant super impedimento consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu. Causas afterebam: *aetatem oratricis fere provectam (scilicet 23 annos et 6 menses), et conditionem eiusdem parente utroque orbatae.*

Iamvero Sacra Poenitentiaria, sub die 19 Aprilis currentis, Ordinario N... facultatem dispensandi concessit ob sequentes rationes: *aetatem oratricis annorum 24, conditionem eiusdem orphanae.*

Hinc humiliter quaero an possim nihilominus cum oratoribus dispensare, quum oratrix vigesimum quartum annum non expleverit.

Et Deus....

Sacra Poenitentiaria, ad litteras Ordinarii N.... datas die 23 Aprilis huius anni, super dubio utrum rescriptum dispensationis matrimonialis oratorum Caroli D.... et Iuliae Ludovicae M.... possit idem Ordinarius exequi, cum inter causas legatur aetas oratricis annorum viginti quatuor, quamvis oratrix, ut expositum fuerat, annum vigesimum quartum nondum expleverit, respondet:

Cum alia adsit causa dispensandi, nihil obstare quominus praefatum dispensationis rescriptum executioni mandetur.

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria, die 28 Aprilis 1897.

A. CARCANI, *S. P. Reg.*

I. PALICA, *S. P. Substit.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

RESPONSUM quoad varios modos asservandi in Tabernaculo S. Pixidem.

Visis et expensis variis modis asservandi et claudendi in Tabernaculo Sacram Pixidem cum SS. Eucharistiae Sacramento, a Sacerdote Salvatore Barbara ad maiorem securitatem et custodiam excogitatis et Sacrorum Rituum Congregationi pro speciali approbatione exhibitis, eadem Sacra Congregatio, in particulari Coetu habito hac ipsa die, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit : *Finem inventorié esse laudandam, negotium vero, in casu et ad efectum de quo agitur, spectare ad locorum Ordinarios.*

Atque ita rescripsit, die 18 Martii 1898.

L.)$i S. D. PANICI «*S. R. C. Secretarius.*

DIOECESUM ITALIAE: Episcopi Italiae super dimissa Dioecesi fruuntur eisdem privilegiis etc. donec eandem administrent.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, attentis peculiaribus adiunctis, de speciali gratia ad beneplacitum S. Sedis valitura, benigne indulsit, ut Rmi Episcopi Italicae Regionis, qui, dimissa propria dioecesi ad aliam sive residentialem sive titularem transferuntur atque Apostolicam administrationem temporaneam prioris dioeceseos retinent, ibidem, durante tantum eiusmodi administratione, omnibus honorificentiis, privilegiis, indultis ac facultatibus frui valeant, quae iisdem, uti propriis Episcopis Ordinariis, competebant. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 25 Iunii 1897.

C. CARD. MAZZELLA *Ep. Praenestinus,*
S. R. C. Praefectus.

L. % S.

DIOMEDES PANICI *S. R. C. Secr.*

MELITEN.: dubia quoad privilegia canonicorum.

Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiae Melitensis, anno superiore, ex benignitate SS. Domini Nostri Leonis Papae XIII, fuerunt renuntiati Protonotarii Apostolici *ad instar.* Quum nonnulla sint exorta dubia tum quoad iuramentum et professionem fidei praescripta in Constitutione Pii Papae IX f. r. (1), quae incipit « Apostolicae Sedis officium », tum quoad privilegia, quibus, uti tales, gaudent; hinc Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro solutione proposita fuerunt, nimirum :

1. An debeant omnes iuramentum et fidei professionem emittere, ad tramites praelaudatae Constitutionis, et quatenus affirmative, penes quem ?

2. An quum titulus Protonotariatus Apostolici *ad instar* toti Corpori sit collatus, praefati Dignitates et Canonici functiones celebrantes extra Cathedralem et absente Capitulo, peragere possint pontificalia ?

3. An Indulto gaudeant Oratorii privati ?

4. An titulum retineat Canonicus, qui resignavit praebendam Canonicalem ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, propositis dubiis respondendum censuit: Servetur Constitutio f. r. Pii Papae IX, quae incipit « Apostolicae Sedis » data IV Calendas Septembris anno 1872, praesertim ad Num. XXIII. Atque ita rescripsit, die 18 Martii 1898.

CAMILLUS CARD. MAZZELLA *& R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI *S. R. C. Secretarius.*

MEXICANA: dubium quoad octavam Sanctissimae Trinitatis.

Rmus Dnus Prosper Iosephus Maria Alarcon Archiepiscopus Mexicanus a S. Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutionem humiliter efiïagitavit, nimirum :

Quum in Mexicana Archidioecesi ex benigna concessione Pii Papae VI, d. d. 5 Martii an. 1776 Octava Solemnitatis Cor-

(1) Constitutio haec relata fuit Vol. VII, 85.

poris Christi eodem gaudeat privilegio, quo Octava Epiphaniae Domini, et ex altera apostolica concessione Gregorii Papae XVI, per Decretum S. Congregationis de Propaganda Fide d. d. 20 Februarii an. 1831, Festum SSmae Trinitatis sub ritu duplici primae classis cum Octava celebretur; quaeritur: « An, attentis supradictis concessionibus RR. PP. Pii VI et Gregorii XVI, in Archidioecesi Mexicana cessare debeat Octava SSmae Trinitatis, adveniente festo cum Octava SSmi Corporis Christi ? »

Et sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, proposito dubio respondendum censuit : *Affirmative.* Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 5 Martii 1898.

CAMILLUS CARD. MAZZELLA, *S. R.* C. *Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

MEXICANA: dubium quoad Praefationem de Sanctissima Trinitate.

Rmus Archiepiscopus Mexicanus ad componendam quamdam controversiam inter nonnullos Sacerdotes suae Archidioecesis, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humiliter postulavit, nimirum :

An in Archidioecesi Mexicana, Dominica infra Octavam privilegiatam SS. Corporis Christi dicenda sit Praefatio de SSma Trinitate, prouti ex benigna concessione Gregorii Papae XVI tum Festi de SS. Trinitate, cum octava, tum Praefationis de eodem Mysterio recitandae supradicta Dominica infra Octavam Corporis Christi : quae tamen concessio facta fuit absque ulla mentione, sive in supplici libello sive in rescripto, concessionis de altero privilegio anteriori a Pio Papa VI eidem Archidioecesi collato, super Octava SS. Corporis Christi privilegiata ad instar Epiphaniae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, proposito dubio respondendum censuit : *Negative*, iuxta decretum in una *Mexicana* diei 5 Martii 1898. Atque ita rescripsit, die 26 iisdem mense et anno.

CAMILLUS CARD. MAZZELLA 5. *R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI «*S. R.* C. *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

IANUEN.

IURISPATRONATUS

Die 8 Iulii 1897.

Sess. 25, cap. 15, De reform.

COMPENDIUM FACTI. Ab humili loco - *Lavagna* - in Archidioecesi Ianuensi originem habuit nobilissima gens *Fieschi;* ex quo genere ortus est Innocentius Papa IV, qui anno 1243 ad suprema Ecclesiae gubernacula tractanda accessit. - Hic Pontifex ut suam familiam amplissimis privilegiis honestaret et S. Sedi arctius devinciret, per bullam - *Etsi universalis* - Ecclesias et plura beneficia loci - *Lavagna* - Apostolicae auctoritati immediate subiecit, et in iisdem, iuspatronatus constituit pro suis nepotibus, « *exclusis penitus mulieribus et descendentibus ab iisdem* ».

In praesenti controversia quaeritur an iuspatronatus, extincta *agnatione,* adhuc competat genti Comitum Fieschi in Ecclesiam archipresbyteralem *S. Mariae de Rivarolo,* quin de aliis beneficiis hodie quaestio moveatur.

In quod propositum dubitationis ratio non una est; *primo* enim controvertitur an Oratrici, nempe Marinae de Sanfront viduae comitis Thellung de Courtelary, pronepti Hadriani Cardinalis, ius patronatus adiudicandum sit; quamvis Pontifex Innocentius mulieres excluserit et descendentes ab eisdem, nimirum vocando *agnatos* ad institutum iurispatronatus privilegium. - *Secundo* - decernendum est, an bulla Innocentii IV - *Etsi universalis* - adhuc afficiat beneficium Archypresbyteratus S. Mariae de Rivarolo, idem reddens obnoxium iuripatronatus. - In Bulla sermo habetur *de quodam priore Ecclesiae S. Mariae,* sed nullimode constat hac appellatione comprehendi *Ecclesiam S. Mariae de Rivarolo.*

Nihilominus comites Fieschi in hanc Ecclesiam exercuerunt usque ad' nostros dies ius patronatus, a tempore quo Innocentius VIII a. 1485 Ecclesiae S. M. De Ri varólo auxit dotem per unionem unius ex canonicatibus Ecclesiae collegiatae SS. Salvatoris loci - *Lavagna* -. Ex hac accessione repetitur titulus iurispatronatus in dictam Ecclesiam, cui asseritur cum bonis adiecti beneficii onus accessisse 'atque adhaesisse huiusmodi servitutis scilicet iurispatronatus. - Interea huiusce canonicatus bona subiecta fuerunt usurpationibus litibusque pene munitis. Iam ob leges assis ecclesiastici eversi vas latas sub fine praeteriti saeculi a Gubernio Gallico, reditus canonicatuum Ecclesiae S. Salvatoris loci - *Lavagna* - adeo extenuati sunt ut amplius clerici in iisdem institui non potuerint, eamdemque Ecclesiam Comites Fieschi ex conventione *anni 1798* concesserunt utendam pro sacris functionibus Parocho ad S. Salvatorem, vulgo dictum *il vecchio* eiusdem loci - *Lavagna* -. Bona autem quae supererant ex diremptis beneficiis Ecclesiae S. Salvatoris continebantur in patrimonio Comitum Fieschi, quod ex testamento Hadriani Cardinalis assecutum est *Comes Alexander Negri de San front,* Cardinali nepos e sorore Maria Magdalena Fieschi, et Actricis pater.

Hic heres praetextu legum editarum *anno 1855* in regno Pedemontano, quibus patronis venia dabatur sibi addicendi omnia bona, hactenus constituentia dotem beneficii patronati, apud civilia tribunalia huiusmodi bona sibi mancipavit, neque pepercit reditibus Ecclesiae archipresbyteralis *S. M. de Bivarolo,* quos usurpare non dubitavit, sed sane incauto consilio. - Siquidem ipsae leges eversivae passae non sunt, ut paroeciarum bona diriperentur, sed haec sarta et tecta manere decreverunt. Quamobrem ipso civili iure fretus Archipresbyter Ecclesiae S. Mariae De Rivarolo in arenam iudicii descendit atque post plura discrimina litium superior discedit, atque suam Ecclesiam in pristinum habuit restitutam, quocumque emendato damno.

Alexander Negri Marinae pater obiit anno 1884; et

S. Mariae de Rivo Martyrum, nec non ex immemoriali possessione praesentandi ad dictum Archipresbyterale beneficium.

Controversam unionem, quod spectat, notat patronus, beneficium inferius superiori accessorie uniri, et speciem unionis esse quae *minus principaliter* fieri dicitur. Quo in casu beneficium vel Ecclesia superior appellatur matrix, et per hanc unionem cessat titulus beneficii, seu Ecclesiae inferioris, quae habetur ceu pars alterius, cui accessorie unitur. Hinc titulus servatur beneficii seu Ecclesiae principalis, et privilegia vel iura beneficii adnexi servantur in iis, in quibus non datur oppositio cum iuribus et privilegiis principalis beneficii. In casu autem oppositionis, cum pars maior ad se minorem trahat, praevalent iura et privilegia beneficii maioris. Quapropter, instat procurator, Archipresbyteratus S. Mariae de Rivo Martyrum, cui adnexa est animarum cura, traxit ad se canonicatum S. Salvatoris et Commendarli S. Lazari, atque propriam libertatem cum amittere non potuisset, libertatem dedit beneficiis iuris patronatus per ipsum factum unionis.

Hoc, notat orator, tam evidens est ut ipsa sententia Supremi Tribunalis civilis hoc perfracte edixerit.

Unde concludit patronus, huiusmodi unionem fuisse tituli *eoctinctivam*, et hinc ius patronatus ex tali unione evanuisse, quia beneficium principalius seu parochiale erat liberae collationis.

Dein orator descendens ad aliud controversiae punctum, docere contendit, oratricem sibi invocare non posse *praescriptionem* seu *usum immemorialem* iuris patronatus.

Ait enim advocatus, in facto non controverti usque ad obitum Cardinalis Fieschi, nobilem familiam ius praesentationis exercuisse. At Cardinalis ab anno 1858 ex hac vita migravit. Post mortem eius iterum atque iterum per plures successiones archipresbyterale beneficium collatum fuit tamquam liberum, absque oppositione, absque contradictione. Hinc deducit procurator, novam praescriptionem fere qua-

signìis quibuslibet ad veterem collegiatae 'praepositum spectantibus ».

Quapropter hodie quaestio versatur circa Ecclesiam S. Mariae *De Rivarolo,* cuius ius patronatus sibi arrogat Oratrix quippe comitum Fieschi cognata eorumque patrimonii heres. - Nam cum anno 1895 vacasset paroecia S. Mariae de Rivarolo, Comitissa de Santfron adivit Archiepiscopum Ianuen, ut sibi liceret clericum praesentare ad vacantem ecclesiam. Verum Archiepiscopus hoc ius ei amplius competere denegavit; quare oratrix ad S. C. C. confugit, ad sua iura pro tuenda ; et ideo controversia exhibetur sub hac dubitandi formula « *An constet de iure patronatus in casu ».*

Disceptatio Synoptica

ARCHIEPISCOPI DEFENSIO. Procurator qui nomine Ordinarii libertatem Ecclesiae defendit, in primis contendit, ex defectu tituli dotationis vel fundationis, Archipresbyteratum S. Mariae de Rivo martyrum liberae collationis declarandum esse. Ait enim, nullum proferri documentum ex quo huiusmodi ius comprobetur et in propositum revocat decretum Concilii Trid. *Cap. IX, Sess. XXV,* quo cautum reperitur, quod sicuti legitima patronatuum iura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est, sic etiam, ut hoc colore beneficia ecclesiastica in servitutem redigantur non esse permittendum. Et ut debita in omnibus ratio observetur, decernit S. Synodus titulum iurispatronatus ex fundatione vel dotatione ex authentico documento, aliisque iuris requisitis, ostendendum esse, superaddens in personis, in quibus id ius plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi potest, pleniorem et exactiorem probationem, ad docendum verum titulum, requirendam esse, neque immemorialem temporis probationem aliter suffragari. Ex adverso, ait orator, vult deduci in themate ius patronatus ex facto unionis unius Canonicatus S. Salvatoris et Rectoratus S. Lazari, Archipresbyteratui

filia ex animo dolens, a suo parente tot usurpationes perpetratas esse atque ipsum adeo avitum patrimonium foedasse, constituit omnem labem abstergeré compensando, quoad poterat, damnum Ecclesiae illatum, expetita venia a Sancta Sede, ut dignaretur oblatam compensationem ratam habere. Reapse ut piis oneribus faceret satis quibus bona hereditaria gravabantur, exsolvit libellas ad summam 176,276; -quarum 60,000 libellas retulit Archiepiscopo Ianuensi impendendas ad huius libitum in pium opus. Res universa eum voto Ordinarii pro congrua approbatione exposita fuit a S. C. C. Beatissimo Patri, et prodiit responsum *die 27 Aprilis 1885 « Sanctissimus benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta petita, adiecta tamen conditione, ut onera missarum si quae sint inhaerentia bonis, pro quibus or actrix summam libellarum sexaginta millium* (60,000) *brevi manu persolvit, fideliter adimpleantur arbitrio et conscientia Archiepiscopi etc ».*

Ex hac oblata libellarum summa, 44,000 attigit Ecclesia S. Mariae De Rivarolo in executionem sententiae iudicialis, quippe haec experta est tutelam legum civilium, uti expressimus.

Oratrix vero quum Ecclesiam SS. Salvatoris et hortum adnexum nec non privilegia antiquae praepositurae concesserit parocho ad SS. Salvatorem dictum *il vecchio*, beneficii expostulavit a Sacratissimo Principe ut Ecclesiae Parochialis ipsa suique heredes patroni renunciarentur, at hoc editum fuit rescriptum *die 2 Feb. 1892 « Attentis peculiaribus circumstantiis, dummodo, oratrix ecclesiam, eiusque adnexa, paroeciae in perpetuum concedat, aliaque peragat prout in precibus, SSmus benigne annuit pro gratia concessionis patronatus honorifici tantum, sine ullo iure nominationis ad paroeciam, quae idcirco quoties vacaverit, servatis de iure servandis, ut usquemodo etiam in posterum providebitur, arbitrio et conscientia Ordinarii, in cuius potestate insuper erit parochum SSmi Salvatoris titulo augere Praepositi meri honoris, seclusis scilicet iuribus, privilegiis, in-*

dragenariam ortum habuisse et praeexistentem usum irritum fecisse, neque amplius posse utiliter invocari immemorialem praescriptionem, quae viguit tantum usque ad obitum Hadriani Cardinalis.

Demum notat orator, Doctores omnes convenire iuspatronatus amitti posse per non usum longissimi temporis ad praescriptionem requisiti ; si videlicet interea duabus saltem vicibus Rector Ecclesiae fuerit absque praesentatione institutus. Abbas *Consil. 106 col. pen. lib. 6.* - Barbosa in *cap. 7 ex Litteris de iurep. n. 254,* et alii passim. Ratio est, ait Reiffenstuel, *lib. 3 Decr. tit. 38 n. 138,* quia sicuti alii, ita ipsa Ecclesia contra patronum et eius heredes praescribere potest.

Ulterius praescriptio haec libere conferendi Archipresbyterale beneficium potiori ratione repetenda est iuxta oratorem. In constitutione *Etsi universalis* Innocentii IV, qua ius patronatus Canonicatuum Collegialis Ecclesiae S. Salvatoris favore nobilium Comitum de Lavagna reservatum fuit, praesentatio *iuxta modum* facienda praescribebatur , scilicet Praepositi praesentatio facienda erat Romano Pontifici pro canonica istitutione, Prioris S. Lazari Praeposito S. Salvatoris, Canonicorum aliorumque clericorum Priori S. Lazari. Destructo Capitulo Collegialis Ecclesiae, eiusque Praepositura, destructo Prioratu S. Lazzari, ius quoque patronatus pro praesentatione Canonicorum evanuisse oportet cum exerceri non possit prouti ipsa lex fundationis exerceri mandavit.

Veniens ad aliam orationis partem procurator evincere studet, nullimode oratrici posse competere ius patronatus etsi adhuc vigeret ; et ob oculos ponit haec decretoria verba Const. *Etsi universalis ;* nempe: « praefatos nobiles et eorum descendentes de genere eorumdem ex masculis descendentes praedictarum ecclesiarum. . . . semper esse patronos, ita quod ad omnes communiter exclusis mulieribus et descendentibus ex eisdem. Praepositi et Canonicorum eiusdem Ecclesiae S. Salvatoris.... praesentatio plane spectet ».

Verba *exclusis mulieribus et descend entibus ex iisdem* urget orator, taxative a Pontifice proferuntur atque legem dicunt, ut omni sub respectu praeteriri non possint, cum clara sint mentemque constituentis clare demonstrent. Nam Constitutio *Etsi universalis,* prosequitur orator, edita tempore quo systema feudale stricte vigebat, mulieres earumque descendentes excludit ob rationes, quas refert Mantica *(De tac. et amb. lib. XXIII tit. XIII)* « sicuti feminae regulariter prohibentur in feudo succedere, ita etiam eius filii masculi intelliguntur prohibiti. . . quia filii carent principio producente, neque femina est agens aptum operari transmissionem. . . Unde exclusa matre excluduntur omnes, qui ab ea germina ntur, nam omne quod est ex radice sequitur naturam proprii genitoris ».

His praehabitis, urget advocatus, frustra pro viribus quaestio examinanda ex adverso proponitur, an ius patronatus *agnatitium* in ultimo de familia fiat *haereditarium.* Notat patronus hic non agi de iuspatronatus ex constructione vel dotatione reservato, sed de iurepatronatus ex privilegio, vel saltem cum mixtura privilegii tributo. Nam ipsa oratrix confessa est in supplici libello, Collegiatam SS. Salvatoris erectam fuisse a Pont. Caelestino a. 1193 absque reservatione iurispatronatus ; dein vero ab Innocentio IV, ratione privilegii iuspatronatus constitutum fuisse.

At etiam quoad iuspatronatus ex constructione vel dotatione vere derivans, haec deducit orator per auctoritatem De Luca *Disc. 33 n. 3 de iurep.* - ibi -: « Licet Geminianus, aliquos habens sequaces credat, ut facta reservatione iurispatronatus ad favorem familiae, post eam extinctam, illud cesset, atque ecclesia efficiatur libera ; attamen haec opinio magis communiter reiecta est, atque hodie absolute recepta contraria, quae antesignanos habet Anear, *cons. 81* Calderin. *Cons. 4 de iurep.* ut ab ultimo de familia transeat ad eius haeredes quamvis extraneos, et sic de gentilitio fiat haereditarium, nisi dictio taxativa seu alia verba vel circumstantia diversam dénotent voluntatem fundatoris vel

Ordinarii, qui cum hac lege approbaverit fundationem » Seraph, *dec. 364 n. 3 dec. 385 n. 1 par. 1 rec. Clusina benef. 5 Iulii 1649 cor. Bichio.*

Quia ex adverso verba Pontificis ab Oratrice intelliguntur quod *exclusae sint mulieres in concursu tantum agnatorum,* reponit advocatus, hanc interpretationem aperte vim facere verbis Pontificis, qui clarius loqui non potuisset ad reservandum tantum *agnatis* iuspatronatus ; quare concludit, interpretationem ab adversariis obiectam, esse nimis subtilem et hanc subvertere iuris dispositiones et errorem inducere.

Denique urget orator, ea perpetrata fuisse a patre Actricis ut iuspatronatus, etsi acquisitum, certe amissum fuisset. Constat enim comitem Sanfront Ecclesiae bona vindicasse, usurpationis legum favorem invocando. Constat, instat orator, actricem partem bonorum ecclesiarum iuris patronatus hereditasse quam ad praesens quoque possedit. Clara sunt ad rem decreta S. Concilii Tridentini in usurpatores bonorum ecclesiarum *(Sess. XXII, cap. XI de ref.)* - ibi « Quod si eiusdem Ecclesiae patronus fuerit, etiam iure patronatus, ultra praedictas poenas, eo ipso privatus existat ».

Quod ad compositionem vero ab Oratrice peractam cum venia S. Sedis, advertit patronus, compositionem petitam fuisse ad effectum se subtrahendi a censuris ecclesiasticis, haud ad effectum redotandi beneficia ecclesiastica cum reservatione iuris patronatus. Hinc ipsa Actrix confessa est iuspatronatus amisisse, iterum petens ex gratia, illud benignitate Apostolica impertiri.

DEFENSIO ORATRICIS. EX adverso Oratricis patronus, ut ius patronatus suae clienti vindicet, contendit quod ius patronatus dubio procul gentilitium fuit, et agnatitium cum exclusione feminarum quousque masculina sobóles viguit in gente Fieschia. Haec exaruit anno 1858 in obitu Cardinalis Hadriani Fieschi.

Ita interpretandam esse voluntatem Fundatoris Innocentii IV arbitratur patronus, quia in iure patronatus gentilitio etiam feminae succedunt *per posterius,* quoties *ma-*

sculi defecerint. Haec testatur Piton. *De cont. patr. all. 37 num. 7* - ibi - « Firmato ex praedictis quod agatur de patronatu gentilitio, et sine ulla mixtura qualitatis hereditariae, consequens est quod illud pro medietate pertineat ad Mariam filiam fundatoris, et pro alia medietate ad Annam Ritam, ex quo istae tantum supersunt ex descendentibus fundatoris, iuxta opinionem hodie amplius, non controversam, quod in iure patronatus gentilitio etiam feminae comprehenduntur per posterius, seu in defectum masculorum; Rota etc. »

Quia obiicitur hunc transitum admitti non posse quoties liquido constet de contraria voluntate fundatoris, reponit orator hoc verum esse, quando constet de voluntate fundatoris excludentis non tantum feminas propter masculos, sed ipsas feminas, masculis deficientibus. Quod definivit Rota in *dec. 667 num. 9 part. 18 t. 2 Rec.* - ibi - « Etiamsi ab initio exclusae fuissent feminae, quae nunquam presentasse dicuntur, adhuc talis exclusio intelligenda esset, extantibus masculis ab eadem familia, quibus deficientibus, Livia, etiamsi sit femina in alia familia nupta, quousque tamen vivit retinet agnationem, et est capax iurispatronatus gentilitii ».

Atqui instat advocatus, Innocentii dispositio ad tempus refertur quousque agnatio vigeat, nec de alio casu deficientium masculorum quidquam significavit - ibi - « Statuimus praefatos nobiles et eorum successores de genere eorumdem ex masculis descendentes praedictarum Ecclesiarum etc. semper esse patronos ita quod ad omnes communiter, exclusis penitus mulieribus et descendentibus ex iisdem. . . . praesentatio plene spectet ». Cuius contextus, iuxta advocatum , sententia est « descendentes masculi semper sint patroni ita ut (ita quod) feminae excludantur ». Unde patronus concludit feminas removeri propter músculos, quoties conveniant cum masculis, ad agnationem praeferendam.

Huiusmodi subsidiariae cognatorum successioni, arguit orator, duo aequitatis momenta favere. *Primum,* habetur

in ratione interpretandi successiones in iure patronatus quae lata est et favorabilis, ut Rota animadvertit in *Firmana capellaniae 1 iun. 1751 § 4¿ cor. Mattei* - ibi - « Huic restrictioni repugnat materia favorabilior iuris patronatus, quae tamquam indifferens laxiores remittit habenas, et operatur ut sola inspecta aequitate canonica, verba fundationis in suo sensu naturali, et quantum fieri potest late accipi debeant, ita ut pro comprehensione tam agnatorum quam cognatorum intelligenda veniant ».

Altera aequitatis ratio haec est, quod contra cognationem dimicant non agnati vel alii ad successionem adlecti, sed Episcopus : et dimicatio fit non ad servandam Pontificis constitutionem, sed ad extinguendam ; quod ab Ecclesiae aequitate penitus abhorrere conclamat Piton, *disc, eccl., all. 77, num. 21* - ibi - « In iure patronatus agnatione, de rigore iuris, feminae non includuntur, et solum admittuntur subsidiarie ex quadam aequitate, quando scilicet agitur *in concursu extranei,* in quo patronatus fieret hereditarius, ad formam cons. 81 Ancharani, vel ad exclusionem substituti pariter extranei, vel ne beneficium acquirat libertatem, defectis personis vocatis. In quibus casibus iniquum videretur non admittere feminas agnatas propter extraneos ».

Quia, urget patronus, praesumi non potest, Pontificem, masculis deficientibus, ita odisse progeniem sibi sanguine coniunctam, ut ordinarium collatorem praeferret, uti notat Rota in *dec. 7, cor. Kaunitz* - ibi - « Quod ita propensius accipi debet, quia controversia non insurgit cum agnato, sed agitur de inducenda libertate beneficii, ac proinde tam in sequendo praesumptam mentem testatoris, quam ad effectum alliciendi fundatores ad similes pias dispositiones, verba interpretari debent in sensu magis lato ad favorem descendentium de sanguine fundatoris , ac eius consanguineorum in exclusionem extranei, et ordinarii collatoris : Lambertin. Rota etc. »

Quum Archiepiscopus ad Ecclesiae defendendam libertatem, contendat, gentilitium patronatum ossibus masculorum

ita adhaesisse, ut elato Cardinali, perpetuo evanuerit, opponit patronus usitatissimam in foro Ancharani theoricam, nimirum patronatum, deficiente omnino familia, quod in themate *dat,* sed non *concedit* patronus non extingui, sed « transire ad heredes tam ex testamento, quam ab intestato ultimi de familia vel genere morientis, proindeque fieri hereditarium » Gagliardi *De iurepatr. t. 1, cap. 11, n. 27.*

Praeterea hanc doctrinam advocatus magis explicat per Rotae decisionem *581 cor. Bichio num. 4 et seq.* - ibi - «Ne iuspatronatus, deficientibus personis vocatis, transeat ad extraneos, sed beneficium libertatem acquirat, requiritur vel expressa extraneorum exclusio, vel quod dictiones taxative percutiant tempus deficientiae vocatorum, illisque adiectae sint ad limitandum iuspatronatus, ut declaravit Rota; Lotter. etc. alioquin casus deficientiae vocatorum tamquam a fundatore omissus remanet sub dispositione iuris communis, iuxta quam etiam extranei heredes succedunt in iure patronatus : Glossa etc. In casu autem nostro dictionem taxativa - tantum - appositam fuisse non limitate ad ius patronatus, sed favore masculorum, ut scilicet ipsi, donec extant praeferantur feminis, patet ex quo cadit super qualitate masculinitatis a fundatoribus requisita - ibi - masculorum tantum legitimorum et naturalium semper in infinitum et in perpetuum, ut in puncto respondit Rota in Rhegien. etc. Prohibitio pariter quod iuspatronatus exire non possit de familia agnatorum masculorum descendentium non importat limitationem iurispatronatus, cum stet demonstrative, non autem taxative, et si quam inducit taxativam, temporalis est, durantibus agnatis masculis, ut in his terminis decisum fuit in Bononien. etc. ».

At Archiepiscopus instat affirmans, ius patronatus etsi ad cognatos vel heredes transiisset, tamen plane cecidisse in poenam usurpationum, quas admisit in bona Ecclesiae, Oratricis pater. - Respondit vero procurator, quam clientem plene et absolute culpam expiasse patris, quia erogavit quinquaginta mille libellas, ut occupator bona dimitteret : tum

pro beneficio quod nuncupant Cantoria viginti mille: ad opem parochi S. Salvatoris bismille: atque Archiepiscopo Magnasco in pios usus erogandas, sexaginta mille. Quae omnia summam conficiunt libellarum 132,000.

Ad resarcienda vero damna Ecclesia *S. Mariae de Rivarolo* in executionem sententiae tribunalis civilis quadraginta quatuor mille impendit libellas, unde, omnibus summatis habetur vis libellarum 176,276. Quocirca anno 1885 Archiepiscopus Magnasco referebat : « che considerata come non più esistente alla morte del padre la somma dei frutti ed interessi, quella del capitale è inferiore all' ammontare complessivo delle somme erogate e da erogarsi in proposito dall'oratrice ».

Ex his deducit patronus iam satis esse factum legis Tridentinae, ut poena deleatur usurpatoris ; iubet enim T. Synodus in *cap. 11, sess. 22 De ref.* « Is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et reditus quos occupaverit integre restituent, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem ecclesiae patronus fuerit, etiam iure patronatus ultra praedictas poenas eo ipso privatus existat ».

Addit procurator absolutionem, quam oratrix a Pontificis auctoritate obtinuit anno 1885, cum quaedam bona redimeret. Atqui haec acta « di svincolamento » aíFecerant etiam beneficium S. Mariae : et Archiepiscopus in litteris ad S. Congregationem, cum beneficia recenseret designavit etiam « Arcipretura di S. Maria di Rivarolo ». Ad haec Pontifex die 27 Aprilis - « annuit pro gratia in omnibus iuxta petita ».

Praeterea Curia archiepiscopalis obiicit, quod semel atque iterum vacavit beneficium S. Mariae , annis 1858 et 1866, ac nemo praesentavit; ius igitur patronatus praescriptione peremptum est. Reponit patronus, quod anno 1858 comes Sanfront bona invasit; tum de iis recuperandis actum: et, ait Archiepiscopus: « Tale lite durò dal 1858 al 1880 ». Atqui, lite pendente, praesertim de patronatus

iure ac substantia beneficii, nec praesentationi, nec devolutioni locus fieri potest; Rota *cor. Gregor, dec 94, n 10;* et in *Bononien. parochialis 26 Ian. 1711 § ult. cor. Caffarello.* Accedit lex Pontificis Innocentii in fundatione, quae vetat praescriptionem induci propter solam patronorum negligentiam. Voluit enim, iis negligentibus, devolvi collationem « ea vice : ita tamen quod ex hoc nullum patronis praeiudicium inferatur ».

Dein notat patronus ad praescriptionem, praeter duas vacationes, quadragenarium lapsum requiri, teste ReifFenst. *lib. 3, tit. 38, num 125* - ibi « Amittitur patronatus per non usum longissimi vel longi temporis ad praescriptionem requisiti, si videlicet interea, bis saltem rector ecclesiae sine praesentatione est institutus ». Nec secus Gagliardi *loc. cit. tom. 2,, cap. 24, num. 2* - ibi - « Sine crimine in primis amittitur ius patronatus praescriptione quadragenaria, scientibus et patientibus patronis». At nobilis mulier, ut primum libertatem nacta est per obitum patris, anno 1885, septem et viginti annis post primam vacationem, sua iura affirmavit, et anno 1886 exercuit in paroecia S. Crucis de Moneglia.

Ipse Archiepiscopus, instat orator, anno 1885 oratricis patronatum agnovit, eamque coram S. Congregatione affirmavit patronam beneficii S. Mariae de Ri varólo. - Ex eodem patronatu Ordinarius parochum instituit ab illa nominatum ad ecclesiam *S. Crucis de Moneglia.*

Dein, notat orator, hoc saeculo omnes e familia Fieschi patronatum exercuisse, et Archiepiscopum Magnasco ius patronatus in paroecia S. Mariae agnovisse etiam anno 1885, coram S. Congregatione.

Nullimode vero advocatus admittere vult, hunc canonicatum iampridem a collegio disiunctum et paroeciae unitum periisse cum ceteris beneficiis, sed autumat hoc beneficium adiectum fuisse paroeciae S. Mariae *subiective* et inde ius patronatus adhaesisse beneficio parochiali. Suam intentionem confirmat patronus iudiciali sententia edita a civili Tribunali

qua supremum Tribunal definivit subiectivam unionem fuisse; ita ut simplicia beneficia adiecta uti mera accessoria haberentur erga paroeciam.

Quibus in utramque partem animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An constet de iure patronatus in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 8 Maii 1897 censuit respondere : *Dilata.*

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Animadversum in primis fuit partium Procuratores *Magistratum decisionem* Rotae Rom. *581, coram Bichio* carptim retulisse , ideo perutile creditur integrum textum referre, et est sequentis tenoris :

« Argumentum. - Ius patronatus reservatum favore familiae agnatitiae in defectum vocatorum ne sit transitorium ad extraneos, sed Ecclesia libertatem acquirat, quae requirantur? Late in decisione declaratur. . . . .

« Unicum obiectum, in decisione huius causae edita die 24 Martii proxime praeteriti, non evacuatum excitarunt informantes pro Francisco Bracchio in Memoriali pro habenda nova audientia, nempe quod iuspatronatus beneficii controversi transire non potuerit ad Lauram et Ioannem, qui praesentarunt Pedianum, cum non sint de familia agnatitia masculorum descendentium a Gabriele et Nicolao de Bracchiis primis patronis, nec in defectum vocatorum iuris patronatus transeat ad extraneos, quando illius reservatio habet dictiones taxativas ad personas vocatas, ut admittit prima decisio in § Non obstat, qualis adesse in casu nostro deducitur, ponderando tum dictionem, tantum ibi : Successor masculorum tantum quae taxativa est *Rimin. iun. conf. 202 n. 3. S ad. decis. 29. num. 19, et in specie* Lambert *De iure patron, lib. 2, part. 1, q. 2, art. 14, num. 7, et art. 6, num. 4.* Tum clausulam subsequentem ibi: Ita quod egredi nec exire possit, nec debeat *quoquo modo de stirpe, progenie, seu familia agnatorum masculorum descenden-*

tium ex ipsis Dominis Gabriele et Nicolao ante dictis, quam clausulam pondérât Lambert. *De Iure patr. lib. 1, par. 2, art. IV, pars IV, n. 5,* vers, vel quod non extat parentela Sánchez *resp. moral. I. 2, cap. dub. 91, sub n. primo versic. vel quod.*

« Hoc tamen ceterisque aliis deductis non obstan, primam decisionem hodie revocatam ad trutinam DD. confirmarunt , qui ne iuspatronatus, deficien. personis vocatis, transeat ad extraneos, sed beneficium libertatem acquirat, requiritur, vel expressa extraneorum exclusio, vel quod dictiones taxativae percutiant tempus deficientiae vocatorum, illisque adiectae sint ad limitandum iuspatronatus, ut declaravit Rot. *dec. 365 num. 14, pars 1, divers,* et secutus est Loth. *De re Benef. lib. 2, q. 2, n. 11,* alioquin casus deficientiae vocatorum tamquam a fundatore omissus remanet sub dispositione iuris communis, iuxta quam etiam extranei haeredes succedunt in iurepatronat. Gloss, in *cap. Considerandum 16, q. 7.* Seraph, *dec. 364, n. 8 et 12, dec. 378, n. 9 et 10.* Rot. *inter recent, dec. 697, num. 3, p. 3. et dec. 288 n. 8, part. 5.*

« In casu autem nostro dictionem taxativam tantum, appositam fuisse non limitate ad iuspatronatus, sed favore masculorum, ut scilicet ipsi donec extant, praeferantur feminis, patet ex quo cadit super qualitate masculinitatis a fundatoribus requisita ibi : masculorum tantum legitimorum, et naturalium semper in infinitum, et in perpetuum, ut in puncto respondit Rota in *Rhegiens. iurispatr. 27. April. 1640 §penult. coram R~:o Epis. Terracinen.* quam refert Moder. Carpensis *controv. for. cap. 153 num. 21 et 22* iuncto praesertim quod fundatores infra declararunt, praesentationem spectare debere ad seniorem cuiuscumque lineae eorum, *omnibus exclusis, donec et quamdiu extent agnati masculi,* verba enim illa, *aliis omnibus exclusis,* quae referri non possunt nisi ad feminas vel extraneos demonstrant apertissime illarum, seu illorum exclusionem esse temporalem existentibus agnatis masculis, id importante

clausula *donec, et quamdiu* Bartol. in /. *final. § quando n. 2, vers, incontrarium ff. ad Tertull. Bald, in cap. 1, § quin autem etiam n. 3, vers, secus si statutum tit. Epis, vel Abbat, in usibus feudorum* Rot. *dec. 367 nn. 22-23 apud Peniam decis. 48 num. 2 et 3, inter impress, apud Modern, ad Statut. Perusin.*

« Prohibitio pariter, quod iuspatronatus exire non possit de familia agnatorum masculorum descendentium, non importat limitationem iurispatronatus, cum stet demonstrative, non autem taxative , et si quam inducit taxativam temporalis est, durantibus agnatis masculis, ut in his terminis decisum fuit in Bononien. *Beneficii 26 Februarii (1652, § penidt. coram R. P. D. meo Bevilaqua* et facilius animadvertendo quod huiusmodi prohibitio immediate post vocationem taxativam masculorum subnectitur cum clausula, *ita quod, ibi: Ita quod nec egredi, nec exire,* per quam datur intelligi, quod prohibitio recipit eumdem intellectum praelationis masculorum, et temporalis exclusionis feminarum, quem ipsa proxima procedere taxativa masculis adiecta, quia de natura dictae clausulae est quod intelligitur secundum praecedentiam. *Ruin. cons. 332, num. 1. Mart. de iurisdict, pars. 4, centur. 2, eas. 130, nam. 8.* Barbosa *Dict. 182, n. 7, facit Fusar. cons. 176, nn. 8 et 9.*

« Hinc non applicatur ex adverso allegata doctrina Lambertini, quam transcribit Sanch. loco supra allegato. Quia non loquitur in casu, quo prohibitio declaranda venit iuxta praecedentia praeter quod Lambertinus ibi solus firmat conditiones favorabiles Ecclesiae apponi posse in fundatione, et inter alias refert prohibitionem huiusmodi minusque adversatur extraneis reiectus fuit in similibus terminis a Seraphino *dec. 364 n. 8 et dec. 378 n. 9.*

« Et ita utraque ».

Quocirca, in propositum, citatae decisionis haec verba potissimum perpendenda sunt nimirum *ut beneficium libertatem acquirat requiritur « vel expressa extraneorum exclusio vel quod dictiones taxativae percutiant tempus defi-*

cientiae vocatorum illisque adiectae sint ad limitand.um ius-patronatus». Unde in themate dispiciendum est an per illam clausulam exclusionis in feminas directe cadentis voluerit Fundator has excludere a concursu *cum agnatis;* aut a fruitione *ipsius iuris patronatus.* Patet clausulam quam Rota Romana interpretata est in citata decisione admodum clarius continere exclusionem concursus cum agnatis maribus, primo ad iuris exercitium a testatore vocatis.

Praeterea iuvat referre solutionem *ahstractae* appositae quaestionis quam dilucide explicat Fagnanus in *cap. Per^ latum De iurepat, a n. 15.:* haec habet.

« QUAERO an ius patronatus gentilitium idest reservatum illis de familia et agnatione fundatoris, extincta agnatione sit transitorium ad extraneos.

« Ad partem negativam inducitur auctoritas Baldi ..... circa primum ubi consulit ius patronatus concessum filiis, post eorum obitum non transire ad heredes extraneos , ea praecipue motus ratione quod cum ius patronatus fuerit a fundatore concessum filiis videtur denegatum extraneis hanc qualitatem non habentibus.... Et in iisdem fere terminis G-eminianus. . . . respondit, ius patronatus relictum filiis masculis in eorum defectu non transire ad feminas, sed extingui et Ecclesiam remanere liberam. Nempe quia expressio masculorum censetur facta ad exclusionem feminarum; ergo eodem modo expressio illorum de familia hoc usu censetur facta ad exclusionem aliorum, hanc qualitatem non habentium. Et confirmatur exemplo iurispatronatus concessi universitati, quod non potest transferri ad eos qui sunt extra universitatem, Lambertinus____».

« Ad contrarium sic arguitur: Provisio hominis regulariter non tollit provisionem iuris communis in eodem casu... Sed ius patronatus ex provisione iuris communis est transitorium ad heredes, ut hic patet... et dictum est supra... Ergo provisio hominis in reservando ius patronatus illis de familia non tollit quin, illis deficientibus, ex provisione legis, transeat ad heredes. Quo potissimum fundamento pro

hac parte plene consuluit Petrus de Anchar, *consil. 81*___ et hanc opinionem Ancharani esse communem et veram, magistraliter deducunt D.D. de Rota coram Robusterio....

« Facit etiam pro hac parte quod quando in fideicommisso aliquis casus est omissus relinquitur dispositioni iuris communis____Sed casus deficientiae familiae fuit a testatore omissus; ergo iuris communis dispositioni est relinquendus quo cautum est ut iuspatronatus transeat ad heredes extraneos. Sic etiam provisio hominis convenit cum provisione legis, et utraque servatur in casu suo, videlicet provisio hominis quamdiu superstes erit aliquis de familia; provisio autem legis, ubi familia defecerit. Quotiescumque autem provisio legis facta est in defectum provisionis hominis tunc silet lex ubi loquitur homo : sed ubi ex diverso fonte et nova radice procedit lex ut formaliter inquit Baldus....; nec provisio hominis facit cessare provisionem legis etiam specialis et extraordinariae, quando concurrunt circa diversa___

« Pro solutione videtur sic distinguendum ; aut fundator voluit ius patronatus esse illorum de familia taxative, ita ut ad eas tantum pertineat, non autem ad eorum heredes: et tunc ius patronatus ad heredes extraneos minime transit, sed extinctum remanet extincta agnatione, et Ecclesia fit libera; et in hoc casu loquuntur Card. et Rocchi initio quaestionis... Potest enim patronus in fundatione Ecclesiae remittere ius patronatus in totum vel pro parte et limitative illud inducere in praeiudicium descendentium vel extraneorum heredum ut ei libuerit—

« Aut iuspatronatus fuit concessum illis de familia simpliciter ac sine ulla taxatione ; et hoc casu transit etiam ad extraneos heredes, non ex provisione hominis, sed ex provisione legis, cui provisio hominis non adversatur ; et procedunt rationes adductae pro secunda opinione, quidquid in oppositum tenuerint Bald, et Gemin. initio citati qui loquuntur contra communem.

« Ex quibus patet etiam responsio ad obiecta; sed nihilominus singillatim respondendo non obstat quod ius patro-

natus fuit reservatum illis de familia; quoniam verba illa stant demonstrative, secundum Cald. et Anchar.; et quatenus taxationem aliquam importarent, illa tamen intelligitur durante familia, non autem ea deficiente, ut ex dictis constat.

« Rursus non obstat simile de iure patronatus universitatis quia similitudo in hoc consistit quod quamdiu supersint aliqui de familia non admittantur extranei ; sed familia extincta, casus a fundatore omissus regulari debet iuxta iuris dispositionem; et in hoc non procedit simile universitatis aut collegii, quorum non datur heres aut successor sicut datur in ultimo de familia ».

Quia, in themate, clausula exclusionis eo efficacior censebatur quia continebat illud verbum *penitus* quod videbatur significare quodcumque genus exclusionis, Procurator oratricis hodie fatetur se in errorem incidisse facile inserendo in deductionibus clausulam hoc verbo muni tam.

Hisce etiam historice relatis, quoad formulam verborum, quibus exclusionis clausula concepta fuit; iudicabunt EE. PP. quaenam sit eius vis iuridica.

At in hodiernam quaestionem praeterea animadverti debet, heredem Card. Fieschi, ultimi ex agnatis, si iste patronatus iure, vi hereditatis frui valuit, ob di vendita et distracta bona Ecclesiae patronatae, poenas subiisse a Trid. Concil, inflictas patronis bona Eccles, usurpantibus; quas inter poenas potior est amissio iuris patronatus *ipso facto* incurrenda.

Thesaurus in tractatu *De poenis eccles*, qui in hisce quaestionibus est doctor principalis auctoritatis ita commentatur cit. Decretum - ***P.*** *2* ***V.*** *Usurpantes cap. 1:* « Ex Trid. *sess. 22 cap. 11* decretum est ut si quis clericorum vel laicorum alicuius Eccl. vel alicuius benef, saecularis aut regularis vel Montium Pietatis aliorumve locorum iurisdictiones, bona, census, aut iura, fructus, emolumenta, obventiones quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent per se vel per alios, vi aut metu incusso vel

per suppositas personas clericorum aut laicorum aliove colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserint, seu impedire ne ab iis ad quos pertinent percipiantur, is anathemati idest excommunicationi tamdiu subiaceat quamdiu occupata seu recepta restituat integre Ecclesiae seu administratori seu beneficiato ac deinde a Papa absolutionem obtinuerit : *quod si praedicta committens patronus fuerit eiusdem Eccles, ultra praedictas poenas, iurepatronatus eo ipso privatus existat...»* Idem expresse probat Barbosa in *cap. Quia clerici De iurepat. 2.*

Privatio vero patronatus ipso iure incurrenda quippe est poena *latae sententiae* suum sortitur effectum eo ipso momento quo crimen patratur. Ipse Thesaurus *op. cit. P. I cap. III* ita explicat *quid sit poena latae sententiae;* aiens: « Respondeo primum quod poena 1. s. est quae effectum sortitur et afficit *ex ipso iure* seu canone disponente, id est ex sola ipsius canonis potestate seu ipso facto absque ministerio iudicis, idest absque alia sententia *condemnatoria* vel *executoria* (quam requirit poena sententiae ferendae); *nam ipsa trahit secum executionem* ». Unde in *cap. suos. XIII* idem Doctor quaestioni : « *An poenae latae sententiae commissae, purgatione morae, poenitentia, spontanea confessione vel deprecatione tollantur vel minuantur* » reponit: « Respondeo *primo* in poena 1. s. non admitti morae purgationem.... Et facit quia poena 1. s. vim habet rei iudicatae— Respondeo *secundo* quod poenitentia imposita et peracta sive in foro poenitentiali idest sacramentali sive in foro conscientiae seu quasi poenitentiali etiamsi si publica non tollit nec minuit poenas 1. s. seu ipso iure commissas, ut Menochius.... ».

Idem Doctor autem dum asserit poenas 1. s. incurri ipso facto absque alia *sententia condemnatoria* vel *excutoria* non excludit sententiam *declaratoriam;* imo quoad ipsam privationem iuris patronatus in *cap. i Part. 2 I. supr. cit.* ait: « Nota secundo quod illa poena privationis iuris patronatus non ligat ante sententiam *declaratoriam* pro foro conscien-

tiae cum sit privatio iuris quaesiti, per doctrinam Ioannis Andreae...; unde neque peccaret qui sciens patronum occulte incidisse in hanc poenam, procuraret ab eo praesentationem, quia adhuc retinet titulum coloratum et possessionem imo vero titulum utilem seu quasi dominium utile ». Nihilominus vis sententiae *declaratoriae,* uti ipsum vocabulum significat, tota est in legitime comprobando facto unde orta est privatio alicuius iuris.

Siquidem poenae *ipso facto* incurrendae non possunt coram societate haberi uti iam inflictae nisi constet factum sive crimen reapse patratum fuisse. Huic declarationi inservit sententia *declaratoria,* cuius intentio est non poenas infligere, sed poenas iam in aliquem *ipso iuris decreto* latas publice recognoscere ut effectus inde sequentes plenam sortiantur vim quoad rem publicam. Quocirca *sententiae declaratoriae* pronunciatio comprobans poenam iam latam, eamdem urget uti iam inflictam ab ipso momento patrati criminis. Rem ita confirmat Thesaurus *op. Part. I cap. 6* solvens quaestionem : « *An poena latae sententiae, secuta sententia declaratoria, retrahatur* » docet enim : Respondeo quod etiam in iis casibus, quibus dictum est poenam latae sententiae non ligare ante sententiam *declaratoriam,* adhuc pro eo tempore intermedio poenam huiusmodi non carere effectu. Nam primo *declaratoria* sequens retrotrahitur ad diem poenae incursae seu commissi delicti, ita ut actus medio tempore gesti irriti censeantur ; unde si declaretur aliquis hodie hereticus vel maiestatis laesae reus eo ipso cassantur alienationes factae a die criminis commissi et fructus ab eo die confiscan tur ».

In themate vero si poenae privationis iuris patronatus *declaratoria* sententia pronunciata nondum fuit, hodie utiliter ferri potest, imo facti negotio res expeditur, quia cum factum usurpationis a patrono peractae sit notorium et nulla tergiversatione negari possit, minime necesse est *declaratoriae sententiae* praemittere cognitionem iudicialem siquidem *in notoriis nulla probatio et nulla defensio,* ut fert effatum.

Hisce positis perspicue intelligitur sententia cl. Berardi *Comm. in ius eccl. univ. vol. I p. 322,* asserentis de patronis « *istos etiam, ipso iure, patronatus privari* » nihilominus ex benignitate Ecclesiae « *tamdiu patronum esse sine spe restitutionis in integrum quamdiu deliquerit: ceterum facile restitui cum facti poenitens ab illicita %isurpatione cessaverit* ». Re quidem vera patronus bona diripiens Ecclesiae, *ipso diremptionis facto* privatus est iure patronatus et iudex, comprobato facto, poenam iam fuisse incursam declarare debet ; neque alia suppetit via ad novam iuris acquisitionem nisi *in integrum restitutio* seu poenae revocatio ut resolvatur quicumque poenae effectus et res in eo statu collocetur, quo versabatur ante patratum crimen. Sed quia poena est iuris communis, eamdem revocare illius est qui iuris communis est conditor, nempe Summi pontificis.

Quibus praemissis, propositum fuit dirimendum

Dubium

An constet de iure patronatus in casu.

RESOLUTIO. Sacra G. C. re disceptata sub die 21 Augusti 1897 censuit respondere: *Negative.*

PARISIEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 23 Ianuarii et 21 Augusti i 897.

Sess. 24. cap. 1 de ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Nobilis puella Constantia de Montmort, dum in Normandia apud consobrinam degebat, capta fuit amore erga Comitem Chaumont-Quitry, eidemque coniugalem fidem spopondit. Sed nupturientium parentibus haud placuit huiusmodi coniugium ; et Constantia non sine dolore debuit renuntiare huic peroptato connubio.

Paulo post Marchio Carolus de Montalembert Constantiam in matrimonium petiit, et quum valde hoc coniugium arrisisset puellae matri, absque mora, nuptiae statutae sunt. Verum Constantia, vel quia adhuc prohibíto amori corde adhaerebat, vel quia eidem Carolus displicebat, propositas nuptias respuisse dicitur. Frustra tamen, mater enim filiae hoc coniugium imposuit, atque, si vera sunt quae modo narrantur, ad extorquendum eiusdem consensum non coactiones morales dumtaxat adhibuit, sed quandoque etiam physicas.

Ideoque Constantia, postquam omnia incassum tentaverit ad genitricis voluntatem flectendam, subire debuit, ut ipsa dicit, matrimonium. Atque matrimonio iuncta est Carolo de Montalembert die 1 Augusti an. 1883, quum non adhuc ipsa explevisset 17 aetatis annum.

Coniugium miserrimum sortitum est exitum ; Constantia enim videtur nunquam amasse virum et vir potius quam amore, ac sollicitudinibus captare sponsae benevolentiam, fertur ad perdi tam vitam se dedisse; donec mense Iulio 1889, derelicta uxore, in Africam migravit.

Constantia post Caroli discessum rediit apud matrem et mense Februario 1893 obtinuit a tribunali civili corporum bonorumque separationem. Denique die 28 Octobris eiusdem anni sequentem porrexit libellum ad Emum Archiepiscopum Parisien.: « Hoc matrimonium oratrix libere non contraxit, sed potius a parentibus violenter coacta, prouti ex testibus afferendis evidenter constabit. Insuper acta processus probabunt hoc matrimonium non fuisse consummatum. Ut vero citius inito processu, infirmi avunculi depositio statim accipi possit, oratrix humillime postulat ab Eminentia Vestra ut velit suum matrimonium irritum declarare ex gravi metu ».

Emus Archiepiscopus, constituto Tribunali, Iudici delegato cognitionem causae commisit, qui, praevio processu, solummodo post longum tempus ex actricis causa completo, hanc die 4 Iunii 1896 edidit sententiam: « Dicimus, declaramus et pronuntiamus constare de nullitate matrimonii

inter Marchionem de Montalembert et Constantiam de Montmort die 4 Augusti 1883 in Ecclesia S. Petri, vulgo *de Chaillot,* contracti ».

Actricis patronus in duas partes dispescit orationem, atque in prima sustinet, matrimonium initum ex metu gravi reverentiali, non secus ac ordinario seu vulgari irritum esse.

Disceptatio Synoptica

Certum in iure est, ait, metum gravem, naturalem a causa libera iniuste ac directe incussum ad extorquendum consensum irritare matrimonium, ut constat ex *capp. 14, 15, 28 De sponsalibus et matrimonio ac ex cap. 2 De eo qui duxit mulierem quam polluit per adulterium.*

Quod autem et metus reverentialis matrimonium irritet, DD. omnes probant, etsi magna inter eos exardescat quaestio circa metus reverentialis naturam. Canonistae omnes, iuxta oratorem, docent timorem reverentialem irritas efficere nuptias, dummodo conditiones timoris vulgaris sive ordinarii induat, sit nempe gravis, naturalis, a causa libera iniuste et directe incussus ad extorquendum consensum.

Ita loquitur Sánchez in *libro IV, disp. VI, n. 14 de matrimonio :* « Infertur si filia matrimonium contrahat, non praecedentibus minis, solum eo timore ne patris indignationem incurrat, esse validum, non enim hic metus censetur cadens in constantem virum_____Hoc tamen moderarer, ut intelligatur quando indignatio illa patris vel viri non diu perdurabit, sed spes est futurae reconciliationis : si enim timeret probabiliter diuturnam fore indignationem, et semper se habituram patrem aut virum valde infestum et indignatum, obiecturumque passim illam inobedientiam, crediderim esse timorem cadentem in virum constantem. Quis enim vir constans et prudens non reputabit grave malum semper coram oculis habere infestum patrem, aut virum, aut alium a quo pendet, et cum quo semper versaturus est? »

Reinffestuell in *lib. I Decret, tit. XL, num. 95* haec habet: « Etsi sola reverentia erga parentes aliosque maiores,

seu metus reverentialis, ex se solo non sufficiat ad irritandum v. g. matrimonium a filiis celebratum, vel rescindendum alium contractum, secus tamen est dicendum, quando simul accesserunt saevitiae vel graves minae parentum aut maiorum respectu filiorum seu subditorum nisi obtemperaverint, vel saltem preces importunae et instantissimae ». Eamdem doctrinam tradunt Engel in *lib. 1 Decretal, tit. 1 § V, n. 4,* Pontius *De matrimonio lib. IV, cap. 5,* Schmalzgrueber *lib. 1 Decret, tit. XL, n. 5,* S. Alphonsus *Theol. Mor. lib. VI, n. 1056* et Santi in Voto ab eo pro veritate rei conscripto in causa matrimoniali Tolentinaten. 11 Aprilis 1869.

Ad alteram orationis partem descendens advocatus, totis viribus propugnat, matrimonium a Constantia initum fuisse sub metu gravi sive ordinario sive reverentiali, ideoque eius matrimonium nullitate laborare. Quod triplici argumento evincere confidit.

In primo ostendit metum fuisse gravem ex agendi ratione matris erga filiam. Etenim mater fuit violenta, aspera, durissima contra filiam, cui filium praeferebat, uti ex actis constat. Actrix, Actricis frater, avunculus eiusdem actricis, comitissa de Gramont, avuncula rei, rem hanc confirmant.

Contra vero, prosequitur patronus, filiam fuisse mitem et matris violentias pertimuisse, omnes testes pariter affirmant. Comes de Montmort actricis patruus, ait : « Elle était très douce... elle était très craintive devant sa mère, qu'elle fuyait systématiquement ». Testis Corbin « Elle craignait les emportements de sa mère. Les violences maternelles se faisaient sentir à tout le monde.... la fille cédait a ses volontés, par crainte des emportements ».

Item testes Chappuis, Bacquelot et domina Dampierre avuncula actricis, aiens : « Je ne puis pas dire que M.Ile de Montmort craignait beaucoup sa mère... mais elle redoutait ces scènes qui enlevaient en elle la douceur et la paix qu'elle aurait dû prouver dans la vie de famille ».

Matrem autem hoc matrimonium firmiter voluisse, omnes

actorum paginae proclamant, iuxta oratorem. « Ma mère, fatetur Constantia, ne se contentant, pas de m'engager à accepter ce mariage m'a fait les scènes les plus violentes— Pour ma mère c'était d'une part une question d'ambition. En sa qualité d'Américaine elle était séduite par la grandeur du nom et l'importance de la fortune. D'autre part elle désirait se débarasser de moi ».

Concinit Comes de Montmort actricis patruus « Mon frère se montra un peu indifférent, mais Madame de Montmort se montra au contraire fière au delà de toute expression du mariage de sa fille avec un jeune homme qui portait un grand nom ». Eadem deponunt ceteri testes Corbin, Comitissa de Grammont, Vernoy, Chappuis; et ipse maritus Carolus dicit : « cette demande a été reçue avec assez d'indifférence par la jeune fille, mais avec joie par la mère ».

Omnes vero testes, urget, pariter asserunt hoc matrimonium, adeo a matre exoptatum, Constantiae fuisse invisum ac odiosum.

Mater autem, refert advocatus, ad filiae resistentiam labefactandam usa est non tantum precibus, suasionibus instantissimis, verbis graviter contumeliosis, sed minis quoque et physicis violentiis. En quae Iudici fatetur Marchio de Montmort, Constantiae frater, quem mater prae filia diligebat, cuius intererat maternam famam sarctam tectamque servare : « Je sais qu'à un moment donné ma soeur a eu une discussion avec notre mère____En résumé ma mère a employé, pour décider sa fille, des instances réitérées qui ont amené des scènes fréquentes, au cours desquelles elle s'est servi d'expressions blessantes et injurieuses à l'égard de ma sœur ». Comitissa de Gramont avuncula Caroli « Oui il y a eu des instances réitérées de la part de la mère pour pousser sa fille à ce mariage ».

« Ma mère (ait Constantia), pour me décider à ce mariage me menaçât même (et cela très souvent) de me mettre à la porte. Elle employait les epithètes les plus vives... à ces paroles et aux menaces ma mère a ajouté les violences.

Je citerai en particulier deux scènes. Un jour à la campagne, pendant les dix jours que j'y ai passé avant les fiançailles, en présence de mon oncle Mr. de Montmort et de Mr. Vornoy, ma mère après m'avoir dit toutes sortes d'injures, en m'ordonnant d'obéir et de faire ce mariage, en face de mon refus absolu, et de ma réponse : Non, non, je ne l'épouserai pas, je ne l'aime pas, je le deteste, ma mère s'est jetée sur moi, m'à saisi le bras et secouée avec une telle violence que j'en ai gardé les traces pendant plusieurs jours. Puis tout à coup comme effrayée de ce qu'elle venait de faire elle s'est enfuie dans sa chambre, et je crois me souvenir que mon oncle m'a ramenée dans la mienne. Un jour, dans cette même période étant souffrante, je m'étais couchée. Ma mère est venue me faire une nouvelle scène, repétant toujours les mêmes ordres et les mêmes injures. J'y opposais, les mêmes refus. A bout de forces j'ai été prise d'une crise nerveuse. Effrayée de me voir en cet état elle est allée chercher mon oncle. J'ai perdu connaissance. Quand je suis revenu à moi, mon oncle était à côté de moi près de mon lit. Ma mère n'était pas encore calmée et me disait au contraire que je jouais la comédie et que tout cela n'était que grimaces ».

Haec, pergit patronus, omnino confirmat Comes de Montmort actricis patruus, octuagenarius et pientissimus vir, testis auricularis et ocularis. « Elle (mater) y ajoutait des menaces et en particulier celle-ci ; Je te foudrai à la porte... J'ai entendu moi même très souvent ce langage et ces menaces. A ma connaissance M.me de Montmort en est venu à des scènes de violences, dont je citerai en particulier deux exemples ». Et heic testis eadem facta, de quibus supra, enarrat.

Ad secundum argumentum deveniens patronus probare satagit gravitatem metus ex nonnullis factis praecedentibus, concomitantibus, subsequentibus matrimonium. Facta praecedentia, quae iuxta ipsum manifeste ostendunt, Constantiam graviter fuisse coactam ad nuptias cum Carolo de

Montalembert ineundas, plurima sunt, sed unum tantum magis enucleare contentus est : Constantiam nempe has nuptias per suicidium declinare voluisse.

Nec dicatur, observat orator, ista vera haud esse, quippe confirmat narrationem Eugenia Duguerghe, quae praesens fuit, aliique testes de auditu.

Quoad facta concomitantia autem advocatus commemorat quomodo nuptiarum die Constantia e lecto consurgere seque ornare recusaret et lugens ad Ecclesiam ire renueret.

Constantia demum, instat eius defensor, pallens moestissima ad ecclesiam pergit, pallens moestissima caeremoniis nuptialibus adstat, multas perfundit lacrimas, verba consensum experimentia vix ore profert, domum reversa dolorem comprimere non valens in brachia tutricis se proiicit, iniquum esse aiens eam ad execratas nuptias coegisse ; atque nuptiale iter aggredi totis viribus recusat.

Insuper ex iurata plurium testium confessione habetur, actricem maritalis cohabitationis tempore, pluries iisdem narravisse se non sponte, sed solummodo ab imperiosa matre adstrictam nupsisse Carolo de Montalembert.

Postremum denique suae orationis argumentum advocatus attingens, dicit metus gravitatem in casu probari quoque ex unanimi directa testium omnium affirmatione ; atque nonnullas testium assertiones refert, quas, absque suae clientis praeiudicio, ne infinitus videar praetereo.

DEFENSORIS S. VINCULI ANIMADVERSIONES. Matrimonii defensor ex officio, ad tuendam sacramenti validitatem praeprimis retulit sequens factum, quod eloquentissimum dicit. Constantia nempe anno 1895, inquisitione iamdiu ad umbilicum perducta sponte sua Iudicem adit ab eoque postulat ut cognitioni causae supersedeat. Actrix ipsa fatetur hoc : « Quand, l'an dernier, j'allais demander en particulier à Mr. l'Officiai Fages, de surseoir au Jugement sur ma nullité de mariage, je cédais à un scrupule de conscience, qui me rendait très malheureuse: il me semblait que je n'avais pas dit exactement la vérité ».

Talis scrupulus, ait, duos ferme per annos Constantiam anxiavit, a die namque 22 Maii 1894 inquisitio cessaverat. Nec temere aut inconsulte quidquam aggressa est Constantia duobus his annis, sed consideratissime se gessit.

Verum propositum supersedendi a iudicio solummodo post annum ab actorum iudicialium cessatione Iudici manifestavit ; quando nempe iurisperiti eidem suaserunt optimum consilium esse a iudicio recedere. Ad hoc enim nulla prorsus requirebatur Constantiae petitio ; quoniam ea silente non certe sacramenti vindex petebat ut ad ulteriora procederetur, et Iudex nemine urgente, iam a die 22 Maii 1894 supersedebat.

Dolet insuper defensor, quod in actis haud relata sit huiusmodi actricis petitio, ex ista enim aperte dignosceretur, num supersedere vel potius a iudicio recedere Constantia animo intenderit.

Quando autem anno 1896 mutato consilio, nulla prorsus suffragante causa, Constantia iudicium vult prosequi, petit ac maxima facilitate obtinet tertio subiici examini. Etsi iuxta oratorem tertium hoc examen fortunate acciderit ; nam, eo cessante, nullo pacto scire potest eam a iudicio recessisse. Sed et in hoc, subiungit, matrimonio alia infertur iniuria ; nam processus moderatores indulgent Constantiae absque ulla ratione, ut non orale, sed scriptum emittat examen. Orale profecto examen ad hoc invectum est, ut examinandus minus facile queat sive parare insidias, sive versare dolos, quia praenoscere non valens quaestiones quas sibi proponet Iudex, nec responsiones praeparare potest ; et si minus vera nuntiare velit, timet ne quaestionibus, quas subinde dictabit iudex, irretiatur : dum versa vice scripto in examine, depositione per iurisconsultus tranquillitate mentis praeparata, interrogationes iudicis praeoccupat, quibus posset irretiri. Atque revera Constantia suum scriptum examen mirabili modo exornat.

Observatione praeterea dignum existimat orator testes omnes ab actrice inductos esse, ne unum quidem testem ad

matrimonii iura protuenda, sive a Constantiae coniuge, sive ex officio esse adductum. Iam vero neminem latet rem esse periculis plenam, fidem adiicere testibus alterutrius tantum litigantium. Et hic perlongum citat exemplum, desumptum ex celebri causa *Bononien. Nullitatis matr.* ultima vice a S. C. C. iudicata in plenariis comitiis diei 16 Decembris 1893 (1). Illo quoque in casu actor contendebat se coactum fuisse ad nuptias a patre, et agmen testium eius confirmabat assertionem referens etiam sevitias, comminationes filio a patre factas. At bononienses inquisitionis moderatores haud contenti fuerunt testibus ab actore inductis, sed audierunt testes ex officio, et iisdem solummodo testibus debetur, si matrimonium illud firmum immotumque adhuc stat.

Displicet igitur vinculi tutori quod Constantiae vir marchio Carolus de Montalembert testibus producendis supersederit.

Et eidem insuper dolet, quod moderatores inquisitionis non cogitaverint ex officio supplere negligentiam Caroli. Forsitan facta illa, quibus actricis patronus demonstrare obnititur, matrimonium nullitate laborare ex sponsae coactione evanescerent quasi bulla saponis, si praeter testes adversus matrimonium, alii etiam adducti fuissent ad matrimonii defensionem.

Neque exinde, statim consequitur periuram esse actricem, periuros ab ea inductos testes : prout nec in memorata *Bononien.* assereret orator peierasse actorem et spectatissimos quibus innuebatur testes. Nemo enim definire valet quas imaginatio in nostris nostrorumque infortuniis exerat vires. Praesentis autem controversiae partem magnam esse imaginationem liquet in primis, quia nullitatis matrimonii iudicium, quod Constantia in mentis tranquillitate deseruerat, restauravit, cum rescivit, ait ipsa : « Qu'il (Carolus) avait été forcé de quitter Tunis pour une question de moeurs, et de se réfugier en Belgique pour échapper à des poursuites

(1) Recole Vol. XXIII, 140, XXIV, 39.

juridiques. La pensée seule de porter son nom, ce nom qui, d'un moment à l'autre peut être flétri irrémédiablement, me cause de terribles angoisses ».

Reducens dein ligaminis tutor testium depositiones ad trutinam, advertit ex illis constare, matrimonium mense circiter antequam celebraretur, propinquis atque affinibus denuntiatum esse consiliumque cum his initum.

At, exclamat orator, huiusmodi familiarum conventus, sive multi sive pauci, imo neque unus, nec solemne convivium locum habuisset, si Constantiae matri, cuius a nutu tota domus pendebat, haud arrideret. Nec mater Constantiae si reapse filiae metum inferret, propinquos et affines convocaret, quasi ad manifestandam ob coactas nuptias exsultationem.

Observat praeterea sacramenti tutor, quod si actrix ad matrimonium revera a matre adigeretur invita, auxilium a propinquis in memoratis conventibus expostulasset eosque deprecatores adhibuisset apud matrem. Sed contra est. Cum Parisien, sacramenti Vindex peropportune quaerat a singulis testibus : « Quelles personnes aurait-elle (Constantia) fait intervenir pour rompre les négociations et changer les desseins de sa mère ? » ; haec quaestio, quae, uti patet, facilem haberet responsionem, si decantata coactio existeret, versa vice eonturbat Constantiam eiusque testes acremque accendit inter eos discordiam.

Huc accedit, adiungit defensor, quod Constantia eo praedita erat ingenio, ut iniurias, vexationes vel alia huiusmodi non facile perferret, sed levi de causa irae fraena laxare in more habebat. Frater Constantiae aliique testes deponunt haec eadem.

Nec defensor movetur, ex eo quod dicatur, matrem parum amavisse Constantiam eique in testamento anteposuisse fratrem. Etenim praesto sunt Constantiae avunculus Corbin, aliique testes qui contrarium autumant.

Quod attinet autem ad illos testes, qui asserunt, Constantiam precibus, iniuriis, contumeliis, minis atque physicis

violentiis a matre ad matrimonium adactam fuisse, sacramenti assertor fatetur, se non magis moveri ab istis omnibus narrationibus, quam ab illis narrationibus testium ab actore inductorum in saepe memorata *Bononien.* Siquidem et praesenti etiam in causa magna cum probabilitate haberentur plurimi testes contrarium affirmantes si Iudex, prout de iure, alios testes ex officio excussisset. Neque omine meliori, prosequitur, obiiciuntur suicidii conatus. Cum in confessis enim sit, Constantiam nedum ante matrimonium, verum etiam nuptam pluries expertam sibi mortem consciscere, quisque facile percipit eam non ut celebrationem matrimonii effugeret, sed alias omnino ob causas conatam esse mortem sibi inferre.

Ad ultimum denique sui asserti argumentum descendens orator, sustinet, actricem sive coram parocho, sive coram officiali civili, magna propinquorum amicorumque spectante caterva, libere praestitisse consensum in matrimonium.

« Hisce existentibus factis, concludit vinculi vindex, quadrant quae habet *Rota decis. 149,* § *coram Ratto:* « Cum agatur de matrimonio contracto coram parocho et duobus testibus iuxta formam praescriptam a sacro Concilio Tridentino in *sess. 24 De reform, matr. Cap. 1,* et in ipso celebrationis actu intervenerit liber consensus utriusque contrahentis, omnis praesumptio militare debet pro validitate eiusdem matrimonii, nullaque ratio habenda est de oppositis exceptionibus, quando illae non sunt adeo perstringentes et efficaces ut incontinenti, et concludentissime, evincant praetensam nullitatem, sive ex defectu liberi consensus, sive ex alia irritanti causa promanantem ». Et Instructio *S. C. S. R. U. Inq. die 20 1883 edita, artic. tert. de impedimenta et metus.*

Hisce praemonitis, proposita fuit enodanda dubii formula : « *An sententia Curiae Archiepiscopalis Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu* », cui dubio responsum fuit : « *dilata et compleantur acta processus iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio »;*

qui Ordinario Parisiensi rescripsit, ut suppletorium processum conficeret ad normam instructionis a defensore vinculi exaratae, quae ita fuit digesta :

« 1° Excutiantur testes ex officio. Veri enim absimile non est, alios, praeter testes a Constantia productos praesto esse, de factis matrimonii celebrationem praecedentibus, concomitantibus et subsequentibus instructos.

« 2° Igitur spectatissimo viro qui matrimonii iura apud Archiepiscopalem Curiam ex officio tuetur, grave non sit ea qua praestat diligentia et dexteritate perquirere atque omni industria curare, ut ii ad examen adducantur.

« 3° Faciat autem quod possibile est, ut novi testes ad examen accedant inscia parte, ab eisque inter quaestiones generales quaerat num ab interesse habentibus rogati sint de testimonio.

« 4° Specialiter vero quaestiones concinnabit pro alta sua prudentia et conscientia ».

Curia Parisiensis, qua par erat sollicitudine, novos testes ex officio excussit et processu expleto, acta S. C. transmisit, haec habens : « si mentem nostram aperire fas est colligendum putamus, huius Curiae sententiam circa hanc causam, ex actis recentioribus firmiorem potius evasisse ».

Actricis patronus duas in partes dispescit suam orationem, atque in prima parte refutantur testimonia aliquorum testium, qui in hoc processu suppletorio contra actricem deposuerunt, in altera aliorum testium depositionibus suam thesim comprobare contendit.

Quibus refutatis, ad alteram partem suae orationis descendens patronus affirmat ex hoc suppletorio processu, causam suae clientis firmiorem potius evasisse et praeprimis observabat mirandum non esse quod non omnes testes inscia parte ad examen accesserint, veluti in votis matrimonii defensoris erat. Quum enim curia, quae sub initium, huiusmodi, non dicam iussui, sed consilio « faciat quod possibile est » obtemperare quaesierat, quosdam testes se infensissime gerere vidisset, aequum duxit attestationes parti communi-

care et facultatem facere sese defendendi. Et recte, iuxta defensorem, egit Curia; nam legitima defensio iuris naturae est, nec deteriorem facere Constantiae conditionem curia potuisset, quod profecto, accidisset, si tabulis processualibus rimatis, facultas data esset eius adversariis quidquid vellent deponendi, non vero actrici eorum calumnias refellendi. Hoc dicto, ad examen testium descendit.

Iuxta patronum circumstantiae omnes quae metum gravem constituunt, in novo processu, ut innuebamus, mirifice confirmantur. Et revera, quoad matris indolem, testes repetunt fuisse asperam, violentam, iracundam, absolutam.

Praeterea, refert advocatus, ex actis postremis luculenter colligitur, matrem insanae ambitionis cupiditate ductam, nomine divitiisque Marchionis al lectam, matrimonium firmiter voluisse, e contra filiam alieno amore accensam, pravis moribus Marchionis indignatam, illud perhorruisse. Colliguntur etiam aspera inter matrem filiamque certamina, colliguntur iniuriae, contumeliae, saevitiae in insontem puellulam, colliguntur verbera, suicidii conatus, e domo expulsio, exhereditatio : haec autem varii testes confirmant.

Sed ubi, iuxta patronum, novus processus excellit, est in testimoniis et attestationibus scriptis circa Constantiae incorruptos mores, fidem immotam, veritatis amorem, religionem insignem.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Vinculi defensor e contra sustinet Constantiae matrimonium fuisse validum, quippe nulla coactione contractum, uti comprobant plures testes in hoc processu suppletorio excussi.

His positis, sacramenti tutor observat, praesentem causam non differre a Bononien. nullitatis matrimonii, de qua fuse ipse egit in animadversionibus diei 23 Ianuarii nuper elapsi, quas resumere Emi Patres sueta benignitate dignabuntur. Si quod inter istam et illam causam intercedit discrimen, iuxta oratorem, in eo tantum consistit quod bononiensis iudex inquisitor cum advertit testes ex officio vocatos cum testibus ab actore productis e diametro pugnare, haud

commotus, inquisitionem prouti de iure prosecutus est, testes ex officio usque ad ultimum excussit, nec attestationes, antequam inquisitionem perduceret, ad notitiam alterius partis venire permisit.

Versa vice parisiensis iudex inquisitor statim atque persensit assertiones actricis profligan, testes attestationesque eidem manifestavit. Hoc pergit defensor, ab ipso vice-praeside tribunalis Parisien, affirmatur: « Quatuor testes, quantum potuimus, inscia parte, saltem sub initium, citavimus et audivimus. Quum vero quidam testes se infensissimos praebuissent, nobis aequum visum est attestationes parti communicare, et facultatem facere sese defendendi ; unde auditi sunt testes sponte petentes, et alii quos nonnisi per actricem novimus ».

De hac re valde miratur sacramenti assertor, quia non videt comitem Choiseul, marchionem de St. Innocent et comitissam de Robesart actrici infensos se exhibuisse. Non enim, ipse ait, unum idemque est veritates ingratas iussu iudicis denuntiare et infensos esse. Ingratas quidem veritates praefati testes professi sunt, at orator nec unum deprehendit verbusculum, quod animum iniquum prodat : imo, iuxta eum, argumenta animi benevoli erga actricem exhibent, quotiescumque absque veritatis praeiudicio id praestare possunt. Speciminis ergo infensissimus ille comes de Choiseul ait : « J'ai cependant pour elle (Canstantia) une grande sympathie parce qu'elle est très bonne ».

Unde, observat matrimonii tutor, memorata actorum revelatione factum est ut adversi testes in praefatos comitem de Choiseul, marchionem de St. Innocent et comitissam de Robesart probra quaeque impune coniecisse : iudicium nempe matrimoniale, idest, in civile criminale versum esse, reis insciis atque indefensis. Hoc modo, exclamat orator actum esset de omnibus matrimoniis ; nam ecquis testimonium pro matrimonio dicere posthac audebit, si ei, prouti corniti de Choiseul, marchioni de St. Innocent et comitissae de Robesart, conviciari liceat ?

Sed, urget orator, cur citati testes ad rem facientes accusationes potius non definiunt ? prout faciunt, dum dicunt comitis de Choiseul ne matrimonium dissolvatur interesse, quia ratione tutelae Marchionis Caroli de Montalembert sustentationi prospicere tenetur. Quam accusationem a veritate esse alienam, iuxta illum, liquet ex verbis ipsis iurisconsultus Mauritii Bouts, qui Constantiae negotia gerit: « Mr. de Choiseul donna sa démission de conseil judiciaire de Mr. de Montalembert » quando ventilata est causa divortii : vel cum inquiunt comitem de Choiseul nullum non movere lapidem, ut matrimonii solutionem impediat ; dum e contra comes de Choiseul in prima inquisitione ne vivum quidem se praebuit, in nova autem ad examen venit a iudice vocatus : vel tandem cum organniunt : *On a même dit quii* (comes de Choiseul) *avait fait agir Mr. Poubelle ambassadeur près du Saint-Siège* ». Quod oratori incredibile videtur; nam si ille vir quid simile molitus esset, non certe Brnos Patres lateret.

Unde defensor matrimonii alia omittens ac reprobans hunc modum conficiendi processus matrimoniales se appellat ad instructionem diei 22 augusti 1840 a S. C. C. editam : « Quatenus Defensori Matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam iudex prae sua diligentia assumendam, finis imponetur probationis collectioni et publicabitur processus, edito super hoc decreto a iudice, factisque subscriptionibus ab eo, a defensore matrimonii et a cancellario. Haec habenda methodus. Quae in actis continentur nemini, nec ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto defensore matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen ».

Quae instructio, concludit sacramenti vindex, praeterquam quod impedimento est ne matrimoniale seu civile in criminale vertatur iudicium, tutissimum fundamentum habet in *cap. 2 de test, et attesi. Clement.*

Hisce praenotatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Archiepiscopalis Curiae Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C C . re disceptata sub die 21 Augusti 1897, censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

DIOECESIS L.

PRAESCRIPTIONIS IN CAUSIS CRIMINALIBUS ECCLESIASTICIS

Die 4 Martii 1898.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus dioecesis L. datis uteris sub die 16 Iunii 1894 S. Sedi exposuit, quod in causis criminalibus clericorum, in sua Curia promotis sive ex officio, sive ad instantiam privati accusatoris, non raro quaestio praescriptionis delictorum carnis exurgit. In hoc autem puncto variae sunt doctorum, sive vetustiorum sive modernorum sententiae. Nonnulli enim, uti *Reinfestuel, Ferraris,* dicunt delicta carnis praescriptione quinquennali extingui, alii uti *Farinae. Prax. crim. q. 13,* triennali, alii uti *Carol. Pellegrini prax. Vic. p. IV,* vicennali. Alii uti *Schmalzgrueber Ius Ecc. un., Buix de iudiciis, D. Craisson. Manuale Iur. can.,* e contra sustinent, legem civilem romanam de quinquennali praescriptione delictorum carnis in causis ex officio seu ad vindictam publicam adversus clericos motis, minime receptam esse.

Hinc praefatus Episcopus ad removendos óbices qui ex huiusmodi opinionibus administrationi iustitiae obveniebant, sequentium dubiorum solutionem exquirebat.

I. *An delicta carnis, a clericis commissa, aliqua praescriptione extinguuntur, ita ut certo temporis spatio interiecto,*

in ea amplius neque inquiri, neque reos poena affici, sive ad instantiam privati accusatoris, sive ad vindictam publicam seit ex officio fas sit? Et quatenus affirmative :

II. *Quinam annorum numerus requiratur ad hanc praescriptionem inducendam t*

Sacra Congregatio Concilii, cui primitus haec controversia pro solutione fuerat oblata, in conventu generali diei 22 Augusti 1896 respondit : *Transmittatur ad S. Cong. Episcop. et Regul.* In sequelam huius rescripti, die 12 Martii 1897 quaestio examinanda proposita fuit praefatae Congr. Episc, et Regul. Verum haec antequam deveniret ad decisionem, tam implexae et arduae controversiae iussit exquiri votum unius ex doctioribus Antistitibus Urbis, cuius synopsis haec est.

Disceptatio Synoptica

VOTUM CONSULTORIS. Non desunt auctores qui absolute impugnant legitimitatem praescriptionis poenalis utpote repugnantem naturae poenae et exitiosam ordini sociali ; posito enim hoc instituto delinquentes semper possent sperare impunitatem. Sed, ait Rmus Consultor, haec opinio paucorum, est : et in praxi, praesertim in iure positivo moderno, fere ab omnibus admittitur poenalis praescriptionis institutum et quidem sub duplici forma, nempe et *qxi.& praescriptio actionis poenalis* et qua *praescriptio poenae.* Haec secunda praescriptionis species primum introducta gallica lege an. 1791, recepta fuit in multis codicibus contemporaneis.

Verum non ita sentiendum de antiquis legislationibus et praesertim de iure Romano : reapse neque in Pandectis, neque in Codice lustinianeo ulla adinvenitur dispositio circa poenae praescriptionem, et Codex Gregorianus super delictis et poenis art. 39-43 eam positive respuit. Nil mirum' proinde si neque a iure ecclesiastico hoc secundae speciei institutum admissum fuerit.

Aliter vero retinendum quoad institutum *praescriptionis actionis poenalis.* Apud Romanos introducta initio imperii, posterius aetate summorum iuristarum perfecta fuit, et fir-

matum principium quod crimina vicennali tempore praescriberentur : *Querela falsi temporalibus praescriptionibus non excluditur, nisi viginti annorum praescriptione, sicut cetera quoque crimina. Leg. 12 Cod. ad leg. Corn, de fais.* Ab hac regula excepta sunt I° nonnulla crimina quae ob sui gravitatem a beneficio praescriptionis exclusa sunt uti parricidium, suppositio partus, et serius ob receptam in statu christianam religionem crimen apostasiae ; 2° ob nonnulla crimina minora tempus ad praescribendum restrictum fuit; hinc actio iniuriarum annali decursu *leg. 5 Cod. de iniur.,* et delicta carnis sicuti peculatus spatio quinquennali extinguebantur *leg. 2 Cod. de vectig. et commis.* Huius quinquenniis praescriptionis pro reatibus carnis institutum, ordine temporis prius in romana iurisprudentia receptum, Rmus Consultor putat connexionem quamdam habere cum religioso instituto *Lustri* quinquennalis, nempe cum illo solemni sacrificio expiatorio apud Romanos singulis quinquenniis peragi solito. Theoria actionis criminalis praescriptionis generaliter recepta fuit a subsequentibus codicibus, et ipse Codex Gregorianus dum respuit poenae praescriptionem, recipit praescriptionem actionis poenalis, exceptis criminibus contra religionem et statum. Cfr. art. 39-43.

At pari ratione haec praescriptio dici potest admissa in Iure canonico, subdit Consultor. Certe nullus super hoc invenitur expressus textus ecclesiastici iuris, et tantum in *cap. 6 Cum, venerabilis, tit. 25 de excep., lib. 2 Decretalium,* vicennalis praescriptionis iuxta romanum ius mentio recurrit. In hoc enim capite edicitur quod exceptio falsi non praescribitur, nisi decursu viginti annorum: quod profecto rationem habet cum supra relata lege *12 Cod. ad leg. Cornei, de fais.*

Verum etsi nullus super hoc puncto extat textus expressus canonici iuris, tamen ex huius connubio cum romano iure factum est, ut ecclesiastica iurisprudentia practice et ex sensu doctorum amplexa sit theoriam et dispositiones iuris romanorum circa praescriptionem actionis poenalis in quae-

stionibus criminalibus, nonnullis aliis delictis a praescriptione exclusis, uti duellum, crimen laesae maiestatis, assassinium, crimen falsae monetae, haeresis, simoniae, concussionis, abortus, et etiam simoniae iuxta *Farinae. Prax. crim. q. 10, n. 29, 30; Carpzov. q. 141.* Haec doctrina communis est apud interpretes iuris canonici : satis est referre doctores quos etiam allegat Episcopus L. in supra citata epistola, *Reinfestuel Ius can. univ., t. 2, tit. 20, n. 179; Ferraris v. Usucapió, % 5, num. 39; Farinae. Prax. crim. q. 10; Schmalzgrueber Ius eccl. t. 5, § 1, n. 121, et ex recentioribus addi possunt De Angelis, Gentilini Praelect. iuris can., t. 4, p. 263, et 341, n. 2, et Santi tit. de praescrip.* Quin imo Farinacius in 1. c. examinans funditus quaestionem cur theoria romani iuris de praescriptione actionis poenalis etiam in foro ecclesiastico sit introducta, hanc adducit rationem quia *lex civilis in hoc non reperitur per canones correcta.*

A communi DD. sententia dissentit recens auctor Maupied *Iur. can. un. comp. p. 5, lib. 13, cap. 10, § 1,* ibi: *De iure canonico extinguitur accusatio criminalis solummodo per mortem accusatoris vel accusati ante latam sententiam. Iure autem caesareo per praescriptionem quinque annorum pro delicto carnis, viginti annorum pro crimine raptus et adulterii* etc. Rmus Consultor carpit hunc auctorem ut parum scientem, vel potius non debite consulentem fontes canonici iuris, et redarguii de facta confusione inter simplex adulterium quod quinquennio praescribebatur, et adulterium cum incestu coniunctum quod praescriptione vicennali perimebatur iuxta supra relatas leges. Neque admitti item potest discrepantia doctorum circa lapsum temporis in praescriptione actionis poenalis, ceu vellet Episcopus dioecesis L. in supra citata epistola. Nedum Reinfestuel et Ferraris aliique canonistae concordant in statuendo lapsu viginti annorum pro delictis in genere, et quinquennii pro criminibus carnis, sed etiam ipse Farinacius, qui in pluries citata *quaes. 10* suae *prax. crim.* ita controversiam resolvit

n. 1. *Regula prima. Delicta tam publica quam privata spatio viginti annorum praescribuntur,* et n. 15 1. c. *haec enim crimina* (delicta carnis) *non solum sicut alia praescribuntur, verum etiam eorum accicsatio et actio minori tempore ceteris aliis, quinquennio scilicet tolluntur. Confer Pirhing Ius can. univ. lib. o, tit. 1, qui citat Farinae. Confer Pichler Ius can. un. lib. 5, tit. 16, n. 9; Schmalzgrueber ius eccl. univ. lib. 5, tit. 1, § 12i,* et demum ipsum *Carol. Pelleg.* qui si in cit. loco suae *Praxis Vic.* dicit ad praescribendam actionem poenalem requiri lapsum viginti annorum, id ex eo est quod ipse inibi agebat de delictis in genere et non in specie de delictis carnis, uti patet ex textibus ab eo allegatis *cap. 6 Cum Venerabilis de except.* et *leg. Querela falsi Cod. de fais.* Proinde auctores a praefato Episcopo adducti alio prorsus sensu sunt intelligendi.

Potius si aliqua discrepantia inter canonistas admitti velit haec versatur circa extensionem praescriptionis poenalis, contendentibus nonnullis hanc tantum locum habere in delictis ad *instantiam privati accusatoris* et aliis etiam quando in delictis proceditur *ex officio* seu *ad vindictam publicam.* Haec discrepantia etiam apud iuris romani interpretes existens iuxta *Farinae. I. c. n. 3 et 4* repetenda est ex glossa ad *leg. 12 Cod. ad leg. Cornei, de falsis,* ubi edicitur *in crimine falsi ius inquirendi ¿,er annos triginta durat.* Ex hoc nonnulli interpretes uti *Fleck B ibi. iur. civil, lib. 6, tit. 1,* et *Banniza I) is quis. ex iur. crim. de praescr. cont. iudic, ex offic. inq. loc. non hab.,* quos postea sequuti sunt *Schmalzgrueber, Bouix et Craisson;* et novissime etiam *Gentilitii* in continuatione operis *De Angelis tom. 4, p. 263,* deduxerunt praescriptionem actionis poenalis locum non habere in delictis ubi iudex procedit *ex officio.*

Sed haec profecto non est doctrina praevalens inter Doctores. *Farinae, l.c. n. 3,* dicit communem sententiam quod praescriptio actionis poenalis locum habeat in utroque casu, ex ea ratione quod inquisitio successit loco accusationis, et sicut haec praescriptione tollitur, ita et illa perimi

debet, *aliter enim per indirectum concederetur quod, est directe prohibitum,* et loquens de supra citata glossa dicit, quod ea communiter reprobatur, *quia veritas est, quod post viginti annos iudex, nec ex officio inquirere potest in crimine falsi.* Idem sentiunt *Pirhing in tit. de praescripta n. 126; Reinfestuel I. c,* et signanter P. Bordoni iam S. Officii Consultor, in suis operibus *t. 5, cap. 82, sect. 4, 39,* ubi postquam locutus est de praescriptione quinquennali pro delictis carnis et de vicennali pro criminibus in genere subdit: *Procedit, quovis modo in causa procedat iudex, sive ex officio sive ad instantiam partis... Praedicta valent etiam apud Regulares.*

Ex hucusque enucleatis Rmus Consultor deducit inter canonistas communem doctrinam esse I° quod praescriptio actionis poenalis in causis criminalibus ecclesiasticis admitti debet; 2° quod haec locum habeat sive iudex procedat *ad instantiam privati accusatoris,* sive *ex officio seu ad vindictam publicam;* 3° quod tempus statutum ad praescribendum pro delictis in genere est spatium viginti annorum, et quinquennium pro delictis carnis in specie, exceptis nonnullis gravioribus criminibus quae praescriptioni subducuntur. Sed nunc videndum, pergit Rmus Consultor, utrum haec recepta apud canonistas doctrina respondeat praxi fori ecclesiastici et signanter S. Congreg. Recolit in primis quod an. 1800 die 30 Octobris Summus Pontifex Pius VII in sua Constit. *Post Diuturnas* sub titulo *de iurisdictionibus Tribunalium et iudicum tribunalium* etc. disposuit quod omnes causae Criminales a Curiis ecclesiasticis provenientes non amplius deferrentur ad Tribunal A. C. ut in antecessum, sed ad Congregationem Episc, et Regul. Ex hoc tempore praefata Congregatio coepit explicare iurisdictionem in materia criminali de qua prius tantum competens erat Curia A. C. Sedulo adnotat Consultor quod Archivium Tribunalis A. C. fuit deperditum tempore usurpationis, unde elementa ad statuendam praxim in foro criminali ecclesiastico, solum ex hac S. Congregatione desumere potuit, sicuti etiam animadvertit,

quod exceptio praescriptionis actionis criminalis raro opponi poterat cum ageretur de causis in secundo gradu appellationis.

Item praemittit quod Canonistae in more habent continuo sequi evolutionem et decisiones in foro ecclesiastico emanatas et tradere doctrinam ipsis conformem ; hinc factum quod a Canonistis admittitur praescriptio poenalis actionis, supponit quodammodo etiam eam admissam fuisse a Tribunalibus ecclesiasticis ; idque eo magis quod haec praescriptio admittitur etiam a Regula organica criminali quoad laicos edita iussu Greg. XVI die 5 Novembris 1831 neque ullimode revocatur in appendice eidem Regulae adiecta pro Curiis ecclesiasticis.

Hisce ad clariorem rei intelligentiam praeiactis, Rmus Consultor suum assumptum probat adducendo nonnullas epistolas huius S. Congreg. In primis sunt duae litterae, una ad Episcopum Tiburtinum sub die 20 Iunii 1831 in qua loquens de nonnullis accusationibus, ipsa eas vocat *antiquatas;* in alia epistola autem ad Episcopum Foroliviensem expresse edicitur quod *in peccatis seu delictis carnis exoritur praescriptio post lapsum* quinquennii ; hae duae epistolae per extensum referuntur in Ephemeride *Analecta Iuris Ponti f.* XII 1132 et XX 718.

Item quod lapsus temporis multum attenditur ab hac S. Congr., demonstrat aliis epistolis eiusdem S. Congreg. Sic in epistola diei 26 Iunii 1826 ad Emum Episcopum Senogalliensem, accusationes contra Episcopum Fanensem inter alia respuuntur utpote quia *antiquatae et sopitae:* in epistola 3 Martii 1823 ad Episcopum Tolentinatensem, nonnullae imputationes contra parochum factae reiiciuntur utpote *antiqui temporis:* in epistola 11 Febr. 1833 ad Emum Archiepiscopum Firmanum nonnullae accusationes non fuerunt receptae, utpote quia fundatae *in factis antiquatis.*

Demum in epistola ad Archiepiscopum Camerinensem Administratorem Treiensem sub die 30 Iunii 1827 edicitur, quod post probationes extraiudiciales circa puellae deflorationem, et post ipsius capturam seu arrestum, necessarius

est processus iudicialis, *quamvis currat quintus annus a commisso crimine.* Huius processus confectio alia epistola coaeva eiusdem diei commissa fuit Episcopo Asculano, et in hac explicatur item necessitas procedendi super crimine praemisso, quamvis *curreret quintus annus a commissa defloratione.* Opportune animadvertit Rmus Consultor in hac ultima epistola agi de processu non ad *instantiam partis* sed *ex officio,* et tamen ibi innuitur praescriptioni quinquennali, quae si opponi non potuit, ex eo repeti debet vel quod quinquennium lapsum non erat, vel quia haec erat iam interrupta per puellae defloratae cap turam.

Statuta et probata existentia praescriptionis actionis poenalis in causis criminalibus ecclesiasticis, Rmus Consultor gressum facit ad ipsius naturam iuridicam enucleandam. Notat quod huiusmodi examen fieri nequit iuxta principia modernae scientiae criminalis, sed normae desumendae sunt a lege romana et canonica: iam vero iuxta hanc legem praescriptio actionis poenalis non se habet tamquam novum institutum ut in modernis legibus, sed subiicitur iisdem regulis praescriptionis actionis civilis. Notum autem est quod huius praescriptionis requisita duo praecipua sunt, nempe lapsus temporis a lege statuti et bona fides. Quoad primum requisitum, uti superius dictum est, quinquennium statutum est pro delictis carnis in genere et vicennium pro delictis in genere. At quando hoc tempus incipit decurrere in praescriptione? quaerit Consultor. In iure romano habetur principium *ex eo die quo quid admissam est, tempus accipiendum est,* leg. 29, § 7, D. ad leg. Iul. de adult. Hinc I° si agatur de crimine consummato, praescriptio incipit decurrere a die consummati criminis. 2° Si agatur de tentarnine criminis, praescriptio incipit cum actibus constituentibus tentamen criminis. 3° Demum si agatur de crimine continuato ad quod consummandum plures actus successivi requiruntur, praescriptio non decurrit nisi a consummatione criminis seu a cessatione continuationis reatus. *Schmalzgr neh er I. c.* cum aliis canonistis *in delictis, quae successiva sunt et pernia-*

nentia, nulla praescriptio locum habet nisi a tempore cessantis delicti. Haec, si res intime spectetur, maxime respondent theoriae iuridicae praescriptionis actionis poenalis, in elapso enim tempore a die consummati vel tentati criminis delinquens praesumitur ad bonam frugem rediisse.

Quaestio est inter DD. utrum principium decursus temporis ad praescribendam actionem poenalem incipientis uti supra dictum est a die perpetrationis criminis, valeat etiam in delictis occultis. Nonnulli hoc negant, innixi principio *contra non valentem agere non currit praescriptio,* et hinc tradunt quod in delictis huiusmodi praescriptio actionis poenalis incipit decurrere *a die scientiae accusatoris vel inquisitoris.* Alii sequentes principia modernorum codicum affirmant initium praescriptionis actionis poenalis locum habere absolute a die patrati criminis independenter a scientia accusatoris vel inquisitoris, iuxta superius adductum principium *ex eo die quo quid admissum est, tempus accipiendum.* Inter has oppositas opiniones media habetur et est proposita a Ferran. G-argias *cons. crimin. divers. 124, n. 18,* et hanc Farinae, in loc. sup. cit. *q. 10, n. 13* dicit in praxi receptam. Iuxta hanc opinionem, vel crimen ita est occultum ut facile inquisitor, vel accusator per diligentem et generalem inquisitionem in ipsius notitiam devenire potest, et tunc praescriptio currit etiam ignoranti, quia Curia vel accusator sibi imputare debent, si illud inquirere omiserunt; at si crimen ita occultum manet, ut etiam post diligentem inquisitionem detegi non potuisset, tunc verius est praescriptionem minime currere a die delicti, sed a die habitae notitiae. Hanc opinionem vero praevaluisse in foro usque ad an. 1831 testatur Raphael Ala in sua *praxi Criminali n. 17, Reg. 3,* qui munus advocati exercuit nedum apud Tribunal Consultae, sed etiam apud hanc S. Congregationem.

Deinde Rmus Consultor confutat opinionem nonnullorum, qui innixi *cap. 5 de Consuetudine in Decretalibus,* tradunt iudici semper integrum manere ius procedendi contra delinquentem, quando id exigat salus animarum vel dignitas or-

dinis sacerdotalis. Maxima enim differentia est inter consuetudinem quae introducta est in bonum integrae communitatis et praescriptionem quae respicit tantum privati bonum. Hinc prudens fuit Principis consilium reprobandi preventive illas consuetudines per quas ordo socialis turbaretur, vel ex quibus *nervus ecclesiasticae disciplinae disrumperetur.* At hoc periculum exulat in praescriptione poenali. Vel enim agitur de delictis manifestis vel ita occultis ut ea facile detegi possunt, et tunc sibi imputent si qui inquirendi vel accusandi ius et officium habebant, non exercuerunt praefinito temporis spatio: vel agitur de delicto totaliter occulto, et tunc nullum periculum scandali timeri potest: et dato quod delictum evadat progressu temporis manifestum, accusatori vel inquisitori integrum manet tempus procedendi contra delinquentem.

Demum ut praescriptio utiliter invocari possit requiritur ut totum tempus sit decursum, et quidem de die in diem seu quod non fuerit interrupta, sive per querelam vel inquisitionem vel alium actum procedendi; *ita Farin. Lc. n. 28: Non procedit praescriptio quando ante praescriptionem completam vel accusator querelam seu libellum accusationis porrexisset, vel fiscus et, eo instante, iudex ex officio inquisitionem formasset, tunc enim dicitur interrupta praescriptio in criminalibus etiam non interveniente citatione, licet secus sit in civilibus.*

Quoad alterum requisitum nempe *bonae fidei* Rmus Consultor observat, quod bona fides requiritur in praescriptionibus acquisitivis, et illis extinctivis, in quibus praescribens aliquem positivum actum emittere debet, non autem in illis in quibus praescriptio procedit ex non exercitio iuris illius, contra quem praescribitur, et quae nullum positivum actum requirunt ex parte praescribentis, ut in servitutibus praedialibus. In his vel nulla bona fides exigitur, vel si exigatur consistit in non impediendo exercitio iuris alieni. Ad hanc ultimam cathegoriam praecise spectat praescriptio poenalis, ut quaestio de bona fide est supervacanea, et reapse criminalista^ de ea non inquirunt.

Hisce disputatis circa naturam praescriptionis poenalis, Rmus Consultor expendit effectus eiusdem, cuius primus est ut penitus extinguat poenalem actionem, et accusator vel inquisitor eam amplius exercere non valet. Attamen ut praescriptio suum sortiatur effectum requiritur ut a delinquente sit opposita, alioquin per rei acquiescentiam accusationi vel inquisitioni, ea reviviscit. *Farinae. I. c., n. 35 ; Ala I. c. num. 29.*

Alter effectus huius praescriptionis est, quod opposita périmât effectus criminales, sed non canonicos, unde intacta semper manet actio civilis.

Tertio demum quamvis praescriptio extinguat actionem poenalem, ita ut amplius nequeat in posterum inquiri contra reum, tamen non aufert ius ad excipiendum, et delictum quamvis praescriptum, semper tamen reo obiici potest iuxta notum adagium *temporalia ad agendum* perpetua sunt ad excipiendum.* Hinc v. g. si ageretur de rei concursu, vel optione, aut electione ad aliquod officium, beneficium etc. semper reo opponi possit per viam exceptionis crimen patratum quamvis rite praescriptum ad eius indignitatem probandam. Haec voti elaborati synopsis : post quod supposita sunt enodationi sequentia

Dubia

I. *An delicta calais, a clericis commissa, aliqua praescriptione extinguuntur, ita ut certo temporis spatio interiecto, in ea a ; aptius neque inquiri, neque reos poena affici sive ad insta dia m privati accusatoris, sive ad vindictam puhHca n seu ex officio fas sit?*

Et quatenus affirmative :

II. *Quinam annorum numerus requiratur ad hanc praescription em inducen d am ?*

RESOLUTIO. Die 4- Martii 1898. S. Congregatio Episc, et Regul. re mature discussa decisionem edidit iuxta votum Rmi Consultoris et mandavit eam notificari Episcopo dioecesis L. per sequentem epistolam :

Illustriss. ac Rme Dñe uti Fr.

Literae Amplitudinis Tuae die 16 Iunii 1894 datae ad obtinendam authenticam solutionem nonnullorum dubiorum circa praescriptionem delictorum carnis in causis criminalibus clericorum, remissae fuerunt ad hanc S. Congregationem Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam ad hoc, ut ea, qua ipsa pollet competentia in re criminali clericorum, quid in proposita quaestione sentiendum decerneret. Omnibus sedulo perpensis Emi Patres in comitiis habitis die 4 Martii 1898 haec retinenda censuerunt : tralatitii scilicet iuris esse, in causis criminalibus ecclesiasticis locum habere praescriptionem et quidem, nedum quando iudex procedit ad instantiam privati accusatoris, sed et quando ad vindictam publicam seu ex officio inquirit : huius vero praescriptionis eum proprium effectum esse, ut *solam périmât actionem, poenalem,* siquidem per accusatum seu inquisitum aut per eius procuratorem expresse de praescriptione in iudicio oppositum fuerit.

Exinde facile est deprehendere, integrum tum accusandi tum inquirendi ius manere usquedum expresse non opponitur praescriptio, et omnino tenere iudicium si eadem opposita minime fuerit.

Quod si in iudicium praescriptio deducta fuerit et legitima recognoscatur, tunc perimit quidem actionem criminalem, at non civilem, quae forte ex eodem delicto promanet ; et hinc non obstante praescriptione, reum manere obnoxium omnibus effectibus canonicis non *criminalibus* ex patrato delicto provenientibus manifesti iuris est. Imo licet praescriptione actio poenalis extinguatur, non tamen tollitur exceptio, quae perpetuo manet iuxta iuris effatum - Temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum - ideoque delictum illud, etsi praescriptum, potest reo semper opponi per modum exceptionis, eique obest si ad ecclesiasticas provisiones concurrere vellet.

Quod autem spectat ad tempus necessarium ad dictam praescriptionem inducendam, regula generalis est, actionem iniuriarum spatio unius anni, crimen peculatus et delicta carnis spatio quinque annorum a die commissi delicti continuorum praescripti. Verumtamen si agatur de delictis quae successiva sunt et permanentia, in his nulla praescriptio locum habet, nisi a die cessantis delicti, quemadmodum si delictum fuerit *totaliter* occultum, praescriptionem non a die commissi criminis, sed a die scientiae accusatoris vel inquisitoris currere placet.

Illud demum haud praetereundum est, quod criminibus raptus, stupri per vim illati, et adulterii cum incestu coniuncti, nonnisi lapsu viginti annorum praescribatur ; criminibus vero suppositi partus, parricidii, assassinii, laesae maiestatis, duelli, falsae monetae, apostatatus, haeresis, simoniae, concussionis, abortus et sodomiae nullo umquam tempore praescribatur, sed perpetuo horum criminum rei, dum vivant, accusari et inquiri possunt.

Quibus omnibus Illmo Dno Nostro relatis in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 21 Martii an. 1898, Sanctitas Sua sententiam Emorum Patrum approbare dignata est.

Haec significanda habui Amplitudini Tuae, cui fausta et prospera omnia a Deo adprecor.

Romae, 22 Martii 1898.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

URBIS ET ORBIS. Decretum praefixum primo volumini novae S. R. C. decretorum collectionis.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, cuius iussu et auctoritate Sacra Rituum Congregatio Decreta e suis regestis selecta, revisa et typis commissa in lucem profert, in Audientia, subsignata die, ab infrascripto Cardinali Sacrae eidem Congre-

gationi Praefecto habita, Collectionem horum Decretorum, quae in praesenti volumine ceterisque mox edendis continentur, apostolica sua auctoritate approbavit, atque authenticam declaravit, simulque statuit Decreta hucusque vulgata in iis, quae a Decretis in hac Collectione insertis dissonant, veluti abrogata esse censenda, exceptis tantum quae pro particularibus Ecclesiis indulti seu privilegii rationem habeant. Insuper idem Sanctissimus Dominus noster de praedictis praesens Decretum in forma authentica expediri, atque huic editioni, cusae typis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, praefigi mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. Die 19 Februarii, anno 1898.

CAMILLUS CARD. MAZZELLA *S. B. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI & *R. C. Secretarius.*

NULLIUS MONTIS CASSINI. Concessio sacerdotibus utriusque cleri nominandi in Canone Missae Abbatem ipsum.

In Abbatia Montis Cassini, Nullius, cui nuper adiuncta est, sub titulo Praepositurae, perantiqua Atinensis Dioecesis, in Canone Missae ad verba : *et Antistite nostro N.* nomen Abbatis Ordinarii exprimitur ex antiqua traditione orali et scripta, nunquam interrupta et pluribus argumentis suffulta. Hinc, ut eiusmodi consuetudo a communi iure difformis, speciali saltem Apostolico Privilegio confirmaretur in decus et dignitatem perinsignis Sedis Abbatialis, hodiernus Abbas Montis Cassini et Atinae Praepositus, per supplicem libellum Sacrorum Rituum Congregationi exhibitum, praemissis omnibus, quae ad rem et in casu opportuna et utilia fore existimabat, Sanctissimum Dominum nostrum Leonem Papam XIII pro se et successoribus suis enixe rogavit, ut de speciali indulto Apostolico nomen Abbatis Ordinarii Montis Cassini et Atinae Praepositi, in Canone Missae exprimi valeat, confirmata consuetudine per tot saecula ad haec usque tempora vigente. Quum vero, de mandato eiusdem Sanctissimi Domini Nostri, Sacra Rituum Congregatio omnia accurate expenderet, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, typis edito una cum supradicto supplici libello, ad dubium, per Emum et Rmum Dominum Cardinalem Hierony-

miim Gotti Causae Relatorem, in Ordinario Coetu subsignata die ad Vaticanum habito, ita propositum : *An Sacerdotes utriusque Cleri, qui sunt sub iurisdictione Abbatis Montis Cassini; possint in Canone Missae nominare ipsum Abbatem, ut iam a longissimo tempore faciunt ?* respondendum censuit: *Affirmative, retentis verbis:* Antistite nostro, *etiam a Clero Regulari et facto verbo cum Sanctissimo.* Die 26 Aprilis 1898.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationis Praefectum relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit die 29, iisdem mense et anno.

CAMILLUS CARD. MAZZELLA, S. *R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

NULLIUS NONANTULANAE. Indultum Sacerdotibus abbatiae Nonantulanae nominandi in canone Missae, ceu hactenus fecerunt, Archiepiscopum Mutinensem.

Extat in Abbatia Nonantulana, Nullius Dioecesis, Provinciae Ravennatensis, vetus consuetudo ut Sacerdotes in Canone Missae ad verba: *Et Antistite nostro,* nomen adiiciant Archiepiscopi Mutinensis, qui Abbatiae eiusdem Abbas Commendatarius est, atque Episcopus vicinior, a quo pariter Nonantulani Clerici sacros Ordines suscipiunt. Exorto dubio de legitimitate huius consuetudinis, Rmus Dnus Antonius C. Monaci Vicarius Generalis ipsius Abbatiae a Sacra Rituum Congregatione necessariam et opportunam declarationem humiliter postulavit. Et Sacra Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, etiam typis cuso, atque attentis peculiaribus adiunctis, super dubio ab Emo et Rmo Dno Card. Hieronymo Gotti huius Causae Relatore, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, ita proposito : *An Sacerdotes Nonantulanae Abbatiae, Provinciae Ravennatensis, possint nominare Archiepiscopum Mutinensem in Canone Missae ut hactenus fecerunt ?* rescribendum censuit: *Non esse inquietandos.* Die 26 Aprilis 1898.

Quam resolutionem ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatam, Sanctissimus Dominus noster

Leo Papa XIII ratam habuit et confirmavit die 29, iisdem mense et anno.

CAMILLUS CARD. MAZZELLA 5. *R. C. Praefectus.*

L. S.

DIOMEDES PANICI *S. R. C. Secretarius.*

ADDENDA ad Martyrologium Romanum.

Die 7 Septembris.

(Septimo Idus Septembris)

Nonantulae, in Aemilia, S. Hadriani Papae III., studio conciliandi Ecclesiae Romanae Orientales insignis. Sanctissime obiit Spini Lamberti, ac miraculis claruit.

Die 16 Octobris.

(Decimo septimo Calendas Novembris)

Cassini, B. Victoris Papae III., qui Gregorii VII. successor, Apostolicam Sedem novo splendore collustravit, insignem de Saracenis triumphum divina ope consecutus. Cultum ab immemorabili tempore eidem exhibitum Leo XIII. P. M. ratum habuit et confirmavit.

Die 8 Iulii.

(Octavo Idus Iulii)

Romae, B. Eugenii Papae III., qui postquam coenobium ss. Vincentii et Anastasii, ad Aquas Salvias, magna sanctimoniae ac prudentiae laude rexisset, Pontifex Maximus renuntiatus, Ecclesiam universam sanctissime gubernavit. Pius IX. P. M. cultum ei exhibitum ratum habuit et confirmavit.

Die 19 Augusti.

(Quartodecimo Calendas Septembris)

Romae, B. Urbani Papae IL, qui Sancti Gregorii VII. vestigia sequutus, doctrinae et religionis studio enituit, et fideles cruce signatos ad Sacra Palaestinae loca, ab infidelium potestate redimenda, excitavit. Cultum ab immemorabili tempore eidem exhibitum Leo XIII. P. M. ratum habuit et confirmavit.

Die 22 Iunii.

(Decimo Calendas Iulii)

Romae/B. Innocentii Papae V., qui ad tuendam Ecclesiae libertatem et Christianorum concordiam suavi prudentia adlaboravit. Cultum ei exhibitum Leo XIII. P. M. ratum habuit et confirmavit.

Die 19 Decembris.

(Quartodecimo Calendas Ianuarii)

Avenione, B. Urbani Papae V., qui, Sede Apostolica Romae restituta, Graecorum cum Latinis coniunctione perfecta, infidelibus coërcitis, de Ecclesia optime meritus est. Eius cultum pervetustum Pius IX. P. M. ratum habuit et confirmavit.

ORBIS.

instantibus Rmis PP. Hildebrando de Hemptinne, Abbate Primate Ordinis S. Benedicti, Sebastiano Wyart, Abbate Septem Fontium, Generali Ordinis Cisterciensium Reformatorum, et Andrea Frühwirth, Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, Sanctissimus Dominus noster Leo Papa XIII., ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, et referente infrascripto Cardinali Praefecto, Elogia Summorum Pontificum S. Hadriani III., et Beatorum Victoris III., Eugenii III., Urbani IL, Innocentii V., et Urbani V., ab ipsa sacra Congregatione revisa et correcta, prout in superiori extant exemplari, probavit atque ea in Martyrologio Romano inseri, de speciali gratia, concessit et iussit; non obstante Decreto sa. me. Clementis Papae XII., edito die 6 Martii anno 1734, atque aliis quibuscumque in contrarium facientibus. Die 29 Aprilis 1898.

C. CARD. MAZZELLA *S. R. C Praef.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI S. *R. C. Secr.*

DECRETUM, quo indulgetur clero saeculari Urbis, et Regularibus utriusque sexus in Urbe vel extra, utentibus Calendario Cleri Romani, recolere festum Beati Innocentii V die 22 Iunii.

URBIS.

Ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, quum SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII. cultum ab immemorabili tempore ac sine intermissione praestitum Beato Innocentio V. Papae Confessori suprema auctoritate sua nuperrime confirmaverit; Emus ac Rmus Dominus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Portuen. et S. Rufinae, atque ipsius SSmi Domini Nostri in Urbe Vicarius, Eumdem SSmum Dominum Nostrum supplicibus votis rogavit, ut, praeterquam in tribus Patriarchalibus Basilicis, a Clero Urbis Saeculari huiusque Districtus, necnon ab aliis etiam Regularibus utriusque sexus, in Urbe, vel extra, utentibus Calendario Cleri Romani, sub ritu duplici minori recolatur festum ipsius Beati Pontificis Confessoris, die vigesima secunda Iunii cum Officio ac Missa, hac die approbatis. Sanctitas porro sua, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, benigne precibus annuere dignata est : servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 29 Aprilis 1898.

C. CARD. MAZZELLA 5. *B. C. Praef.*

L. © S.

DIOMEDES PANICI .S. *R. C. Secr.*

ALIA ELOGIA in martyrologio romano inserenda.

Die 17 Iunii.
(Sextodecimo Calendas Iunii)

Apud Villam Regalem in regno Valentino, Sancti Paschalis Ordinis minorum, mirae innocentiae et poenitentiae viri, quem Leo decimustertius coetuum eucharisticorum et societatum a Sanctissima Eucharistia Patronum coelestem declaravit.

Die 5 Iulii.
(Tertio Nonas Iulii)

Cremonae in Insubria S. Antonii Mariae Zaccaria Confessoris, Clericorum Regularium Sancti Pauli et Angelicarum Vir-

ginum Institutoris, quem virtutibus omnibus et miraculis insignem Leo decimustertius inter Sanctos adscripsit. Eius corpus Mediolani in Ecclesia Sancti Barnabae colitur.

Die 9 Decembris.
(Quinto Idus Decembris)

Graii in Burgundia Sancti Petri Fourier, Canonici Regularis Salvatoris Nostri, Canonissarum Regularium Dominae Nostrae edocendis puellis Institutoris, quem virtutibus ac miraculis clarum Leo decimustertius Sanctorum catalogo adiunxit.

NEOPORTEN. ET MENEVEN. Dubia quoad ordinandum officium iuxta decretum praecipiens Missam esse celebrandam prout Kalendarium Ecclesiae in qua celebratur innuit (1).

Rmus Dnus Cuthbertus Hedley, Ordinis Sancti Benedicti, Episcopus Neoporten. Sacrae Rituum Congregationi ea, quae sequuntur, humillime exposuit, nimirum :

I. In Anglia nec dari Paroecias strictim dictas, nec Beneficia, quibus adnexum sit onus Divini Officii recitandi; verum Ecclesiis singulis addictos esse unum vel plures Sacerdotes, qui, ibidem residentes, munia quasi parochialia in Territorio sive (ut aiunt) in Districtu Missionario ipsius Ecclesiae ratione muneris exercent.

II. Rectores Ecclesiarum alios esse ad nutum Episcopi amovibiles, alios vero nonnisi praevio Processu canonico vel Resignatione, sponte oblata et accepta: universos autem Vicarios, sive Sacerdotes assistentes esse ad nutum Ordinarii amovibiles.

III. Ecclesias per Angliam perpaucas esse consecratas, ceteras benedictas sub invocatione Sancti Titularis : nonnunquam vero fideles (deficiente Aede sacra) congregari ad Missam audiendam, Sacramentaque suscipienda in Schola vel alia Aula congrua pro publico Oratorio ab Ordinario designata. Quare idem Rmus Episcopus Orator, apprime cupiens cuncta quae cultum divinum respiciunt in sua Dioecesi ad tramites Decretorum Sacrae Rituum Congregationis disponere enixe postulavit ; nempe :

(1) Habes praedictum Decretum Vol. XXVIII, 458.

I. An apud Anglos in Ecclesiis Cleri saecularis Kalendarium Dioecesanum a laudata S. Rituum Congregatione approbatum et singulis annis iussu Ordinarii editum additis festis Ss. Titularium, Dedicationis, atque aliis (si quae fuerunt) a Sancta Sede concessis, censeatur Kalendarium uniuscuiusque Ecclesiae, cui proinde quivis Celebrans in Sacro faciendo atque Sacerdotes Ecclesiae etiam in Officio Divino recitando se conformare debeant?

IL An liceat Regularibus, si quando ipsis precario committeretur una cum cura animarum administratio alicuius Ecclesiae Saecularium, Sacras functiones iuxta ordinem Kalendarii propriae Religiosae Congregationis peragere, relicto Kalendario Dioecesano, cui populus iam assuetus fuerit?

III. An Regularis Ecclesiae saeculari aliquando ad tempus sive ad beneplacitum Episcopi (Superiore Religioso assentiente) praepositus atque privatim recitans Horas canonicas, adhibito, iuxta decreta a S. Rituum Congregatione Kalendario proprio Ordinis, teneatur nihilominus ad Officium Sancti Titularis Ecclesiae saecularis praedictae et quidem sub ritu duplicis primae classis cum Octava ?

IV. Item, an commissa absque tempore praefinito, administratione Ecclesiae regularis Sacerdoti saeculari huic liceat, amoto Kalendario Regularium, quo hactenus usus fuerit Clerus illius Ecclesiae ordinare Missas et Officia publica iuxta Kalendarium Dioecesanum ?

V. Quid decernendum de Kalendario illorum Districtuum (sive sint de iure Cleri saecularis, sive de iure Cleri regularis) ubi Ecclesia nondum aediflcata, populus ad Sacra adunetur in aedificiis, nonnisi transitorie ad cultum destinatis?

VI. Cum saepenumero eveniat (vi privilegii a Sancta Sede concessi) Canonicos Ecclesiae cathedralis praepositos esse, cum cura animarum et onere residentiae Ecclesiis dissitis, nec a Cathedrali dependentibus, utrum a Canonico Rectore huiusmodi Officium divinum sit persolvere dum iuxta Kalendarium Cathedralis vel potius iuxta Kalendarium Ecclesiae, cui hac ratione et stabili modo, sive etiam vita perdurante, ipse fuerit scriptus?

VII. An Sacerdotes assistentes sive Vicarii teneantur in recitatione privata divini Officii se conformare Kalendario Ecclesiae, cui sunt addicti ?

VIII. An liberum sit Canonico Rectori, quamdiu hoc mu-

nere fungitur, statuere pro arbitrio Kalendarium Cathedralis pro Kalendario Ecclesiae et Districtus Missionarii, sive quasi Paroeciae, cui, ut supra praeest, ne scilicet Missa ab Officio discrepet?

IX. Utrum Officium Vesperarum Dominicis, festisque diebus publice decantari solitum, ordinandum sit iuxta Kalendarium Ecclesiae, in qua persolvitur, an potius concordandum cum Officio privatim recitando a Rectore Ecclesiae, partes ut plurimum hebdomadam agente?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Kalendarium dioecesanum adhibendum est.*

Ad VI. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Ad VII. *Affirmative.*

Ad VIII. *Negative.*

Ad IX. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*

Atque ita rescripsit die 4 Februarii 1898.

C. CARD. MAZZELLA 5. *R. C. Praef.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Dubia proposita.

Cum circa Constitutionem *Officiorum ac mt merum* huic Sacrae Indicis Congregationi sequentia dubia proposita fuerint, videlicet :

1. Utrum haec verba articuli V: *qui studiis theologicis aut biblicis dant operam,* intelligenda tantum sint de doctis viris, iis scientiis deditis, aut extendi valeant ad universos Sacrae Theologiae tyrones?

2. An opera (quae permulta sunt) erroribus infecta, *a Syllabe-* damnatis, verbis articuli 14 prohibita censeantur, quatenus errores ab Apostolica Sede damnatos continentia?

3. Utrum excerpta a periodicis capita seorsim edita (vulgo *tirages à part)* censeri debeant *novae editiones,* atque proinde nova approbatione indigeant, prout articulo 44 requiritur ?

4. Utrum dicta Constitutio vim obligatoriam habeat etiam pro regionibus britannici idiomatis, quas tacita dispensatione frui quidam arbitrantur?

Sacra Congregatio omnibus mature perpensis sub die 19 Maii 1898 responderi mandavit.

Ad 1^{m}. *Negative* ad 1^{am}. partem; *affirmative* ad 2^{am}.

Ad 2^{m}. *Affirmative,* si hos errores tueantur, seu propugnent.

Ad 3^{m}. *Negative.*

Ad 4^{m}. *Affirmative.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis Indicis die 23 Maii 1898.

EX S. G. NEGOTIORUM EXTRAORDINARIORUM

DECLARATIO AUTHENTICA quoad significationem denominationis *Indorum* **et** *Nigritarum* **in Litteris Apostolicis** *Trans Oceanum,* **die 18 Aprilis 1897** *(De Privilegiis Americae Latinae).* **(1)**

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

Die 24 Maii a. 1898.

Cum propositum fuerit dubium, quinam nomine *Indorum* et *Nigritarum* in Litteris Apostolicis *Trans Oeeanum* a SSmo D. N. Leone PP. XIII die 18 Aprilis 1897 editis, intelligi debeant, Eadem Sanctitas Sua, referente me infrascripto Sacrae Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, haec quae sequuntur censuit declaranda :

In praedictis Litteris Apostolicis *Trans Oceanum,* nomina *Indorum* et *Nigritarum* eadem significatione sumi ac in ce-

(1) Relatae fuerunt hae litterae Vol. XXIX, 659.

teris praecedentibus Constitutionibus pontificiis, de hac materia agentibus, speciatim in Constitutionibus Alexandri VIII *Animarum saluti,* diei 30 Martii 1690, et Benedicti XIV *Cum Venerabilis,* diei 27 Ianuarii 1757, videlicet:

I. Sub nomine *Inclorum* et *Nigritarum,* praeter ipsos Indos et Nigritas, comprehendi etiam eos, qui ex Indo aut Nigrita et ex muliere Europaea (vel europaei sanguinis) nec non qui ex Europaeo viro et Indica vel Nigrita muliere sunt progeniti, ideoque *Mixti, Mestitii* vel *Mutati* vocantur, et absolutam medietatem sanguinis europaei habent. Non autem comprehendi eos, qui originem ab Indis vel Nigritis ducunt per avum tantum vel a viam, quique *Quarterones* dicuntur, utpote quartam solummodo partem sanguinis indici vel nigritici habentes ; et multo minus qui per proavum vel proa viam dumtaxat ab Indis vel Nigritis originem trahunt, et vulgo *Puehueles* seu *Pueuelles* appellantur.

II. Insuper, *Inclorum* et *Nigritarum* nomine intelligi etiam Africanos, Asiáticos et Oceanios, dummodo ex europaeo sanguine non sint, ac in America Latina commorentur, quamvis in ea nati non fuerint.

Et ita Sanctitas Sua publicari et servari, mandavit, contrariis quibuscumque minime obfuturis.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die, mense et anno praedictis.

FELIX CAVAGNIS *Secretarius*
S. Congr. Negotiis Eccl. Extr. praep.

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

Quoad Baptisma conferendum adultis *in articulo mortis.*

Feria IV, die 30 Martii 1898.

Huic Supremae Congregationi S. R. et U. Inquisitionis delatum fuit enodandum sequens dubium :

Utrum Missionarius conferre possit baptismum in articulo mortis mahumedano adulto, qui in suis erroribus supponitur in bona fide :

I. Si habeat adhuc plenam advertentiam, tantum illum adhortando ad dolorem et ad confidentiam, minime loquendo de nostris mysteriis, ex timore ut ipsis non crediturus sit;

II. Quamcumque habeat advertentiam, nihil ei dicendo, cum ex una parte supponitur illi non deesse contritionem, ex alia vero prudens non esse loqui cum eo de nostris mysteriis;

III. Si iam advertentiam amiserit, nihil prorsus ei dicendo.

In Congregatione Generali habita ab EE. ac RR. DD. Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus, proposito dicto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, EEmi ac RRmi Patres responderi mandarunt:

Ad I. et II. Negative, i. e. non licere huiusmodi mahumedanis, de quibus in primo et secundo quaesito agitur, sive absolute sive eonditionate administrare baptismum; et dentur decreta S. O. ad Episcopum Quebecensem sub die 25 ianuarii et 10 maii 1703 (1), *et Instructio S. Officii sub die 6 iunii 1860 ad Vicarium Apostolicum Tche-Kiang.*

(1) *En dispositiones dictorum decretorum 25 Ian. 1703.* — **Quaeritur utrum antequam adulto conferatur Baptisma, minister teneatur ei explicare omnia Fidei nostrae mysteria, praesertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius- An non sufficeret si moribundus promitteret fore, ut ubi e morbo convalescet, instruendum se curet, ut in praxim redigat quod ei praescriptum fuerit.**

R. Non sufficere promissionem, sed missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria Fidei quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis.

10 Maii 1703. — **i. Quaeritur an missionarius possit conferre Baptisma, aliaque Sacramenta infirmo barbaro, cui explicata sunt Religionis mysteria, quique pollicitus est observaturum se mandata; missionarius autem certus est quod non promiserit ea servaturum nisi hoc tantum motivo, scilicet, quod nolit ei contradicere. Multae ipsi supersunt rationes dubitandi, num moribundus sit bene instructus, quia missionarius linguae barbarae rudis fere atque imperitus non potuit nisi obiter explicare mysteria sublimia, excedentia captum barbarorum, et quamvis moribundus affirmet se omnia capere, exteriora tamen et exiguitas devotionis persuadent id moribundum dicere ex eomplacentia, ita ut si alius ad eum accederet qui diceret, quod omnia quae dicta sunt ei nihil sint nisi merae Tabulae,** *etiam, sunt fabulae,* **responderet barbaras complacendi gratia. Hoc autem oriri potest ex duobus principiis: Primum quia non capit, quae ei dicuntur; ex. gr. animi levitale, ita ut eo ipso momento, quo dicit:** *credo et faciam,* **credat revera, et exequi velit, sed minima ratione contraria sententiam mutabit : quod tamen constat quod barbaras nollet uri in inferno, et sic affirmatio eius possit esse vere ex intimo cordis, difficultas est, utrum credat esse infernum, an vero audiat quae dicta sunt ei tamquam historiam sibi narratam, quae vera et falsa esse potest.**

2 An possit baptizari adultus rudis et stupidus, ut contigit in barbaro, si ei

Ad III. De mahumedanis moribundis et sensibus iam destitutis respondendum ut in decr. S. Officii 18 septembris 18Ô0 ad Episc. Perthensem; idest: « Si antea dederint signa velle baptizari, vel in praesenti statu aut nutu aut alio modo eamdem dispositionem ostenderint, baptizari posse sub conditione, quatenus tamen missionarius, cunctis rerum adiunctis inspectis, ita prudenter iudicaverit ».

Feria vero VI die 1 Aprilis eiusdem anni, in solita audientia R. P. 1). Assessori S. O. impertita, facta de his omnibus SSmo D. N. Leoni Div. Prov. PP. XIII relatione, SSmus resolutionem Emorum Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI S. R. et U. I. *Notarius.*

Quoad usum spiritismi.

Beatissimo Padre,

Tizio, escluso ogni accordo collo spirito maligno, usa evocare le anime dei trapassati. Egli opera così : solo, senz' altro

detur sola Dei cognitio, et aliquorum eius attributorum, praesertim iustitiae remunerativae el vindicativae, iuxta hunc Apostoli locum *accedentem ad Deum oportet credere quia est et remunerator est,* ex quo infertur adultum barbarum in certo casu urgentis necessitatis posse baptizari quamvis non credat explicite in Iesum Christum.

5. Utrum missionarius teneatur barbaris adultis baptizatis aut baptizandis omnia praecepta legis positivae divinae intimare, praesertim ea omnia quibus sese submittere difficultatem haberent, ut eiusmodi barbari securitate conscientiae fruantur, licet ea praecepta non observent quae ignorant, eo nitentes iuris axiomate *lex non obligat nisi fuerit promulgata.*

R. Ad I. Non licere, si missionarius sit moraliter certus, prout in dubio asseritur, barbarum infirmum non sufficienter iuxta proprii captus mensuram intellexisse mysteria religionis christianae sibi explicata, aut ea sufficienter non credere, et ex solo motivo non contradicendi promittere se servaturum mandata eiusdem religionis.

Si vero missionarius prudenter credat infirmum barbarum, quando dicit: *credo et faciam,* revera tunc sufficienter credere serioque promittere se servaturum, ut supra, debere baptizari.

Si aulem de praedictis, missionarius dubitet, et tempus non suppetat illum melius instruendi, immineatque periculum mortis, debere itidem baptizari sub conditione.

Ad 2. Missionarium non posse baptizare non credentem explicite in Dominum Iesum Christum, sed teneri illum instruere de omnibus iis quae sunt necessaria necessitate medii iuxta captum baptizandi.

Ad 5. Teneri omnia praecepta legis positive divinae intimare.

dirige una preghiera al Capo della Milizia celeste, perchè voglia concedergli di parlare collo spirito di quella determinata persona. Passano istanti; ed egli, preparata la mano a scrivere sente muoversi la stessa che lo avverte della presenza dello spirito. Egli espone quanto desidera sapere, e la mano scrive in risposta alle proposte di lui.

Le risposte sono tutte in conformità con la fede e lo insegnamento della Chiesa sulla vita futura. Riguardano perlopiù lo stato in cui trovasi l'anima di un defunto, il bisogno che potrebbe avere di suffragii, le lagnanze di essa sulle ingratitudini dei parenti ecc.

Ciò posto, è lecito l'operato di Tizio?

Feria IV, die 30 Martii 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EEmis et RR. DD. Cardinalibus, in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt :

Uti exponitur, non licere.

Feria vero VI die 1 Aprilis eiusdem anni, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de his omnibus SSmo D. N. Leoni Div. Prop. Pp. XIII relatione, SSmus resolutionem EEiîiorum Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI S. R. et U. I. *Notarius.*

FACULTATES quaelibet amodo conceduntur solummodo Ordinariis locorum.

Feria IV, die 20 Aprilis 1898.

Postquam per Decretum huius Supremae Sacrae Congregationis in Fer. IV die 24 Novembris 1897 (1) declaratum fuit facultates omnes speciales habitualiter a S. Sede Episcopis aliisque locorum Ordinariis concessas non suspendi eorum morte vel cessatione a munere, sed ad successores Ordinarios extendi, ad formam Decreti S. Officii Fer. IV diei 20 Februarii 1888 pro dispensationibus matrimonialibus; propositum fuit eidem huic

(1) Decretum hoc adest hoc volumine pag. 627.

S. Congregationi dubium, utrum expediat in posterum eliminare facultates *durante munere,* quae ut plurimum Vicariis Capitularibus conceduntur.

Porro in Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EEmis et RRmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, praefato dubio diligenter expenso, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EEmi ac RRmi Patres rescribendum mandarunt:

Clausulam durante munere, *esse supprimendam et in ceteris standum formae Decreti iam lati die 20 Februarii 1888 num. 1. et 2., at iuxta modum idest:*

« I°. Facultates omnes habituales in posterum committendas esse Ordinariis locorum ».

« 2°. Appellatione *Ordinariorum* venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarios in spiritualibus generales, et sede vacante Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem ».

Subsequenti vero Feria VI, die 22 eiusdem mensis Aprilis 1898, in solita audientia R. P. D. Assessori impertita, facta, de his omnibus SSmo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione SSmus resolutionem EEmorum Patrum approbavit, contrariis non obstantibus quibuscumque.

I. Can. MANCINI S. R. et U. I. *Notarius.*

DUBIA quoad accelerationem partus.

Beatissime Pater,

Episcopus Sinaloen., ad pedes S. V. provolutus, humiliter petit resolutionem insequentium dubiorum :

I. Eritne licita partus acceleratio quoties ex mulieris arctitudine impossibilis evaderet foetus egressio suo naturali tempore ?

II. Et si mulieris arctitudo talis sit, ut neque partus praematurus possibilis censeatur, licebitne abortum provocare aut caesaream suo tempore perficere operationem ?

III. Est ne licita laparatomia quando agitur de praegnatione extra-uterina, seu de ectopicis conceptibus ?

Feria IV. die 4 Maii 1898.

In Congregatione Generali habita ab EEmis et RRmis DD. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EEmi ac RRmi Patres rescribendum censuerunt :

« Ad I. Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur iustis de causis et eo tempore ac modis, quibus ex ordinariis contingentibus matris et foetus vitae consulatur ».

« Ad II. Quoad primam partem, *negative,* iuxta decretum Feria IV, 24 Iulii 1895, de abortus illiceitate (1).—Ad secundum vero quod spectat : nihil obstare quominus mulier de qua agitur, caesareae operationi suo tempore subiiciatur ».

« Ad III. Necessitate cogente, licitam esse laparatomiam ad extrahendos e sinu matris ectopicos conceptus, dummodo et foetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune provideatur ».

In sequenti Feria VI, die 6 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de omnibus SS. D. N. Leoni Div. Prov. Papae XIII relatione, SSmus responsiones EE. ac RR. Patrum approbavit.

I. CAN. MANCINI S. R. et U. I. *Not.*

(1) Decretum hoc relatum fuit Vol. XXVIII, 383. Recole in subiecta materia etiam Vol. XXII, 748, Vol. XXVI, 556.

EPISTOLA SSmi D. N. Leonis Papae XIII ad Archiepiscopum Mediolanen. Andream Ferrari S. R. E. Cardinalem, occasione, qua Civitas mediolanensis, aliaeque Italiae partes per rebelles homines agitatae fuerunt.

Signor Cardinole

Non poteva l'animo Nostro non commuoversi grandemente nelP apprendere i gravi tumulti avvenuti in varie regioni d'Italia, e i gravissimi, onde venne nei trascorsi giorni funestata Milano. Lugubre al Nostro pensiero si presentava tale spettacolo di sovversivi attentati e di spargimento di sangue cittadino, non meno pel male che rivelava che per quello che presagiva. Nè poteva, invero, il reo seme da lungo tempo sparso impunemente nella penisola con tanto pervertimento d'idee, con tanta corruzione di costumi e non minore danno della religione, non rendere amari frutti. Perciò era da attendersi che l'eloquenza dei fatti facesse rinsavire coloro, i quali, dopo avere osteggiato la salutare efficacia della Chiesa ed allontanato Dio dalla società, toccavano or ora con mano le rovine dell' opera demolitrice proseguita con tanto studio. Scorgiamo invece, non senza dolore, come essi, giovandosi del presente momento, danno sfogo alle più malevole insinuazioni, traducendo quasi rei delle ri-

Efhe Card.

Quum adeo graves in plerisque Italiae regionibus, praesertim vero Mediolani, tumultus nuper evenisse accepissemus, fieri non potuit, quin animus noster summo dolore afficeretur. Lugubre spectaculum menti obversabatur; atrocissimos enim fore rebellium ausus, et civium sanguinem profusum iri trepidantes suspicabamur, cum ob incommoda, quae hi tumultus inferebant, tum vero etiam ob peiora quae minabantur. Nec profecto fieri poterat, ut triste semen iamdiu in Italia, tanta cum moralium sensuum perturbatione, tanta morum depravatone, maximoque cum Religionis detrimento, impune sparsum, tristissimos non ederet fructus.

Ideo spectandum omnino erat fore, ut eventurum experientia docti ii resipiscerent, qui postquam salutarem Ecclesiae actionem aversati fuerant, et Dei nomen ab humana Societate amandaverant, nuper oculis ipsi suis viderant, inceptum subvertendae rei publicae opus, quod tanto studio prosecuti erant, dissolvi ac ruere. Contra haud sine moerore conspicimus, eosdem nunc, capta occasione, pessimis câlumniis honestos quosque cives impetere, hos tamquam auctores horum tumultuum incusantes, hanc

provevoli sommosse onesti cittadini, presi di mira sol perchè devoti alla Chiesa e all'Apostolica Sede ; ignorando, o fingendo d'ignorare che le sommosse popolari non è la Chiesa che le insegna, nè i cattolici che le promuovono; ma eh'è d'uopo cercarne altrove gli autori ed i complici. — In sì critici momenti, Noi avremmo desiderato che ella, Signor Cardinale, si fosse potuto trovare nella sua diletta Milano, conciliatore di pace ed apportatore di contorto; il togliere però motivo da questo fatto, che senza malevole prevenzioni sarebbe stato forse meno osservato, per lanciare sul capo dell' unto del Signore un torrente d'ingiurie, e trascinare tra mille vituperi un membro del Sacro Collegio, che è con particolare vincolo congiunto a Noi e alla Sede Apostolica, come da parecchi giorni con manifesta cospirazione settaria si vien facendo, e oltraggio che se contrista Noi grandemente, non può non recare sdegno ad ogni animo cristianamente civile. Siamo persuasi che non è tanto la persona di lei, che ha dato in ogni occasione nobile esempio di carità pastorale, a cui sono rivolte le ire; quanto il principio rappresentato da lei, cioè di tenere, sulle orme dei SS. Ambrogio e Carlo, intimamente unito a que-

unam ob causam, quod eos viderint Ecclesiae atque Apostolicae Sedi addictos: quasi vero ignorent, nisi forte ignorare simulent, populorum tumultus neque ab Ecclesia comprobari, neque a Catholicis promoveri, sed eorum auctores ac suasores aliunde inquirendos esse.

In his adeo difficilibus rei publicae angustiis Te, Erhe Cardinalis, Mediolani praesentem (atque utinam potuisses !), tamquam pacis sequestrem, et publici solatii causam, percupissemus. At vero ex ista absentia, quam adversarii, nisi maligno animo affecti fuissent, minus fortasse advertissent, occasionem arripere, Sacerdotem iniuriis insectandi, sacri Senatus patrem conscriptum, speciali nomine Nobis atque huic S. Sedi addictum, innumeris contumeliis palam traducendi (quemadmodum aliquot abhinc dies, manifesta perduellium conspiratione, istic, etiam num, fieri constat), eiusmodi ignominia est, quae ut Nos maximo moerore afficit, ita quemlibet christiano civilique ritu excultum in summam indignationem provocat.

Id vero Nobis omnino persuasum est, nequaquam contra te solummodo, Eme Cardinalis, qui praeclara semper pastoralis charitatis exempla praebuisti, verum etiam, imo potissimum, contra catholicam Religionem, cuius istic nomen et magisterium geris, dum SS. Ambrosii, et Caroli vestigia persequens, te gregemque tibi concreditum

sta Cattedra Apostolica il gregge affidatole. Peraltro non comprendiamo a qual bene possa condurre cotanto infierire contro l'autorità di un vescovo, quando si sente scossa con eccessi di violenza la stessa autorità sociale. — Se tale scatenamento di passioni, frutto della prevalenza settaria, non può non essere per Noi cagione di vivo rammarico, Ci è tornato a conforto l'apprendere le testimonianze di devozione e di stima a lei spontaneamente offerte, in risarcimento delle patite ingiurie, da cotesto Capitolo metropolitano e Clero addetto alla cura delle anime nella città e nel suburbio. Amiamo anche sperare che il laicato cattolico milanese, di cui lodammo più volte la energia e costanza di propositi e l'attaccamento alla Chiesa, non si lasci punto scoraggiare, anzi più unito nell'ossequio e nell'affetto al suo pastore perseveri saldo nei principii religiosi, in cui precipuamente è riposta la salvezza stessa della patria.

Non ha molto Ci siamo consolati delle splendide dimostra-' zioni di fede e pietà, date dai Milanesi, nel decimoquinto centenario del loro santissimo Protettore. Ed ora Ci è grato rinnovare ad essi ed al loro pastore i sensi della Nostra speciale benevolenza.

huic Apostolicae Sedi perpetuo coniunctum servare eniteris.

Attamen quid prodesse possit ignoramus adeo contra Episcopi auctoritatem efïerari, quando violentis motibus Reipublicae auctoritas ipsa concutitur.

Si quidem ista populorum effraenata licentia (fructus utique dominantis ubique Massonicae sectae) acerbi Nobis causa doloris est, maximopere Nos observantiae atque eximiae aestimationis testimonia pro toleratis iniuriis tibi ab isto Capitulo Metropolitano, Cleroque curam animarum in urbe et in suburbanis gerente, sponte exhibita vix Nobis nota fuere, plane recrear unt.

Volumus autem bene sperare, fore ut Laici catholici mediolan enses, quorum alias saepenumero constantiam, ac virilem propositi tenacitatem commendavimus, horum audacia territi, animo non despondeant; sed immo Pastori suo magis in dies obsequio animique affectu coniuncti, in religiosis dogmatibus profitendis, in quibus salus ipsa Patriae praecipue nititur, constantes firmique sint.

Haud ita pridem publicas, easque affatim splendidas, Religionis ac pietatis significationes ab civibus Mediolanensibus, cum quindecies centum comparentur anni ab obitu Sanctissimi sui Patroni coelestis ac Praesulis factas fuisse, magna cum animi nostri laetitia accepimus.

Nunc vero et iisdem et tibi eorum Pastori, nostrae erga vos specialis benevolentiae sensa iterum expromere gestimus.

A tale uopo impartiamo con tutta l'effusione del Nostro paterno affetto a lei, signor Cardinale, al Clero ed al popolo affidato alle sue pastorali cure l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano, 22 maggio 1898.

LEO PP. XIII.

Cuius rei gratia tibi, Eiîie Cardinalis, Clero, populoque tuis pastoralibus curis commisso Apostolicam Benedictionem toto paterni cordis affectu impertimus.

Ab Aedibus Vaticanis, die 22 maii anno 1898.

LEO PAPA XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

STRIGONIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 31 Iunii 1897.

Sess. 24 c. 5 De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Laurentius die 17 Aprilis anni 1888 coram ministro acatholico matrimonium iniit cum Ida annos circiter 33 tunc nata, sectae Calvinianae addicta.

Matrimonium hoc mixtae religionis absque dispensatione apostolica et coram ministro calviniano, spreta forma Conc. Tridentini, celebratum, licet illicite contractum, tamen in illis regionibus uti validum habendum est. Sed illicitum huiusmodi coniugium haud felicem exitum sorti tum est.

Siquidem mulier, licet pluries a suo viro aceita ad officium coniugale obeundum, tamen semper renuisse videtur. Ratio, qua mulier debitum coniugale pertinaciter concedere noluit, praeter alienationem animi a suo viro, ea videtur fuisse, quia resciverat mulierem quamdam ex partu ob chirurgicam operationem obiisse.

Interea post duas vel tres hebdomadas, quas mulier partim loco habitationis mariti, partim apud matrem suam in

propinquo pago degentem transegerat, maritum deseruit non amplius reversura.

In hac infelici conditione vir, postquam a ministro calviniano sententiam personalis separationis obtinuit, regiam iudiciariam Sedem Posoniensem, quae pro muliere acatholica erat forum competens, adivit, ab ipsa expostulans nullitatem matrimonii ob accusationem impotentiae ex parte mulieris.

Huic petitioni adhaerentes civiles iudices tres deputarunt peritos ad corpus mulieris inspici endum, qui peracta inspectione, testimonium tulerunt de omnimoda potentia mulieris et de eius virginitate. Unde matrimonuium solutum declarare non dubitarunt.

Peracto hoc processu, Laurentius recursum habuit ad Ordinarium Tirnavensem, qui, audito viro ac aliis testibus, non obstante contumacia mulieris, sententiam separationis a thoro et cohabitatione in favorem viri dedit. — Nunc vir, volens novas inire nuptias ad S. Sedem supplicem misit libellum, enixe adprecans ut matrimonium suum utpote inconsummatum solveretur.

S. O. C. Emo. Archiepiscopo Strigonien, mandavit ut processus conficeretur tum super asserta non consummatione, quum super causis dispensationis, servata forma Const. Benedicti XIV *Dei Miseratione* et Instr. S. C. C. an. 1840, cum facultate etiam subdelegandi. Imo eadem S. C. rescripsit etiam ut, perdurante contumacia mulieris, adhiberentur in eodem processu testimonia peritorum edita in iudicio civili, his tamen adscitis, quantum fieri possit, coram ecclesiastico tribunali, ut iuramento conformarent sua testimonia.

Constituto tribunali, auditus fuit actor, excussi fuerunt testes septimae manus, qui omnes honestatem et veracitatem actoris in altum extollunt. Auditi etiam fuerunt medici, qui ex mandato tribunalis civilis mulierem inspexerunt, et iuramento integritatem eiusdem firmarunt. Mulier licet ad normam legis aceita, in sua contumacia permansit.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. EX tota facti specie erui mihi videtur: I° Probabile esse, quod matrimonium initum inter Laurentium et Idam nunquam fuerit consummatum. 2° quod gravia et urgentissima motiva extant, quae matrimonium hoc ratum sed non consummatum Apostolica auctoritate dissolvatur.

Prae primis notandum censuit consultor, quod Matrimonium, de quo heic agimus, fuerit, etsi illicite, valide tamen contractum ; quoniam Hungaricis regionibus haud publici iuris effectae sunt Sanctiones Tridentinae. Deinde hoc teneo, quod Curia Strigoniensis processum sufficienter absolverit ad tramitem Bullae Benedicti XIV *Dei Miseratione* et Instructionis Sacrae Congregationis Concilii. Sufficienti diligentia inquam : deest siquidem tum iurata depositio ex parte uxoris coram Iudice ecclesiastico, tum quoque depositio septimae manus ex eiusdem uxoris parte. Qui sane defectus ex eo irrepserunt in procedura, quod mulier acatholica hos testes designare pertinaciter recusavit, et quamvis ter iuridice citata, minime tamen adduci potuit ad comparendum coram Iudice Ecclesiastico, ut declarationes de more ediceret. Licet autem defectus hic, quem quisque sentit gravissimi momenti, processum invalidare haud faciant; quoniam haec Sacra Congregatio Concilii certior facta de hac mulieris obstinatione, benigne annuit, ut defectus iste suppleretur per Medicorum relationem coram Iudice Ecclesiastico iterum ab ipsis iuramento firmandam (prouti revera actum est): tamen prudentius egisset Iudex Curiae Strigoniensis, si ex officio aliquo propinquos aut affines aut amicitiae vinculo cum Ida coniunctos ei fasset, ad veritatis experimentum in iudicio exquirendum. Aderat Mater Idae, aderat Frater, et forte alios non deesse putare licet, qui si in iudicio ad vocarentur non repulsam stulte apposuissent. Quae coniectura maxime convincit, quia frater Idae beni-

gne citationem eiusdem Idae excepit, dum haec muliercularum instar cursorem, clauso super se ostio, nollet audire.

Aliud vitium, si ita loqui licet, mihi videtur in processu excidisse. Cum enim, ut infra dicetur, Periti Medici qui sexus integritatem retulerint, sub iuramento declaraverint posse vaginam Idae, intacto permanente hymene, penetrari a membro, grossitiem digiti indicis non excedente, reliquum erat, ut Iudex Ecclesiasticus ordinare debuisset corporalem Mariti Idae inspectionem, ut certioraretur quod Maritus Idae tantam grossitiem non haberet in partibus sexualibus. Quisque enim facile concedet, quod si hoc iuridicum testimonium praesenti causae accederet, magnam in controversia de matrimonii inter Idam et Laurentium inconsummatione lucem effunderet. Nihil tamen huius inquisitionis a Iudice actum est. Quin illam quaestionem videtur despexisse ea de causa, quod robustus sit Laurentius et statura grandis. At quid inde? Nonne atrophiae partium in gigante esse non possunt? — His scrupulis acta mea mens non potest adduci, ut omni ex parte absolutum processum declaret. Teneo tamen, ipsum quoad reliqua esse bene confectum.

Hisce animadversionibus praemissis, processit ad demonstrationem primae partis propositionis, videlicet : probabile esse, quod matrimonium inter Idam et Laurentium non fuerit consummatum. Idque primo probatur ex iuratis afíirmationibus Actoris, qui suas depositiones taliter concludebat ; quoniam ob violentam renitentiam uxoris copulam carnalem nec incipere potui, propterea nec imperfectam, nec omnino ullam copulam exercuimus, nulla inter nos copula intervenit.

Ex his omnibus Actoris responsionibus colligitur, quod Ida vel ipso nuptiarum tempore, animum a marito omnino abalienatum ostenderit, et nonnisi aegre in domum mariti concesserit, a quo saepe praetensis et futilibus causis abibat; et licet decies Maritus cum ea coire tentaverit, nunquam tamen ipsam vel leviter attingere potuit, quoniam Ida metu partus illum constanter a se vi repellebat. Ten-

tavit quidem Laurentius uxorem suam ad saniora consilia exprobrationibus reducere, sed frustra; rursus ad sibi de vincendum eius animum, et spe saltem in posterum ipsam adducendi in consensum copulae, suasit ei ut sibi emeret possessionem in ipsa (Mariti) patria, sed irrito prorsus conatu; nam non solum obstinate copulam negavit, iam antea ab ipsamet uxore promissam, sed post paucos dies discessit finaliter ab eo. Stante itaque hac constante et pertinaci Idae obstinatione in denegatione debiti coniugalis, non video plane, qua ratione Laurentius matrimonium consummare potuerit intra illas tres hebdomadas, quarum exiguam tantum partem uxor in mariti domum transigebat, quaeque ut facilius impossibilem redderet coitum, ne nocte quidem vestes exuit. A fortiori id perficere nequi vit, post uxoris discessum, quia nonnisi occasione institutorum reconciliationis tentaminum, hi coniuges convenerunt, quibus in circumstantiis deerat etiam omnino opportunitas coeundi. — Tandem huius matrimonii inconsummatio luculenter demonstratur, ex recognita, a Peritis in arte, virginali integritate uxoris, ad cuius corporis inspectionem Actor ipse provocavit Medicos. Etenim si uxorem cognoverit, quisque videt, quod nunquam ausus fuisset hanc inspectionem urgere, sic enim semet certissimae refutationi exposuisset. Quae omnia plene confirmantur ex iuramento ab Actore post examen nuncupato.

Sed hic merito quaeritur : possumus ne tuta conscientia fidem adhibere hisce Actoris affirmationibus sub iuramenti sanctitate firmatis? Puto quod ita. Nam testes omnes qui apprime ipsum agnoscebant, unanimi consensu iureiurando declarantur: Laurentium esse virum honestum, religiosum, indole constanti et animo gravi praeditum, proindeque quum iuramento deposuit non periurasse sed puram veritatem edixisse.

Testes vero nonnulli fatentur se certam notitiam non habere de numero dierum ac noctium in quibus hi coniuges cohabitaverint et condormierint, item de numero desertio-

num et reditionum uxoris, et tandem de tempore finalis desertionis. Verum demptis tribus testibus, ceteri omnes, praesertim hi qui familiares coniugibus erant, uno ore, haec fatentur : 1. uxorem vel in ipso nuptiarum die benevolentiam marito suo non ostendisse, 2. coniugale debitum non reddidisse, 3. post finalem uxoris discessum, coniuges tantummodo convenisse, cum reconciliationis causa, adiverunt Oalvinianum Ministrum et civile Tribunal.

Ex omnibus iuratis responsionibus testium, colligitur: 1. quod horum affirmationes mirifice concordant cum Actoris depositionibus, praesertim quoad matrimonii inconsummationem : 2. quod attenta uxoris aversione (ne dicam odio) in maritum, eiusdem pertinaci et violenta resistentia in reddendo debito coniugali, et omnimoda solutione cuiusque relationis post finalem discessum uxoris et eius corporis inspectionem, iure concludere possumus « Matrimonium hoc non fuisse consummatum, esse longe probabilissimum ».

Quum vero neque testes, ex parte mulieris comparuerint, neque illa personaliter ad Tribunal ecclesiasticum adfuerint, examini subiicienda sunt documenta deprompta ex civili processu.

Duplex a Civili Tribunali quaestio tribus peritis resolvenda proposita fuit. Prima: utrum mulier ad sexualem copulationem (carnalem copulam) apta sit, an .non. Cui quaestioni, post adhibitam diligentem et conscientiosam inspectionem super corpus mulieris, unanimi consensu responderunt « Partes sexuales mulieris a se inspectae, ita interius, quam exterius omnino integras et sanas esse, et propterea hanc mulierem ad sexuale commercium (copulam carnalem) omnino aptam et plane potentem esse ». Altera quaestio, rogatu Advocati Actoris, ad peritos Medicos directa est, scilicet : posset ne ex eventu peractae inspectionis decidi : utrum inspecta mulier carnalem copulam (sexuale commercium) exercuerit, necne ? Ad hanc quaestionem iidem Periti reposuerunt communi consensu. « Partes sexuales mulieris inspectae anathomice intactas esse, praesertim hymenem mem-

branam virginalera esse integram, sed propterea debilius aliquod membrum virile penetrare potuisset per vaginam, indicem digitum commode capientem >.

Ex testimonio itaque Peritorum abunde constat: genitalia Idae exhibere signa perfectae virginalis integritatis; quod quidem, si generatim loquendo, testantibus Theologis et Iuristis, non infirmum argumentum suppeditat pro matrimonii inconsummatione; in casu nostro, perpensis praesertim omnibus adiunctis supra memoratis et inferius etiam notandis, si quid video, exhibet magnum argumentum inconsummationis huius matrimonii.

Ultimum argumentum inconsummationis huius matrimonii, desumi poterit ex confessionibus ipsius uxoris Idae, quas ipsa in civili processu ediderat.

Nam ex eisdem apparet omnimodam adesse consensionem inter affirmationes Idae ex civili processu desumptas, et iuratas depositiones actoris ac testium septimae manus ab eodem designatorum. Omnes quippe sine ulla collusione, uno ore fatentur, quod post initum matrimonium inter Idam et Laurentium, coniugum odium fuit constans et perpetuum, eorumdem cohabitatio quam brevissima, in uxore obstinata pertinacia in denegando coniugali debito, et quod post attestatam a Peritis in arte virginalem integritatem mulieris, nunquam maritus ad eam accesserit, proindeque nulla unquam sequuta copula. Quae omnia iam diligenter probata, nisi adesset molestia dubii quantum ad grossitiem genitalium Laurentii, ius sane mihi tribuerent concludendi et firma ac tuta conscientia tuendi, quod matrimonium initum inter Laurentium et Idam, nunquam fuerit consummatum. Attamen donec caligo illius dubietatis a mea mente non repellatur non audeo certum moraliter, sed probabilissimum tantum vocare factum inconsummationis praesentis matrimonii.

Causas vero exquirendi dispensationem super matrimonio rato multiplices esse: quorum prima est coniugum odium erga invicem, eorumque constans atque perfecta animorum

aversio. 2. Sententia fori civilis, quae Ream-Conventam ut acatholicam, quamvis invalide, sed tamen coram mundo a matrimoniali vinculo solvit. 3. Periculum incontinentiae in quo actor versatur, qui declaravit : se familiam condere velle, et se coactum sentire ad vitam matrimonialem, moribusque christianis conformiter vivere. 4. Praesentissimum apostasiae a fide catholica periculum.

VOTUM CANONISTAE. Ad *meritum causae,* accedendo consultor ait : duae sunt quaestiones solvendae. Altera est utrum certis et indubiis argumentis constet matrimonium hoc non fuisse consummatum; altera utrum adsint sufficientes causae quae SS. Dnum. movere merito possint ad dissolutionem hanc concedendam.

Ad primam autem quaestionem quod spectat inconsummatio certa videtur. De inconsummatione enim constare potest *a)* ex depositione coniugum, *b)* ex septimae manus confirmatione, *c)* ex pluribus indiciis quae simul sumpta, sin minus singula, moralem quamdam de ea certitudinem praebent, praesertim vero *d)* ex inspectione corporis.

Porro : *a)* vir iudicialiter et sub sacramenti fide inconsummationem testatus est. Idipsum, etsi non sub iuramenti fide, in civili iudicio asseruit mulier dicens matrimonium ñon fuisse consummatum, imo se ne passam quidem esse, ut vir ad se accederet. Quae confessioni viri apprime respondent dicentis in examine iudiciali: « circiter decies conatus sum cum ea matrimonium consummare sed frustra, nam uxor me vi a se arcebat ».

b) Testimonium autem septimae manus, quod, ut dixi, solummodo ex parte actoris haberi potuit, plene idipsum confirmat.

c) Ex his autem, ut videtur, non dubia exurgit moralis certitudo de matrimonii inconsummatione; quam abunde firmant quaedam alia indicia quae ex ipso processu eruuntur.

d) Sed praeter haec ipsa corporalis inspectio mulieris plenam videtur reddere moralem de inconsummatione certi-

tudinem. Ea enim ex mandato civilis iudicis a tribus peritis facta est. Hi igitur retulerunt se sexuales mulieris partes anathomice intactas praesertim virginalem membranam (hymenem) integram reperisse. Addiderunt tamen vaginam, quae digitum indicem commode capiebat, debilius aliquod virile membrum ingredi potuisse. Actor tamen in actis dicitur vir nec statura pusillus, nec alioquin debilis, sed corporaliter evolutus ac robustus; quare ne suspicari quidem prudenter quis posset ipsum cum Ida copulam exercere potuisse quin eius hymenem aliquatenus saltem dilacerasset.

Quod si de matrimonii inconsummatione constare videtur, alterum requisitum seu iustas causas ad dispensationem concedendam in casu adesse palam est. Nulla enim omnino spes reconciliationis inter hos coniuges affulget; quod patet tum ex ipso civili processu in quo matrimonium hoc solutum esse declaratum fuit ratione invincibilis alienationis coniugum ad invicem, tum ex attestatione ipsorum coniugum qui coram haeretico ministro professi sunt, se ad invicem implacabile odium concepisse. Accedit alia gravissima ratio. Vir enim in summo animae periculo versatur. Desiderans enim quam maxime novas nuptias, quas facile inire posset si haeresi se daret vel civiliter tantum alteri nuberet, in gravissimo periculo est, vel a fide turpiter apostatandi vel in iniquo concubinatu vitam traducendi.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Praeprimis ait, tres illi medici, qui iussu civilium iudicum Idae corpus recognoverunt, matrimonii inconsummationem extra dubitationis aleam ponere non audent ; adiiciunt enim : « *Debilius aliquod membrum virile penetrare potuisse per vaginam, indicem digitum* commode *capientem* ».

Et matrimonii tutori ab uno ex memoratis tribus medicis quaerenti : « Velit propius explicare sensum sequentis ultimae partis opinionis suae : ... - sed tamen *debilius aliquod membrum virile penetrare potuit per vaginam, indicem digitum* commode *capientem ;* - potestne eiusmodi penetratio vaginae, cuius possibilitas non obstante anathomica

integritate partium sexualium mulieris inspectae hic conceditur, - perfecta copula dici et haberi ? » medicus nitide reponit: « Si possibilitatem penetrationis alicuius debilioris membri virilis concessimus, tunc eam perfectam copulam habere possumus ».

Huc accedit quod ea muliebris corporis exploratio cum demandata sit a iudicibus, matrimonium non ea quae par est veneratione prosequentibus, quippe qui calvinianis legibus subduntur, quemadmodum intelligi facile datur, facta est non praemisso balneo, nec adhibitis necessariis aliis ad evitandas fraudes ac deceptiones circumspectionibus.

Demum in pretio haberi solet confessio coniugum, testimonio *septimae manus* corroborata. At praesenti in causa non solum desiderantur confessio uxoris testesque ex eius latere, sed praeterea etsi testes ab ipso inducti fide dignum proclament Laurentium, ex iis tamen quae Sidonia, Laurentio affinis, testatur, liquet Laurentium facta praesentem controversiam concernentia propinquis, affinibus et vicinis, non prout gesta erant, sed prouti sibi expediebant, narrasse. In confessis siquidem est Laurentium altero a nuptiis die ad oppidum « *Fallas* » rediisse comitante uxore ; et uxorem a viro discessisse tertia ab hymenaeo hebdomada.

Hisce praenotatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit Ssmo. super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 31 Iulii 1897, censuit respondere : *Affirmative.*

BAIONEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 11 Septembris 1897.

Sess. 24, Cap. 5. De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. In nativo oppido *S. Palais,* Baionensis dioecesis, Maria vigesimum annum agens die 8 Augusti 1891, servata forma Concilii Tridentini, matrimonium iniit cum Alberto annorum 31.

Hae nuptiae, uti fertur, solummodo desiderio Mariae parentum contractae, cum ipsa iam alium iuvenem adamasset, miserrimae fuere.

Coniuges, qui a prima nuptiarum nocte eodem thalamo usi sunt, pluries matrimonium consummare tentarunt, sed, uti videtur, semper incassum; siquidem vir morbo laborans ad munera matrimonialia obeunda omnino ineptus a muliere renuntiatur.

Interea per duos annos coniuges pace coniugali perfruiti sunt; nam mulier, ipsa fatente, rei uxoriae ignara, decepta fuit a marito, affirmante id esse omnino secundum naturam. Sed postea circa munera coniugalia edocta, valde conquesta est cum suo viro, qui ab illo tempore a quocumque novo conatu se abstinuit.

Nihilominus coniuges simul vixerunt usque ad an. 1896, quo tempore omnino impossibilis facta est vita coniugalis. Nam, uti fatetur, Albertus in spem veniens sibi reconciliandi mulierem, quae prolem valde exoptabat, eidem hanc turpem propositionem obtulit; ut nempe Niciam peteret et ibi maternitatis solatium alio obtineret concubi tu. Qua de re Maria paulo post domum paternam repetens, marito valedixit, ad eum non amplius reversura.

Post discessum uxoris vir tribunal civile adivit, a quo facile obtinere potuit sententiam favorabilem divortii. Dum mulier supplices preces ad Summum Pontificem obtulit, expostulat ut suum matrimonium solveretur, utpote ob viri impotentiam inconsummatum.

Ordinarius Baionen sis, cui de more ab S. C. C. preces remissae fuere, super asserta inconsummatione processum instruxit. Interrogata est actrix eiusque septima manus, ac dein mulier subiecta est inspectioni medicali, servatis in omnibus S. C. praescriptis. Vir quoque ad normam legis citatus est, tamen contumax fuit.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Suam orationem defensor aggrediens ait, inconsummationem matrimonii luculenter probari ex iurata unius coniugis depositione ac confessione alterius coniugis ; ex depositionibus testium, etiam septimae manus; tandem ex inspectione corporis mulieris.

Revera mulier in sua instantia ad Pontificem affirmat : « Mon mari est absolument incapable de remplir le devoir conjugal et de fait il ne l'a jamais rempli avec moi ». Et a iudice percontata : « Est-il vrai comme vous l'affirmez dans votre requête, que le mariage n'a pas été consommé et pourquoi ne l'a-t-il pas été ? » Sub iuramenti fide respondit : « C'est vrai parceque il est impuissant . . . J'en parlai à lui, qui m'avoua qu'il avait une infirmité et qu'il était ainsi de la naissance, et que cela tenait à la paralysie du bras droit. En effet il a le bras droit paralysé, et il n'écrit de la main gauche qu'en tremblant ».

Ex hoc orator deducit, hanc iuratam Mariae depositionem suffultam, uti infra videbitur, a septimae manus iurato testimonio, sufficere ad inconsummationem probandam. Unde, secundum ipsum, nihil facessere posset contumacia viri; cum ex capite *Proposuisti de probationibus* eruatur, iuratam unius coniugis confessionem, coniunctam cum propinquorum vel viciniorum bonae famae depositione sufficere ad probationem inconsummationis, quando altera pars est contumax aut negans est. Quam doctrinam tenuit semper S. Congregatio st nuperrime in *S. Iacobi de Chile disp. matr. 12 Maii 1894* (1).

(1) Recole Vol. XXVII, 95.

Sed in casu, urget advocatus, etsi vir sit contumax, non solum, sua contumacia, *implicite* impotentiam confirmavit, quia puduit, infirmitatem suam apud Tribunal manifestare; si enim potens fuisset, cum separationem reformidet, potentiam suam totis viribus comprobare conatus esset; sed *explicite* fassus est per epistolam socero conscriptam.

« Vous trouverez, ait vir, sous pli la consultation de **M.** le docteur de Sentex, que j'ai vu hier soir. Vous y verrez, que sans être aussi affirmatif que **M.** le Docteur Petres, il est possible, très probable même, que par un traitement determiné, on peut avoir raison de ma maladie ».

Quae verba confirmantur ex ipso modo agendi eiusdem doct. Sentex, qui interrogatus in processu, noluit interrogationibus respondere dicens : « Le refus de repondre aux questions ci-dessus, découle d'une obligation absolue pour le médecin, de garder le secret professionnel ». Quod certe, observat orator, non renuisset doct. Sentex, si quid favore clientis sui deponere potuisset.

Sed ulterius advocato non deficiunt alia gravissima argumenta ad viri impotentiam probandam. Nam, ait, si ipse ad rem uxoriam exercendam potens fuisset, certe sponsae non proposuisset Niciam petere ut alio concubitu prolis solatium obtineret.

Insuper, urget defensor, ipse Albertus, tempore non suspecto, suam impotentiam coeundi fassus est. Revera Ioannes Millebiau amicus ab infantia ac condiscipulus testatur : « Au mois de Juin 1896, je me suis rendu à S. Séver appelle par M. Albert. Dans notre entretien je lui demandai les causes du départ de sa femme. Il me dit que le mariage n'avait pas été consommé et il m'avoua son impuissance qu'il attribuait à une faiblesse nerveuse qui datait de quelques années avant le mariage ». Oui consonat I. B. Hirigoyen : « M. Albert lui même bien avant la séparation m'a avoué avoir été consulter le Docteur Petre à Bordeaux soi disant pour soigner une maladie nerveuse ».

Haec omnia, prosequitur patronus, confirmantur ex te-

stibus septimae manus, qui non solum impotentiam Alberti omnino confirmant, sed de honestate et de veracitate Mariae non ambiguis testantur verbis.

Inter alias praestat depositio Fr. Regis ex Definitoris et Rectoris Ordinis S. Francisci, qui postquam suam convinctionem circa matrim, inconsummationem manifestavit, de veracitate ac religione actricis ita testatur: « Je lui crois, de bons sentiments religieux et de la sincérité et même de la franchise ». — Et frater actricis deponit : « La dernière fois que M. Albert est venu à S. Palais, je l'accompagnai à la gare à son départ , et je lui dis : Vous avez été bien misérable d'avoir pris ma soeur, ayant cette infirmité. Il me repondit : Il fallait que j'en prisse une ! c'est malheureux, que je sois tombé sur votre sœur. Ma conviction est que le mariage n'a pas été consommé ».

His concinit Iustinus Berrogain, qui testatur : « J'ai bonne opinion sur ces deux points (religion et sincérité de Marie). Je crois que Marie a dit la vérité et que en réalité le mariage n'a pas été consommé ». Et Ioannes Petrus Mercatbide : « C'est ma persuasion qu'elle a dit la vérité, car on n'invente pas ces choses là ; et d'après moi le mariage n'a pas été consommé ». Idem Augustinus Poutchon deponit: « Je crois qu'elle dit la vérité. Tous ces faits d'ailleurs, m'ont été racontés par elle-même, il y a environ six mois dans les mêmes détails. Je ne crois pas que le mariage ait été consommé. D'après moi cette personne a été trompée ».

Ulterius, prosequitur patronus, ad probandam inconsummationem adest princeps argumentum physicum virginitatis desumptum ex corporali inspectione, in qua uti notat orator, iisque ad unguem observatae fuerunt omnes iuris praescriptiones. Revera iudici percontanti : « Avez vous constaté dans Marie l'entière intégrité du corps ! Si oui, précisez le marques, aux quelles vous l'avez reconnue. » Ita respondit Maria obstetrix « oui j'ai constaté l'entière intégrité du corps. J'ai constaté à la vue et au toucher que la membrane hymen est intacte sans aucune solution de

continuité ». Idem deponit Maria Emilia Molard: « Oui, j'ai constaté la parfaite intégrité de la membrane de l'hymen au toucher et à la vue. Pour moi Marie est vierge ». — Altera obstetrix Maria Seiglan licet affirmet : « Je ne puis pas me prononcer, parceque au moment où j'ai fait l'inspection, elle a montré une telle sensibilité, que j'ai cru de la délicatesse de ne pas aller plus loin » ; tamen, notat orator, haec circumstantia sensibilitatis, pro virginitate et non contra certe deponit.

Quod, urget advocatus, confirmatur ex attestatione medicorum, qui perlectis depositionibus obstetricium, virginitatem actricis affirmant.

Demum orator descendens ad causas dispensandi, notat has in themate clarissimas inveniri. Et primo quidem aversio inter coniuges ; nam Maria contra voluntatem suam Alberto nubere coacta fuit, et haec abalienatio dein in immensum crevit, cum vir, impotens ad matrimonii consummationem, ipsi proposuit ut solatium prolis alio concubi tu obtineret.

Altera causa orator invenit in viri impotentia. Unde notat, si dubia et probabilis impotentiae existentia sufficeret ad dispensationem obtinendam, quid dicendum cum haec impotentia indubia esset et plenissime probata?

Cui accedit periculum incontinentiae, quia mulier utpote in fiorenti aetate constituta, novas nuptias inire exoptat. Nec tandem, secundum defensorem, deficit pro separatione consensus utriusque coniugis, quem suadent et mulier, instans pro dispensatione, et vir, ob sententiam divortii iam obtentam.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. EX adverso vinculi defensor, praemissa factorum narratione, praeprimis notat veram causam huiusmodi recursus non esse nec viri impotentiam, nec matrimonii inconsummationem, sed potius inveniendam esse in ipsa actrice, quae novas inire nuptias cogitat cum alio iuvene, quem ipsa deperiebat, antequam Alberto in matrimonium traderetur. Revera ipsamet Maria

percontata a iudice : « Quelles sont les raisons justificatives de l'abandon » ingenue respondet : « Le motif particulier de ma détermination est, que je voudrais me remarier avec le jeune homme avec qui je m'étais déjà fiancée ».

Unde matrimonii assertor valde timet, ne Maria nectat insidias. Etenim Maria Seiglan, una ex tribus, quae actricis corpus recognoverunt, ad quaestionem : « Avez-vous constaté dans Marie l'entière intégrité du corps? » abscisse reponit : « Je ne puis pas me prononcer, parce que, au moment ou j'ai fait l'inspection, elle a montré une telle sensibilité que j'ai cru de la délicatesse de ne pas aller plus loin ». Et, pergit orator, a veritate alienum fortasse non est actricem, quippe quae felici exitu sustinuerat experimentum a duabus aliis obstetricibus peractum, statim atque percepit se nec artificiis nec aliis praesidiis consequi posse favorabile testimonium ab integerrima Maria Seiglan, constituisse simulare sensibilitatem, et hac ratione explorationem praepedire.

Nec, secundum oratorem, satis confidere possumus in aliarum obstetricum testimonio, quippe quod orale tantummodo est, cum cautum e contra sit ut relatio scriptis praeprimis consignetur.

Ulterius, urget defensor Sacramenti, exploratio ab obstetricibus limitata est ad partes genitales, dum qui de virginitate testimonium ferre debet, reliquum quoque muliebris corporis habitum recognoscat oportet. Unde ad rem citat Zacchiam *lib.* 3, *tit. 2, q.* 7, *n. 3 et seqq. :* « Quoniam inest dum pro veritate medicus interrogatur, ut de integra, seu violata virginitate sententiam ferat, ne ex simulata per haec medicamenta decipiatur in iudicando, paucula haec quae sequuntur animadvertere debet. Et primo debet. . . . non ea solum, quae ex muliebrium vasorum constitutione desumuntur perpendere, sed alia quoque, quae ex mammarum, pectoris, ventris, totiusque denique corporis statu elicere licet . . . nam et ipsae carnes in corruptis laxiores sunt, in virginibus duriusculae et renitentiores sunt ».

Quibus animadversis propositum fuit diluendum

Dubiam

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 11 Septembris 1897 censuit respondere : *Affirmative.*

GrALLIPOLITANA

IUBILATIONIS

Die 29 Ianuarii 1898.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Aloysius Calori e civitate Gallipolitana a S. C. C. indultum absentiae a choro obtinuerat ob adversam valetudinem *die 13 Iunii 1891,* idemque confirmatum fuit *die 14 Septembris 1893;* et demum, cum iam ab a. 1891 instaret pro obtinendo indulto iubilationis, *die 11 Augusti 1894* rescriptum prodiit : « *Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis* ».

Orator, quamvis indulto iubilationis donatus Missam conventualem cum aliis canonicis, servato ordine hebdomadario, canere prosecutus est usque ad a. 1896, in quo a Capitulo petiit ut ab huiusmodi onere liberaretur. - At Capitulum, hoc annuere negavit, asserens, immemorabilem vigere consuetudinem qua canonici vel iubilati adigebantur ad Missas in hebdomada canendas vel per se vel per alium, si quod obstaret impedimentum. - Quare Orator iubilatus ad S. C. C. recursum habuit, ratus huiusmodi consuetudini obtemperandum non esse.

Capitulum de sua sententia percontatum respondit : hac in Ecclesia ex consuetudine, data fuit iubilatio illis qui, expleto servitio 40 annorum, eandem petierunt a S. C. C. Attamen iubilati, per consuetudinem immemorabilem canere tenentur, ceu alii canonici Missam conventualem per turnum hebdomadarum, recipientes eleemosynam a Capitulo.

Repetitis supplicationibus Canonici Calori concessit S. C. C. iubilationem ; qui tamen canere per turnum Missam haud desisti t. Nunc tolli ex hoc turno expetit idem Canonicus; quod si indulgeatur veniret, Missam conventualem a paucis litandam esse, cum alii canonici sint in conditione eadem Canonici Calori. Hoc firmatur testimonio Capituli et Episcopi.

Disceptatio Synoptica

QUAE FAVENT CONSUETUDINI. In themate, cum de consuetudine in Capitulo vigente haud dubitari queat, quaestio est an vis legis tali consuetudini tribuenda sit. - Atqui nullo canonum praescripto privilegium iubilationis sancitum est; in *folio causae diei 24 Sept. 1818 § licet* - S. C. C; bene vero ex aequitate id moris invaluisse videtur exemplo Sacerdotum veteris Legis *(Num. 8)* ac militum, qui post res praeclare domi fo risque gestas, rure donaban tur. Verum ubi deest ius scriptum, consuetudo inspectanda est, quam constat pro lege haberi in iis quae ex non scripto proficiscuntur, aut quae scripto tradita non sunt; *arg. I. 32, ff. De leg.* Itaque si Canonici iubilati Gallipolitanae Ecclesiae privilegio iubilationis partim usi non sunt ob consuetudinem, quae saeculo antiquior censetur, perstat immotum in suo robore *ius commune* Missarum conventualium celebrationem Canonicis praecipiens.

Cum vero Collegia indubia facultate polleant constituendi sibi iura normasque quibus pareant, poterunt pariter *consensu tacito et longo usu* leges inducere, quibus legitime devinciantur: *Reiffenst. De consuet. n. III sq.;* et in *lege - De quibus* - ff. *De leg.* cautum fuit : « *Nihil vero interest an suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis* ». - Hanc vero consuetudinem invectam actibus *fréquenter, uniformiter, universo collegio approbante longo demum ac diuturno tempore gestis,* patet etiam fuisse inductam *animo obligandi.* - Notum enim est, consuetudinem quae sit rei gravis ac difficilis, vel quae multum conferat

rei aut sacrae aut publicae ac per viros pietate ac prudentia spectatus servetur, *obligatoriam* existimari. - Smalzgrueber *De consuet. n. 16.*

QUAE CONSUETUDINI OPPONUNTUR. Sed ex adverso, hunc deesse *animum se obligandi* ex eo evinci potest quia ubi de eorum voluntate quaeritur, qui divina officia obeunda suscipiunt, licet ad id nulla lege obstringantur, si de tali actione consuetudo invecta deprehendatur « *praesumendum esse, consuetudinem illam esse ex devotione potius et ex arbitrio quam ex vera obligatione, sicque continere actus mere facultatis* » docet ReifTenst. *cum communi De consuet. n. 130.* - Re quidem vera semel ac a S. O. C. legitima indulgetur iubilationis gratia, iubilato ius comparatur singulare seu privilegium : iste vero potest favori ac privilegio cedere, cum *quisque,* ex regulis iuris, *possit renunciare iuri in sui favorem introducto.* Sed abdicatio isthaec legitimi iuris personam abdicantis non praetergreditur, quippe - *alteri per alterum iniqua conditio inferri non potest; arg. I. 74, ff. De reg. iuris; nec quod alterius est, ei est sine facto suo auferendum; ex leg. 11, ff. - De reg. iuris.* - Ceterum consuetudo, legem coarctans, est stricte interpretanda, *nec extendi debet de casu ad casum, vel de persona ad personam;* ita Rota *decis. 97, n. 4, 5, part. 4, tom. 2 Recentior.* - In una *Signina-Missae'conventualis* haec eadem agebatur quaestio de qua modo res est. - Episcopus enim referebat, ex Capituli libris erui, huiusmodi consuetudinem áb omni antiquitate invaluisse, qua Canonici iubilati Missas conventuales *per turnum,* sicut ceteri Canonici sive per se sive per alios canant. - Capitulum vero ipseque Episcopus postulabant ut consuetudo id genus, maxime commendanda luculentissime Apostolicae Sedis iudicio rata firmaque haberetur. - In *folio causae* potissimum ad vertebatur a S. C. C. indultum iubilationis usque ea lege concessum fuisse ne quid inde choralium officiorum cultus detrimentum capiat; quo fit ut Episcopus qui ex iubilati absentia conspiciat, sacrorum procurationem intercipi ac ia-

cturam pati, iure potiri canonicos iubilatos ad chorale pensum revocandi; ita S. O. C. *die 17 Dec. 1718 ad 7 Dub.* et in *Civitatis Castellanae Io Iulii 1820,* et in hac ipsa controversia responsum fuit - *Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis.* - In dicta *Signina die 25 Maii 1833* proposito dubio « *An et quomodo confirmanda sit consuehido Capituli Signini, ut obligatoria fiat pro lubilatis in casu* », rescriptum fuit « *Negative et Episcopus in casu necessitatis utatur remediis, sibi a iure concessis, ne quid detrimenti cultus divinus patiatur* ».

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 29 Ianuarii 1898 censuit respondere : *Detur responsum uti in Signina die 25 Maii 1833, nempe ad dubium - An et quomodo confirmanda sit consuetudo Capituli Signini, ut obligatoria fiat pro iubilatis in casu.* Resp. *Negative et Episcopus in casu necessitatis utatur remediis, sibi a iure concessis, ne quid detrimenti cultus divinus patiatur.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

AQUEN SEU LUCIONEN.

INDEMNITATIS.

*Die 11 **Martii** 1898.*

COMPENDIUM FACTI. — Sacerdos Augustus Onesimo Cailleton dioecesis Lücionensis, professus religiosus sub nomine P. Laurent, in abbatia S. Michaelis de Frigolet, Ordinis Praemonstratensium in dioecesi Aquensi in Gallia, decreto diei 26 octobris 1894 ab Ordinario huius dioecesis Visitatore Apostolico praefatae Abbatiae, dimissus fuit duobus annis cum dimidio post renovationem religiosae professionis. Contra hoc

decretum P. Laurent appellationem interposuit apud S. Cong. Episc, et Regul. petens I°. Suam professionem ceu validam recognosci, 2°. et quatenus haec secunda professio ceu nulla esset declarata, ipsam *sanari in radice.*

Verum petitio ex-Religiosi P. Laurent omnino fuit reiecta a S. Congregatione decreto diei 14 Maii 1895 *Negative ad utrumque.* Tunc P. Laurent aliam viam iniit contra Ordinem Praemonstratensium, nempe proposuit actionem refactionis damnorum apud eamdem S. Congregationem. I°. Quia a Superioribus Ordinis missus fuerat ad Novitiatum peragendum in Angliam, in qua regione morbos contraxerat ; 2°. Quia ob dimissionem ab ordine amiserat media ad necessariam vitae substentationem, et nulla emolumenta a clero saeculari obtinere poterat. At proposita quaestio sub dubii formula: *An et quomodo sit locus ref actioni damnorum in casu,* a S. Congreg, sub die 8 Maii 1896 dimissa fuit responso : *Negative in omnibus.*

Contra hanc resolutionem P. Laurent imploravit beneficium novae audientiae, et insimul postulavit interventum in causa Ex-Superioris Generalis Ordinis P. Paulini, qui iuxta P. Laurent fuerat causa damnorum. S. Congregatio admisit novam causae discussionem et ad secundum sub die 9 martii 1897 rescripsit: *habebitur ratio in die propositionis causae quoad meritum.* Verum defensor ex-Religiosi P. Laurent nuncium misit tractationi huius incidentalis quaestionis in praesenti iudicio, sibi reservans ius eam elucubrandi, quatenus opus sit, in alio iudicio post emissam a S. Congregatione decisionem.

Disceptatio Synoptica

RATIONES PRO CONFIRMATIONE DECISIONIS. — Archiepiscopus Aquensis quoad quaestionem interventus in causa ex-Religiosi P. Paulini (in mundo Boniface) contendit nullimode esse concedendum. Nam I°. P. Paulinus pluries fuit damnatus et suspensus a S. Sede et adhuc in sua rebellione perdurat, quia imo scriptis et verbis impulit ipsum actorem

P. Laurent ad se subducendum a legitima potestate Superiorum. 2°. P. Paulinus est iniustus detentor bonorum Conventus S. Michaelis, et licet pluries a S. Sede iussus fuerit ea restituere, parere tamen noluit. 3°. Demum P. Paulinus cohabitat cum femina suspectae famae, et non erubuit sollicitare pecuniam a fidelibus ad fundandum quoddam pium opus sub nomine *Purgatorii opus* et Archiepiscopus Avenionensis praecavere debuit fideles a P. Paulini fallaciis eum denuntians in publica ephemeride vulgo *La Semaine Religieuse.*

Cum itaque indignitas P. Paulini sit manifesta, ipse excludi omnino debet a praesenti iudicio, et eius interventus in causa ad testimonium ferendum favore P. Laurent denegandus.

Progreditur deinde Archiepiscopus ad quaestionem principalem et sustinet, sententiam S. Congregationis esse confirmandam. P. Laurent sibi imputare debet exitum praecedentis iudicii : si enim ipse societatem non inivisset cum P. Paulino a Religione expulso et damnato, et se obsequentem exhibuisset erga suos legitimos Superiores, facile hi expostulassent sanationem in radice suae duplicis professionis. Sed e contra P. Laurent dimissus ab Ordine confugit ad P. Paulinum, quem verbo, scriptis et pecunia adiuvit in sua rebellione contra Ordinem : ipsum cohabitantem cum mala femina pluries invisit ab eoque consilia expetivit.

Insuper P. Laurent eiectus ab Ordine adhuc retinet habitum religiosum contra Superiorum inhibitionem, et non vult reddere pecuniae summam sibi ab Ordine traditam pro expensis fundationis novi conventus. Iure merito proinde petita damnorum refactio P. Laurent est deneganda.

RATIONES PRO RECESSU A DECISIS. — Ex adverso Defensor ex-Religiosi P. Laurent sustinet Ordinem Praemonstratensium teneri erga suum clientem ad indemnitatem ex capite tum iustitiae, tum aequitatis. Revera quod ordo respondere debeat de damnis, defensor arguere enititur ex facto quod P. Laurent ad Ordinem admissus fuit unanimi suf-

fragio duobus tantum votis contrariis, et quod choro receptus fuit uti ex adnotationibus in regesto Communitatis a P. Laurent et P. Paulino tunc Superiore erumpit. Iam vero P. Laurent ex Ordine dimissus nullum correspectivum obtinuit : aliunde ad curandam suam valetudinem graves expensas ferre cogitur et recurrere non valet ad dioecesanam capsam Lucionensem pro sacerdotibus infirmis destinatam. Hinc concludit quod Ordo has expensas sustinere debet cum notum sit adagium quod *qui dat causam damni, damnum sarcire tenetur.*

Deinde defensor, praenotato quod Ordo Praemonstratensium nullo documento fulcit suas assertiones, excepto informationis libello Procuratoris Generalis ipsius Ordinis procedit ad re fu tandas adversariorum accusationes. Prima accusatio ex parte Ordinis est quod P. Laurent Romam perrexit absque licentia Superiorum, post decretum a S. Congregatione expulsionis P. Paulini ab Ordine. Reponit Advocatus, quod P. Laurent id peregit ex charitate christiana, tum ad defendendum suum ex-Superiorem, tum ad suspendendum civilem processum contra Ordinem coram Tribunali Torascapensi in Gallia.

Item reiicit Defensor literas plenas minis et contemptu erga Superiores tributas P. Laurent: harum nullum exemplar ex parte Ordinis adhuc est productum. Quoad vero rationes pecuniae collectae a P. Laurent favore Ordinis, pluries, petitas et numquam exhibitas, respondet quod hae nunc inveniuntur in actis, et mora in exhibitione excusatur ab absentia P. Laurent a sua residentia. Falsum item est, prosequitur Defensor, quod P. Laurent repugnantiam experiatur vitae Communitatis. Si ita res est, cur ipse missus fuit ad novam religiosam domum fundandam ceu probat Superioris epistola sub die 12 novembris 1891? Verum quidem est quod P. Laurent non rediit ad Monasterium iuxta praefixum terminum a Superiore in Paschate Domini an. 1894. Sed hic terminus a Superiore P. Denis fuerat prorogatus ad successivum festum SSmae Trinitatis, quo tempore Conventum

repetiit, nulla sibi facta in contrarium observatione. Aliis demum accusationibus minoris momenti disiectis, quas Procurator Generalis in suis Uteris informativis cumulat, sed nullo valido documento firmat, Defensor concludit quod Ordo Praemonstratensium, inspecta iustitia, tenetur ad indemnem reddendum dimissum P. Laurent.

Sed si non ex iustitia, saltem ex aequitate, aliqua indemnitas P. Laurent iuxta Defensorem est tribuenda. Ex una enim parte agitur de infirmo sacerdote, omni auxilio destituto et qui nullam opem ex capsa dioecesana Lucionensi sibi adpromittere valet. E contra Ordo Praemonstratensium fortunae mediis abunde pollet: videtur ergo esse charitati christianae consonum quod ipse suppetias ferat sacerdoti egeno, qui pluribus annis in Ordine militavit et a quo non pauca obtinuit emolumenta.

Hisce utrinque deductis, solutioni propositum fuit sequens

Dubium

An sit standum vel recedendum a decisis in Casu.

RESOLUTIO. Die 11 Martii 1898 Sacra Congregatio Episcop. et Regul. re matura deliberatione pensata, rescripsit: *Affirmative ad primam partem negative ad secundam.*

ALBIEN.

IURIUM.

Die 18 Martii 1898.

COMPENDIUM FACTI. — In paroecia nostrae Dominae oppidi Mozamet dioecesis Albiensis in Gallia invenitur erectum Monasterium a Sancto Agone nuncupatum : est haec dioecesana Congregatio, et munus Confessarii inibi a pluribus annis exercet titularis dictae paroeciae sacerdos Brugnière : Monasterium habet cappellani, et cappellanum qui ex delegatione Ordinarii etiam verbum Dei Monialibus explicat.

In eadem paroecia et non longe a Monasterio alia domus exurgit ab iisdem Monialibus seu sororibus recta pro educatione puellarum orphanarum.

Haec pia domus, Monasterii uti accessorium, caret cappella et Cappellano ; et puellae educandae petunt ecclesiam paroecialem pro divinis officiis : sed harum confessor pariter est parochus Brugnière. Item intra limites eiusdem paroeciae aliud extat Monasterium Clarissarum legi clausurae obnoxium et cum propria cappella et Cappellano. Verum quoad munus Confessarii Archiepiscopus Albiensis sustinet, id exercitum fuisse a parocho S. Salvatoris, dum contrarium asserit parochus Brugnière, qui insuper conqueritur de sibi ablata iurisdictione super hoc monasterio.

Quidquid sit tamen certum est quod parochus Brugnière ab Archiepiscopo Albiensi, ceu constat ex huius epistola diei 18 octobris 1892, privatus mansit officio Confessarii, directione, et omni ingerentia tum super Monasterio sororum a S. Agone et super orphanis puellis, tum super alio Monasterio Clarissarum. Ad haec vero munia exercenda deputatus fuit parochus S. Salvatoris decanus Parochorum loci Mozamet. Vi huius deputationis parochus S. Salvatoris nedum exercet officium confessarii, et dirigit praefata Monasteria, sed etiam in ipsis peragit solemnes functiones, administrat extrema sacramenta, curat defunctorum Sororum et Monialium funera, cadavera ad coemeterium cum suo clero ducit, transiens cum Cruce elevata per paroeciam Nostrae Dominae, puellis orphanis primam comunionem administrat, in omnibus hisce excluso parocho Brugnière.

Contra has Archiepiscopi dispositiones parochus Brugnière recursum habuit ad S. Congregationem Episc, et Regul. petens in sua parochialia iura redintegrare' a parocho S. Salvatoris conculcata.

Disceptatio Synoptica

IURA PAROCHI BRUGNIÈRE. — Parochus gallice *de notre Dame* paucis absolvit suam defensionem. Ipse Archiepiscopi

decretum traducit seu iuri communi, seu legi canonicae contrarium, quod ius quoad funera et administrationem extremorum sacramentorum parochis reservat supra subditos suos seu paroecianos. Invocat etiam sui favore statuta dioecesana, a S. Sede approbata iuxta parochum. In his revera statuitur quod funera parochianorum et personarum religiosarum parocho spectent. Et si hoc valet secundum dioecesis consuetudinem pro religiosis in nosocomiis et hospitalibus degentibus, quae proprium habent cappellanum et ecclesiam, a fortiori applicare convenit in casu pro sororibus et orphanis puellis. Quoad privationem vero muneris Confessarii in supra memoratis institutis, parochus urget hanc ideo ab Archiepiscopo poenam inflictam esse, eo quia ipse debita Archiepiscopo signa reverentiae non praestitit in nonnullis circumstantiis, v. g. quia ipsum non invisit quando adfuit alteri paroeciae S. Salvatoris pro Sacramenti Confirmationis administratione. Sed parochus ab hac impiota accusatione se defendit, et sustinet hanc non fuisse iustam rationem ad sibi tam gravem poenam infligendam.

IURA ARCHIEPISCOPI ALBIENSIS. — Ex adverso Archiepiscopus Albiensis argumentum desumptum ex statutis dioecesanis confutat observando quod statuta non respiciunt funera religiosorum claustralem habentium cappellani publicam et non pendentium a iurisdictione parochiali. Revera quod Cappella Sororum a S. Agone sit publica, constat ex eo quod ipsa habet exitum in via publica, et diebus festis de praecepto in ea populus admittitur libere missae auditioni et divinis officiis. Ita tradit *D'Annibale in sua summula Theolog. Moral, voli 3. n. 5: Oratoria publica censentur vel ex situ vel ex personis. Ex situ publica sunt quorum ianua publicae adiacet viae, sed etsi Oratorium in mediis agris vel aedibus privatorum positum sit, publicum habebitur si ex via publica per agrum vel atrium domus ad illud q) ate at aditus ; vel quo pateat, dominus agri vel aedium illius situs dominio renunciaverit. Ex personis instar publicorum habentur quae extant in domibus Epi-*

secparum, ideoque et Cardinalium S. R. C. quaeque in aedibus piis publicis extant, ut puta in coenobiis, Seminariis, collegiis etc. Cfr. De Bonis De Orat. pub. n. 236. Ferraris Bibl. canon, in verbo Oratorium etc. Hinc perperam in themate invocantur statuta dioecesana. Quod autem praefata Monasteria exempta sint a iurisdictione paroeciali et subdita immediate Ordinariis Archiepiscopus probat I° ex Concilio provinciali Bourgensi anni 1830, ubi diserte traditur quod claustralem coenobia auctoritati Episcoporum localium obnoxia sint, exclusis parochis: 2° auctoritate M. André qui in suo cursu Iuris canonici § *Monasteria* docet, parochos in ipsis sua iura exercere posse *praeterquam quod Episcopi aliter disponant;* et R. P. Bertier de la Salette qui in suo manuali theologico edit. 1892 n. 3443 asserit, quod quamvis dicta Monasteria quoad Sacramentorum administrationem et funerum curationem ex iure communi Episcopi non possent subtrahere a parochorum iurisdictione, tamen ex consuetudine in Gallia recepta iidem Episcopi aliter disponere valent.

Demum adnotat Archiepiscopus, quod Monialium Confessarii ex iuris dispositione in hoc munere amplius triennio perdurare non valent. Quare si parochus Brugnière hoc officium per 20 annos retinuit, id profecto ex Archiepiscopi *tolerantia* evenit, quamvis iustae et graves adessent rationes ad eumdem a tali officio removendum.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. — Iuxta canonicam iurisprudentiam munus confessariorum ordinariorum in Monialium coenobiis, conservatoriis aut quacumque alia mulierum comunitate triennio circumscribitur. Id clare docet Sacra Congreg. Episcop. et Regul. *in Comen. 4 Martii 1591; in Ragusina 2 octobris 1626* et aliis innumeris resolutionibus : consonant etiam *Ferraris in sua Bibliothec. can. V. Moniales n. 19; Lucidi de Visit. SS. LL. V. 2, 148; D'Annibale in sua Summula Theol. Moral.,* aliique. Transacto triennio munus Confessarii ordinarii prorogari non potest ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica. Confer *Praelectiones iur. can.* habitas in Seminario S. Sulpitii *Vol. 2. pag. 333. Col-*

lectanea Decret. S. Cong. de Propaganda Fide n. 433. et n. 436.

Quin imo Auctores tradunt ordinario ad hoc munus eligi non debere parochum, utpote distentum in aliis officiis parochialibus. *Relatae Praelect. iur. can.* ***l.*** *c; Bouix in tractatu de Reg. par 5.; Ferraris* ***l.*** *cit.* Quoad funera vero et administrationem extremorum Sacramentorum, haec privative spectant ad Confessarios Monialium. Ita rescripsisse videtur S. Congr. Conc. die 4 Febr. 1872.

Demum ad puellas convictrices seu degentes in Monasteriis monialium educationis causa, Rmus Summista seu extensor folii ex officio adducit doctrinam *Bouix, de Iure Regularium,* sequentibus verbis expressam: « Advertat lector bene posse aliquod hospitale, aliquod ve personarum collegium, aut alium locum pium per solam Episcopi auctoritatem eximi ab obligatione paschalem communionem excipiendi in paroecia, nec non recipiendi a parocho viaticum et extremam unctionem. Unde in hypothesi etiam quod certum sit ius parochi de quo agimus, relative ad dictos iuvenes convictores et dictas puellas in monialium Conventibus degentes, sufficit decretum episcopale ad suspendendum hocce ius parochiale, quia tandem potest Episcopus hisce iuvenibus et puellis facultatem concedere communionem paschalem in sacello conventus, quem incolunt faciendi, atque item potest pro administrando ipsis viatico et extrema unctione deputare collegii directores quoad dictos iuvenes et cappellanum Monialium quoad dictas puellas ».

Hisce praehabitis supposita fuere enodationi sequentia

Dubia

1. *An Archiepiscopus in casu ius habeat, excluso parocho Nostrae Dominae, concedendi iurisdictionem super Orphanis puellis, a Sororibus a S. Agone directis, alii sacerdoti cum facultate eisdem puellis administrandi extrema Sacramenta, celebrandi earum funera, et comitandi cada-*

vera ad coemeterium publicum transitu facto etiam per paroeciam Nostrae Dominae.

2. An Archiepiscopus in casu ius habeat, excluso memorato parocho, concedendi alii Sacerdoti iurisdictionem super Sorores a S. Agone cum f acuítate admittendi in istorum Cappella Orphanas puellas ad primam communionem, administrandi Sororibus ultima Sacramenta, nec non earum funera peragendi et ducendi cadavera ad publicum coemeterium etiam cum transitu in paroecia Nostrae Dominae.

3. *An Archiepiscopus in casu ius habeat, excluso ut supra citato parocho tradendi iurisdictionem super monasterio Clarissarum cdii Sacerdoti, cum facultate eidem extrema sacramenta Monialibus Clarissis administrandi, earum funeribus praesidendi, et cadavera comitandi ad publicum coemeterium transitu item facto per parochiam Nostrae Dominae.*

RESOLUTIO. *Die 18 Martii* S. Congreg. Episc. etRegul. omnibus pensatis reformatisque dubiis prout sequitur : *An et quomodo dispositiones Archiepiscopi Albiensis quoad parochum Nostrae Dominae'sustineantur in casu,* respondit:

AFFIRMATIVE *in iis quae spectant ad Munia Directoris et Confessarii.*

NEGATIVE *in iis quae pertinent ad iura stricte paroecialia, quae parocho de Notre Dame integra remanere debent.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

NEAPOLITANA Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Sor. Mariae Iulianae a SSmo Sacramento tertii ordinis Servorum B. M. V. a septem Doloribus moderatricis Monasterii Mantellatarum S. Augustini.

Inter benedictiones quas coniugibus Deum timentibus et ambulantibus in viis eius elargiri solet divina clementia, Regius Psaltes eam quoque recenset progeniem nempe filiorum qui sicut novellae olivarum in circuitu mensae accumbentes pa-

renturn animos vultusque laetiflcant. Eiusmodi benedictionem consecuta est familia Fortunati Arenare, medici insignis et Clarae Franzese, quae sex habuit filios maioribus dignos, Michaelem et Franciscam in statu coniugali, Angelum et Raphaelem in ordine Sacerdotali, Mariam Iulianam et Mariam Margaritam in congregatione religiosa inter tertiarias B. Mariae Virginis a septem doloribus. Ex his tertia fuit Serva Dei Sor. Maria Iuliana quae Neapoli orta, die 23 Februarii anno 1816, atque Angela in sacro fonte nuncupata, a teneris annis, indubia portendit futurae perfectioris vitae indicia, atque oratione, modestia, obedientia et misericordia in pauperes singularia beneficia, a Beatissima Virgine veluti matre et magistra sibi promeruit. Vix septem annos agens sacro chrismate linita et ad sacram synaxim primum admissa Sancti Spiritus robur et Panis Angelici suavitatem ac delicias simul sumpsit. Parentum votis monitisque obtemperans potius domesticis rebus ac manualibus operibus quam litteris et bonis artibus vacabat; atque in illis Sacrae Familiae exempla sibi imitanda proposuerat. In vitae spiritualis moderatorem per plures annos habuit piissimum sacerdotem Antonium Coppola, cuius hortatu Angela habitum Tertii Ordinis B. M. V. a septem doloribus induit, assumpto nomine Maria Iuliana a SSmo Sacramento, et per varios mortificationis gradus uberes sanctimoniae fructus edidit. Verum alium aeque pium sacerdotem, in christiana jperfectione magistrum praeparabat Deus Famulae suae, quae superno lumine illustrata ecclesiasticum virum a Congregatione Oratorii S. Philippi Nerii Vincentium Longo ut suam conscientiam jdirigeret, rogavit, et voti compos effecta, illum ad hoc opus usque ad obitum adhibuit. Eo suadente, ipsa in aetate viginti quinque annorum mundi oblectamenta contemnens, paternam domum reliquit ac in coenobium a S. Monica nuncupatum Virginum Mantellatarum S. Augustini se recepit. Ibi per aliquod temporis spatium uti hospes habita, quum officia sibi concredita optime gesserit, deinceps ipsius coenobii moderatrix, Archiepiscopo Neapolitano sororum suffragia plene approbante, renuntiata fuit. Famulam Dei in vitae cursu caelestium donorum dulcedinem gustasse compertum est; simulque pluribus ac molestis infirmitatibus obnoxiam fuisse; in quibus, velut aurum igne probata, splendidiore virtute enituit. Nam eas infirmitates forti animo ac sereno vultu sustinere non destitit sive in suae poenitentiae et obedientiae signum, sive

in aliorum infirmorum levamen, pro quibus ut convalescerent, sponte illas Deo offerebat Id mirifice obtigisse visum est in extremo morbo quo correpta fuit Mensis erat Septembris anno 1857, et ad valetudinem confirmandam, ex medici praescripto, Maria Iuliana oppidum petiit *Resina* nuncupatum. Ibi hospitio excepta a familia sibi consuetudine iuncta Marchionis Vigo, quum iam integra et sana in eo esset ut Neapolim reverteretur, altera ipsius Marchionis filia in grave)n incidit morbum. Tunc Famula Dei consilium sui ipsius confessarii Vincentii Longo libenter capiens, se pro puella moribunda hostiam praebuit ad exemplum Apostoli qui exclamabat: *Quis infirmatur et ego non infirmor?* Hanc vero oblationem in odorem suavitatis ad caelos ascendisse Divinae bonitati acceptam fuisse satis liquet tum ex simili morbo quo Maria Iuliana improviso affecta fuit, tum ex morte inde sequuta quam ipsamet, loco puellae in pristinam salutem restitutae, die 25 Octobris eodem anno piissime obivit, postquam et sanctissimo viatico refecta et sacro infirmorum oleo peruncta fuerat. Corpus Servae Dei religiosis vestibus indutum ibidem mansit una die ut populi votis satisfieret. Altera vero die Neapolim delatum, ad monasterii S. Monicae templum per triduum iacuit expositum, multitudine civium confluente ; donec, exequiis solemniter peractis, prope aram Deiparae Virgini Perdolenti sacram, sepultum fuit. Interim fama sanctimoniae quam Soror Maria Iuliana dum vitam agebat, adepta fuerat, post obitum ita in dies increbuit ut Ecclesiastica Curia Neapolitana Processum Ordinarium super eadem fama instituit atque perfecit. Hoc autem Sacrorum Rituum Congregationi exhibito atque aperto, ad instantiam Emi Dñi Raphaelis Virili, Antistitis Urbani et Causae Postulatoris et scripta Servae Dei probata fuere, et Apostolica accessit dispensatio proponendi dubium de ipsius Causae introductione in Congregatione Ordinaria ante lapsum decennii et absque interventu et voto consultorum. Quare, eodem Rmo Postulatore rogante, atque attentis litteris postulatoriis nonnullorum Eñiorum S. R. E. Cardinalium, plurium Sacrorum Antistitum, et Capitulorum, nec non aliorum virorum ecclesiastica dignitate praestantium, etiam ex Ordinibus et Congregationibus religiosis, infrascriptus Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus et ipsius Causae Relator in Ordinariis eiusdem Sacrae Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit:

« An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur? » Atque Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius infrascripti Cardinalis Ponentis, audito etiam R. P. D. Ioanne Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit : *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 26 Aprilis 1898.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro LEONI PAPAE XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Venerabilis Servae Dei Mariae Iulianae a SSrîio Sacramento, die vigesimanona, iisdem mense et anno.

C. CARD. MAZZELLA *Ep. Praenestinus,*
S. R. C. Praefectus.

L. 8 S.

DIOMEDES PANICI S. *R. C. Secretarius.*

MELITEN. Beatificationis et Canonizationis ven. Servae Dei Mariae Adeodatae Pisani monialis professae Ordinis s. Benedicti in Monasterio s. Petri.

Viam qua dilectus Domini Benedictus in caelum ascendisse visus est, multi vel potius innumerabiles viri et mulieres ingredi exoptantes, sancti Patriarchae et vestigia secuti et disciplinam atque ordinem amplexati sunt. His laudabiliter annumeranda est sanctimonialis virgo Maria Adeodata Pisani nobilitate generis et virtutis professione illustris, quae terrenis copiis opibus et nuptiis valedixit, ut spiritualibus et caelestibus divitiis aucta, divino sponso iungeretur. Ex clarissimis parentibus Benedicto Pisani Mompalao, Melitensi, dynasta de Trigenuini, et Vincentia Carrano, Neapolitana, in lucem prodiit Neapoli die 29 Decembris anno 1806, et baptismi sacramento regenerata, Teresia appellata est. Primaevae eius aetatis vix extat memoria, tamen puellam tum domi tum in Collegio S. Mariae de Miraculis religiose educatam fuisse constat. Adolescentula fere novemdecim annorum a parentibus Melitam deducta piae cognatae consuetudine ac familiaritate ita usa est, ut plures effecerit ad virtutem progressus. Maioribus obsequens et subiecta atque solitudinis

amantissima, ceteris puellis praeclarum praebebat modestiae et pietatis exemplum, praesertim in Ecclesia ad sacram synaxim frequenter accedens, et ante imaginem Deiparae Virginis, suae dulcissimae matris, suppliciter orans. Hisce bonis operibus praeparata, ipsa beatissima Virgine suffragante, ad viam perfectiorem divinitus vocata est. Quare die 16 Iulii anno 1828, unanimi parentum ac superiorum consensu, Benedictinum S. Petri Monasterium in civitate *Notabili* ingressa est, et Adeodatae nomen a religione assumpsit. Expleto multa cum laude tyrocinio, die 8 Martii anno 1830, inexplicabili laetitia gestiens, solemnia vota nuncupavit. Deinceps suae religiosae perfectionis studiosa, ad eam acquirendam animi corporisque vires intentas habuit. Rei cellariae, ostii custodiae, sacrario et tyronibus educandis praeposita, hisce inferioribus muneribus ita recte iuncta est, ut ad superiora meruerit ascendere, vel potius ex obedientia promoveri. Hac ratione, die 26 Iunii anno 1851 Abbatissa per biennium renunciata, monasterii regimen suaviter ac fortiter tenuit, servata disciplina, gratulantibus monialibus et approbante Melitensi Episcopo. Exacto biennio et dimisso officio, Famula Dei inclinata magis ad obedientiam quam ad imperium, etsi praeses utrumque conciliaverat, monasterii regulas diligenter ac sancte observavit. Verum diuturno morbo et in dies ingravescente cruciata, cuius tamen acerbitatem pro Christi amore patienter ferebat, die 25 Februarii anno 1855, aetatis suae quadragesimo nono, postquam Ecclesiae sacramentis roborata fuerat, in osculo Domini placide obdormivit. Ad coenobii aedem et Ecclesiam ubi corpus Servae Dei pro exequiis expositum fuit, statim e quolibet ordine cives confluxerunt, Adeodatae virtutem et sanctitatem amplissimis laudibus celebrantes. Eiusmodi autem fama progressu temporis magis invalescens, viam aperuit Inquisitioni ordinariae super ipsa confectae in Ecclesiastica Curia Melitensi, cuius acta Romam delata Sacrorum Rituum Congregationi exhibita fuerunt. Interim scriptis eidem Servae Dei quocumque titulo attributis, rite perquisitis, revisis et probatis, concessa etiam fuit, de Apostolica venia, disceptatio super introductione causae in Congregatione Ordinaria ante lapsum decennii et absque interventu et voto consultorum. Quare instante Rmo Dno Alphonso Can. Carinci huiusce Causae Postulatore, nomine etiam hodierni Rmi Archiepiscopi Episcopi Melitensis, atque attentis litteris postulatoriis nonnullorum Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium

Rmorum Sacrorum Antistitum necnon Capitulorum aliarumque sive piarum sive religiosarum ex utroque sexu consociationum, nominatim Congregationis *Nobilium Melitensium* atque alterius *Honoratorum,* Emus et Rmus Dnus Card. Vincentius Vannutelli eiusdem Causae Relator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum habito, sequens dubium discutiendum proposuit : *An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur ?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito etiam voce et scripto Rmo P. D. Ioanne Baptista Lugari, Sanctae Fidei Promotore, omnibusque diligenter expensis, rescribendum censuerunt : *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 26 Aprilis 1898.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem S. Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae Venerabilis Servae Dei Mariae Adeodatae Pisani, die vigesima nona, iisdem mense et anno.

C. CARD. MAZZELLA *Ep. Praenestinus,*
S. R. C. Praefectus.

L. * S.

DIOMEDES PANICI *S. R. C. Secretarius.*

NULLIUS seu SUBLACEN. Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Fr. Francisci a Ghisone clerici professi ordinis Minorum sancti Francisci.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine ac Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

Sanctorum virorum vitae morumque recordatio, cum opportuna semper, tum infestis virtuti fideique temporibus saluber-

rima. Porro inter eos qui, superiori exeunte saeculo nostroque ineunte, ingens virtutis suae desiderium reliquere, adnumerari iure debet Franciscus a Ghisone, vir venerabilis, e disciplina Francisci Patris. Oppidum est Ghiso in insula Cyrnaea. Ibi anno 1777 ortus est Franciscus. Parentes illi Martinus Mucchiellius qui brevi desideratus est, et Anna Gregoria. Haec omnes intendit curas ut mature flliolum ad pietatem effingeret, idque eo facilius quo ex eius vita et moribus uberiora peti possent exempla virtutum.

Ea aetate quae maxime solet ineptus nugisque esse dedita nihil ille pueriliter fecisse dicitur: quin etiam super aetatem sapiens quaslibet levitates defugit. Una illi cura, discendi ardor et pietas. Silentii et solitudinis, quibus mire capiebatur, servantissimus; labore, solertia precibusque ad magnam Dei Parentem fusis, aciem retusi ingenii exacuit, memoriam exercitatione firmavit. Quod si exlex condiscipulorum petulantia mansuetum puerum asperius, ut saepe fit, compellasset vel licentius illusisset, illud ipse assequebatur, ut nec illorum procacitati irasci, nec contemptu sui permoveri videretur. Tempus omne quod illi a studio vacabat in sodalium Franciscanum domo vel aede sacra transigebat, seseque Dei laudes concinentibus immiscebat, aut Sacrum facientibus ministrabat.

Cum 11 vel 12 aetatis annum ageret matre orbatus est; quare sororis primum, avunculi deinde Romae commorantis curis creditus est; qua in urbe fabri lignarii arti addiscendae operam aliquo tempore navavit. Accidit die quadam ut conscientiae eludendae causa sodalem franciscalem adierit eximiae virtutis maximaeque prudentiae virum. Hic agnita pii iuvenis sanctimonia eiusque in Seraphici Patris propensissima voluntate, quaesivit velletne inter eius alumnos conscribi? Cui alter, nil se avere magis cum respondisset, missus statim est in Civitellae recessum, ut religiosae vitae ibi tyrocinium poneret. Secessus hic ab ipso Francisco Patre conditus fertur, abestque septem circiter passuum millibus Sublaqueo, inter praerupta Apennini iuga.

Quae pietatis specimina vel ab initio Franciscus ediderit, ex eo coniicias quod ceteris tyronibus in exemplum eluxit. Expleto probationis anno, vota rite concepit. Sacris deinde initiatus, seque ad maiores ordines parare iussus, votis precibusque a Deo flagitavit ne se indignum ad sacrificandum accedere pateretur.

Voti compos fit; epilepsiae morbo illico corripitur, eoque in dies ingravescente altari prohibetur.

Maiora hinc cepit ad virtutem incitamenta, binaque praesertim in illo emicuere: humilitas et patientia. Hanc ut experiretur nonnulli invido eum dente carpere, contumelioseque habere consueverunt. At patientissimus Dei Servus eos non modo non gravate tulit, sed benevolentia complexus est.

Ad haec addebat corporis cruciatus voluntarios, quibus quemque robustissimum frangi necesse erat. In sumendo cibo non tam parcus, quam iniquus erat erga se. Delicatiora, si quando in mensam irreperent, edulia nunquam attingebat. Ferreas catenas, cilicia, aliasque huius generis poenas sibi imponebat tam assidue, ut conscientiae moderatores eius se excruciandi studio habenas duxerint adducendas.

Quanta esset Francisci sanctitas Deus ipse non semel testatus est. Multa enim de ipso feruntur naturae viribus maiora, sed miranda in primis quae in eius morte contigerunt.

Cum vero post eius mortem haec sanctimoniae fama magis in dies increverit, Beatificationis causa penes Sacram Rituum Congregationem promoveri coepit ut caelitum honores illi decernerentur. Probationibus igitur exceptis, et sedulo expensis, ceterisque ad iuris normam exactis, quadruplex de heroicis virtutibus V. Francisci a Ghisone instituta est actio. Primo itaque excussum est dubium in antepraeparatorio coetu apud cl. me. Cardinalem Aloisium Bilio causae Relatorem pridie calendas sextiles anno 1883, resumpta denuo causa duplici praeparatorio conventu in Apostolicis Vaticanis Aedibus pridie nonas maias anno 1890 referente cl. me. Cardinali Raphaele Monaco La Valletta; et decimo calendas Apriles anno 1897 Relatore Rmo Cardinali Vincentio Vannutelli ; demum coram Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII in iisdem Vaticanis Aedibus duodecimo calendas martias vertentis anni; quum idem Rmus Cardinalis Vincentius Vannutelli dubium ad discutiendum proposuit: *An constet de virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate erga Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven. Servi Dei Francisci a Ghisone, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?* Quamvis unanimis fuerit Rmorum Cardinalium et Consultorum sententiarum affirmantium quasi concentus indeque liberet de causae exitu felix capere auspicium,

in re tamen tanti momenti iudicium suum prorogandum de more duxit Sanctissimus Pater uberius expectans a Deo suae gratiae praesidium et lumen.

Hodierno autem die Dominica V post Pentecosten Eucharistico Sacrificio pientissime litato, hanc Vaticanam aulam adiit, et ad se arcessiri voluit Rmos Cardinales Camillum Mazzella, Episcopum Praenestinum S. R. C. Praefectum, et Vincentium Vannutelli Causae Relatorem, una cum R. P. Io. Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore meque insimul infrascripto Secretario : iisque adstantibus suprema auctoritate sua solemniter declaravit: *Constare de virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate erga Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven. Servi Dei Francisci a Ghisone, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc decretum in vulgus edi et in acta S. R. C. referri mandavit V nonas Iulii an. 1898.

C. CARD. MAZZELLA *S. **R.** C Praef.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI S. ***R.*** *C. Secr.*

BRIXIEN. Beatificationis et Canonizationis ven. servae Dei Mariae Magdalenae Martinengo a Barco monialis professae Capuccinae in Monasterio Brixiensi s. Mariae ad N i ves.

SUPER DUBIO

An post approbationem unius mir acuii ita constet de altero, ut procedi possit ad ulteriora in easu et ad effectum de quo agitur.

Christi Servatoris vestigia contento cursu Ven. Maria Magdalena a Barco generis nobilitate praestans a teneris usque sibi sectanda .proposuisse visa est. Etenim iam tunc studuit divinis rebus singulari mentis ardore animique integritate vacare, eaque voluntate caelestia amplecti, ut nihil magis. Quare nil longius ei videbatur quam de cognatione sua ac de domo patris exire,

seseque Deo irrevocabili castitatis voto obstringere. Neglectis igitur nobilis domus divitiis, spretisque mundanis nuptiis, Brixiae, votis inter Gapulatas S. Mariae ad Nives rite nuncupatis, nihil antiquius habuit quam in obscuris delitescere, vigilantiam sobrietatemque sanctorum adaequare, corporis audaciam flagris ieiuniisque contundere. Virtutibus omnibus heroice perfuncta, poenitentiae praesertim exempla reliquit admiranda magis quam imitabilia. Triennio in dies ingravescentibus conflictata infirmitatibus quas hilari semper constantique animo pertulit, anno 1737 sexto calendas sextiles laboribus magis quam aetate confecta, Brixiae qua in urbe ante annos quinquaginta lucem hauserat, ad caelestem sponsum evolavit. Ex Venerabilis Mariae Magdalenae sepulcro praesentem opem multi sensere. Haec Providentiae divinae ad illius tumulum illustrandum incumbentis praeclara documenta novos Franciscalibus Capulatis nec non Clero populoque Brixiensi subiecere stimulos ut Mariae Magdalenae causa apud Sacrorum Rituum Congregationem ageretur. Omnibus igitur rite absolutis, fel. rec. Pius PP. VI tertio nonas maias anno 1778 Mariae Magdalenae virtutes heroicum attigisse fastigium solemni sanxit decreto. Inita deinde actio de miraculis quae, ea deprecante, divinitus patrata tradebantur controversiis rite expensis, ceterisque de iure confectis, idem Summus Pontifex quinto nonas martias anno 1793 solemniter edixit : « *Constare de instantánea sanatione Isabellae Groppelli a phtisi ad ultimum marasmi statum producta* ».

Id maxime in votis erat, saeculo superiore exeunte, ut V. Famulae Dei ob heroicas, quibus emicuit virtutes Beatorum caelitum honores decernerentur. At vero, altero quod iura postulant miraculo deficiente, nobilis huius causae cursum intercipi necesse fuit.

Nostra autem aetate strenui causae curatores laudabili studio aliud prodigium ad cognoscendum proposuerunt, de caecitate nimirum ac tenebris sinistro ex oculo pueruli Iosephi Tosi mire subitoque depulsis. — Res autem quatuor disceptationibus est rite peracta : prima scilicet in antepraeparatorio conventu in Aedibus Rmi Cardinalis Caietani Aloisi-Masella huius causae Relatoris postridie idus iulii anno MDCCCXCV; altera et tertia in comitiis praeparatoriis ad Apostolicum Palatium Vaticanum indictis septimo calendas martias superioris anni et octavo calendas februarias vertentis anni; quarta demum in coetu gene-

rali habito coram SSmo Domino Nostro LEONE PAPA XIII septimo idus iunii mox elapsi; quum Rmus Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella dubium ad discutiendum retulit: *«An post approbationem unius miraeuli, ita constet de altero, ut procedi possit ad ulteriora in casu et ad effectum de quo agitur* ». Rmi Cardinales et Patres Consultores suffragium singuli unanimi sententia tulere. Beatissimus vero Pater, omnium audita sententia, mentem suam aperire distulit, ominatus tamen quantocius haec causa felix faustumque exitum attingeret: iamque Congregationem dimissurus haec adiecit gravissima verba : *Utinam Venerabilis Virgo quemadmodum caecitatem abstergit, puero Tosi visum oculorum restituit, ita insigniori miraculo tenebras noctemque disiiciat ex oculis impiorum qui nunc in Dei Ecclesiam durius ac audacius insoleseunt.*

Hodierna autem die Dominica V post Pentecosten, re divina religiosissime peracta, solio Pontifìcio in hac Vaticani Aula insidens arcessi iussit Rrîios Cardinales Camillum Mazzella Episcopum Praenestinum S. Rituum Congregationi Praefectum et Caietanum Aloisi-Masella Causae Relatorem, una cum R. P. Io. Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, meque insimul infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemniter pronunciavit: *Constare de instantánea perfectaque sanatione adolescentis Iosephi Tosi a caeeitate sinistri oculi staphilomatis opaci causa quod mediam corneam occupabat.*

Hoc Decretum insuper evulgari et in Sacrorum Rituum Congregationis Acta referri praecepit quinto nonas Iulii anno 1898.

C. CARD. MAZZELLA, 5. *R. C. Praef.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, *Secretarius.*

PLOCEN. Dubia quoad cantilenas vernaculas, quae cantari solent cum organo tempore Missae.

Relatum fuit Sacrae Rituum Congregationi, morem extare in Dioecesi Plocensi atque in nonnullis aliis Poloniae Dioecesibus, quo in Missis cum cantu sine ministris diacono et subdiacono, organarti qui et cantores sunt, solum responsa celebranti,

uti *Amen — Et cum Spiritu tuo*, exequuntur latino sermone; et dum alia, *uti. Introitus* et *Kyrie,* omittant, reliquo Missae tempore varias cantilenas vernaculas, devotionem foventes, et non semper Missae consonas cum organi sonitu cantant. Hinc expostulatum fuit ab ipsa Sacra Congregatione :

I. Utrum praedictus usus cantilenarum approbari vel saltem tolerari possit?

II. Utrum in Missis cantatis sine Ministris Sacris, organarti et chorus debeant semper exequi cantu vel voce intelligibili cum organo omnes partes ex Graduali Romano?

Et eadem Sacra Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibusque perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Obstant Decreta, praesertim in una *Bisarehien.* 31 Ianuarii 1896 (1).

Ad IL *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 25 Iunii 1898.

C. CARD. MAZZELLA *Ep. Praenestinus,*
S. R. C. Praefectus.

L. * S.

DIOMEDES PANICI S. *R. C. Secret.*

QUEBECEN. Reformatur primum dubium quoad festum titularis.

I. An Titularis festum alicuius Ecclesiae, a die 31 Decembris ad quintam Ianuarii occurrens, habeat Octavam?

Ad I. *Negative* (2).

(1) Bisarehien. relata fuit Vol. XXVIII, 504.

(2) Quebecen, iam relata fuit Vol. XXVIII, 440.

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

BURGI S. DOMNINI. Dubia varia de Scapularibus.

Huic Sacrae Indulgentiarum et SS. Reliquiarum Congregationi sequentia dubia dirimenda sunt proposita:

I. Utrum in adscribendis Christifidelibus Sodalitati B. V. Mariae a Monte Carmelo adhiberi licite et valide possint Scapularia, quae quamvis ex lana confecta, cooperiuntur ex una parte tela serica vel gossypio, ex altera vero Imagine quae totum cooperit Scapulare, ita ut pannus penitus aut quasi penitus non appareat ?

II. Quid tenendum quando unum Scapulare refert Imaginem B. M. V. de Monte Carmelo, alterum quod vitta coniungitur Imaginem B. M. V. perdolentis, SSiñi Rosarii, vel etiam SSmi Cordis Iesu?

III. Utrum nomina adscriptorum Confraternitati necessario ad viciniorem Confraternitatem mittenda sint, vel potius liberum sit ea transmittere Moderatori cuiuslibet Confraternitatis?

IV. Utrum in adscriptione plurium formula unica in numero plurali, quae ex Decr. S. C. Indulg. die 18 Aprilis 1891 adhiberi potest, dicenda sit antequam incipiatur impositio, vel potius dum primo fit impositio?

V. Utrum in casu super exposito, cum generatim adscribendi sint viri et mulieres conveniens, sit dicere « Accipite viri et mulieres » vel simpliciter « Accipite hunc habitum etc. » prout est in formula breviori approbata in Decreto S. R. C. diei 24 Iulii 1888?

Porro S. C, audito unius ex Consultoribus voto, relatis dubiis, respondere mandavit:

Ad I. Negative.

Ad II. Nihil officere valori Scapularis Imaginum varietatem, dummodo in Scapulari appareat color, forma et pannus, quae omnia ut vere substantialia sunt retinenda, exceptis tamen Scapularibus SSmae Trinitatis et Passionis D. N. in quibus etiam imagines propriae sunt necessariae.

Ad III. Negative ad 1^{am} partem; affirmative ad 2^{am}.

Ad IV. Formulam in casu dicendam esse immediate ante-

quam Scapularia imponere incipiantur, eaque Sacerdote in manibus tenente.

Ad V. Si viri a mulieribus facile segregari possint et duplici actu functio peragi posset, quod certe esset convenientius, tunc, prout de more, uti posset formula longiori, mutatis mutandis; si vero unico actu promiscue viri cum mulieribus sint aggregandi, tum ad praecavendam cacophoniam melius fieret si formula brevior adhiberetur, dicendo tantum « accipite hunc habitum etc. ».

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. G. die 18 Iunii 1898.

FR. HIERONYMUS M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

L. r£ S.

f ANTONIUS ARCHIEP. ANTINOEN., *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DUBIA quoad Constitutionem, quae respicit prohibitionem librorum.

Cum huic s. Indicis Congregationi dirimenda proposita fuerint sequentia dubia:

I. Utrum sub nomine eorum, *qui studiis theologicis* vel *biblicis dant operam* veniant etiam alumni, qui theologiae et linguae hebraicae ac graecae in scholis Seminariorum vacant? Et quatenus affirmative;

II. Utrum possit Episcopus permittere ut in scholis alumni, sub ductu professoris, textus hebraicos et graecos ab acatholicis editos, legant ac vertant, dummodo *non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus* talium librorum *catholicae Fidei dogmata?*

Eadem s. Congregatio sub die 18 Iunii 1898, iisdem dubiis mature perpensis, respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative;* nisi specialem a S. Sede facultatem obtinuerit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem s. Congregationis die 21 Iunii 1898.

EX S. CONGS. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM an parva interruptio obsit validitati ordinationis.

Beatissime Pater,

Cum sacerdos N. N. ad ordinem presbyteratus promoveretur, Episcopus ordinans formulam in porrectione instrumentorum paulum interrupit. Namque cum iam dixisset: *Accipe potestatem offerendi,* mox ad sacerdotem ministrantem conversus formam interrupit interrogans: « Num adest aliquis defectus? » Et sacerdos ministrans respondit: « Non » — porro statimque Episcopus perrexit : *sacrificium Deo missasque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini,* R). *Amen.* Idem vero sacerdos ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter petit interrogatque pro sua quiete num haec interruptio valori ordinationis noceat, atque quid in hoc casu sit faciendum.

Feria IV, die 20 Aprilis 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EEmis et RRiîiis DD. Cardinalibus, in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum votp, iidem EEmi ac Rmi Patres rescribendum mandarunt :

Ordinationem in casu fuisse validam; ideoque acquiescat.

Feria vero VI die 22 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de his omnibus SSmo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SSmus resolutionem EEmorum Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI S. R. et U. *Inq. Notarius.*

DUBIUM quoad baptisma mulieris infidelis viro haeretico nuptae. Ex Instr. 16 Sept. 1824 ad Ep. Quebecen.

Dubium 5. Mulier infidelis viro haeretico nupta ad Baptismum admitti postulat. Non obstat maritus quominus illum recipiat, et catholicam religionem profiteatur, at ipso catholicum fieri nolente. Quaeritur quomodo se gerere debeat missionarius catholicus: An baptizando mulierem permittere, ut cum viro isto haeretico coram ministro acatholico matrimonium contrahat? An ei denegando baptismum ansam dare ut illum ab haeretico ministro recipiat? An ipsam baptizare et matrimonio iungere cum viro haeretico, quod evidenter implicat communicationem in divinis?

R.... Ad 5. Missionarius in proposito casu edocere debet mulierem de nullitate prioris matrimonii in infidelitate initi cum viro haeretico, qui utpote per Baptismum Ecclesiae legibus subiectus, impedimento detinebatur disparitatis cultus, et si recte dispositam reperit, eam potest ad baptismum admittere, cum qua etiam ab habente facultatem dispensari potest, ad hoc, ut, post baptismum, cum eodem haeretico viro, si nihil aliud obstet, licite nubere valeat. Nam quoad matrimonii validitatem, valide iam illud contraheret in provinciis Quebecensi et Canadensi ob extensionem Benedictinae declarationis die 4 Novembris 1741, factam a Clemente XIII. Nihil autem impedire dignoscitur quominus praefatae mulieri baptismum licite conferri queat, cum, ut exponitur, catholicam ipsa profiteri velit, ipsomet viro id ei annuente, religionem. Sicuti nec urgens deesset causa cum ea dispensandi, ut viro haeretico nubat, quotiescumque foret ex'denegata dispensatione prudenter pertimescendum ne ea vel a suscipiendo baptismate averteretur, vel illud reciperet a ministro acatholico, coram quo et matrimonium pariter iniret; quod nullo pacto permitti debet. Vetitum autem non esset catholico parocho huiusmodi assistere matrimonio. Vi enim concessionis dispensationis Apostolicae licitum illud evaderet, ideoque et licita parochi praesentia. Verum, ut monet Benedictus XIV *De Syn. Dioec. lib. 6, cap. 5, § 4,* iis in locis atque regionibus ubi huiusmodi matrimonia (catholicorum scilicet cum haereticis) aliquando contrahi permittuntur, expedit omnino ut Episcopus ad tuendum Ecclesiae decorem, ritus in eorumdem connubio-

rum celebratione servandos opportune prudenterque praescribat. Atque in primis prae oculis habeat Episcopus, ac, prouti fieri potest, servari curet praxim S. Sedis, regulasque ab ea praescribi solitas cum ob graves causas in huiusmodi matrimoniis dispensat, nimirum: ut matrimonium coram parocho et testibus celebretur extra ecclesiam, et omissa nuptiali benedictione, omnique ritu sacro; ut pars catholica gravissime moneatur de obligatione quam habet, quaeque nunquam ei cessat, curandi conversionem coniugis et educationem prolis utriusque sexus in catholica religione; ac demum ut catholica prolis educatio etiam in pactum iuramento firmatum deducatur.

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XXX CONTINENTUR

LITTERAE ET ACTA R. PONTIFICIS

EX S. C. CONCILII

EX S. CONG. EP. ET REG.

EX S. CONG. INDULGENTIARUM

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

EX S. CONG. NEGOTIORUM EXTRAORDINARIORUM

EX S. G. DE PROPAGANDA FIDE

EX S. C. INDICIS

EX SECRETARIA BREVIUM

EX S. POENITENTIARIA APOST.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

EX S. CONG. STUDIORUM

COMMENTARIUM IN CONSTITUTIONEM
OFFICIORUM AC MUNERUM

INDEX CAPITUM

Numerus indicat paginam qua Commentationes in singula Capita Decretorum generalium incipiunt.

TITULUS I.

DE PROHIBITIONE LIBRORUM.

TITULUS II.

DE CENSURA. LIBRORUM.

INDEX

RERUM PRAECIPUARUM COMMENTARII IN CONSTITUTIONEM *OFFICIORUM AC MUNERUM*

D

E

F

G

H

I

J

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

ERRATA			CORRIGE
Pag. 37.	lin. 14.	Commentares	Commentariis
» 164.	» 1.	Iudicium	Indicium
» 167. nota 3.	» 4.	Laudiaus	Laudibus
» 173.	» 4.	Suppositas	Supposititias
» 215.	» 19.	ilios	illos
> 223.	» 9.	ex	de
» 328.	» 23	prefecto	profecto
» 342.	» 16.	concssam	concessam

490. numerus 72. respondet 71* : hoc pro disponendis subsequentibus numeris animadvertant lectores.

» 279. 2. *post verbum* applicetur, *addatur* quam pro defunctis, si pro bis S. Sacrificium applicetur,

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarcha Antioch. Vicesg.